


201
11 G
23





# M. T. CICERONIS
# OPERA OMNIA
TOM. VII.



# M. TVLLII
# CICERONIS
# OPERA




EX RECENSIONE

CHRIST. GODOFR. SCHÜTZII

ADDITIS COMMENTARIIS

TOMVS SEPTIMVS



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXVII.



M. TVLLII CICERONIS

# ORATIONES

*TOM. IV.*

# ORATIO
## SIVE INTERROGATIO
### IN
# VATINIVM



### SVMMARIVM

P. Vatinius A. V. 690 Cicerone et Antonio Coss. quaestor fuit. In quaestura ei obtigit provincia aquaria s. Ostiensis. A. V. 691 legatus fuit C. Cosconii, qui ex praetura Hispaniam ulteriorem pro consule regendam obtinuit. A. V. 694 C. Iulio Caesare et M. Calpurnio Bibulo coss. tribunus plebis fuit, in eoque tribunatu multa per vim et contra morem maiorum gessit. In primis Caesari consuli in actionibus popularibus antesignanum se praebuit; et Bibulum alterum consulem collegae adversantem vi e foro, curia, locisque publicis expulit eumque domi inclusum misso viatore extrahere et in carcerem ducere ausus est. Idem legem tulit, qua Caesari cui iam Senatus Galliam ulteriorem attribuerat, citerior quoque una cum Illyrico et tribus legionibus in quinquennium data est. Aliam legem tulit de repetundis, seu de alternis consiliis in iudicio repetundarum reiiciendis; qua cautum est, ut et reus et accusator omnes possent iudices semel reiicere, quos praetor sortitus esset. Deinde Vettium indicem fictae coniurationis in Pompeium in Rostris collocavit, eumque a se rogatum dicere iussit, quos viros auctores et socios huius sceleris habuisset (ad Att. II. epist. 24). A. V. 697 quum P. Sextius esset a M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi postulatus, testimonium in eum dixit Vatinius. Itaque Cicero Sextii defensor eum perpetua interrogatione accusavit. De ea ipse Cicero ad Q. Fratrem Epist. II, 4, ita scribit: *Vatinium, a quo palam oppugnabatur* (Sextius), *arbitratu nostro concidimus, diis hominibus-*

*que plaudentibus. — Quid quaeris? homo petulans et audax Vatinius valde perturbatus debilitatusque discessit.* Et in epist. ad Lentulum Fam. I, 9: *Ego sedente Cn. Pompeio, quum, ut laudaret P. Sextium, introisset in urbem, dixissetque testis Vatinius, me fortuna ac felicitate C. Caesaris commotum illi amicum esse coepisse: dixi, me M. Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis victoriisque anteferre: dixique eodem teste, alio loco, eosdem esse, qui Bibulum domo exire prohibuissent, et qui me coëgissent. Tota vero interrogatio mea nihil habuit, nisi reprehensionem illius tribunatus, in quo omnia dicta sunt libertate animoque maximo de vi, de auspiciis, de donatione regnorum.*

In exordio Cicero causam exponit, qua permotus, quum Vatinii testimonium in Sextium nullius momenti putaretur, tamen eum non tacitus dimiserit, sed interrogandum putarit; atque ad aliquot reprehensiones Vatinii respondet, quibus Ciceroni C. Cornelii defensionem, et discessum in exilium obiecerat; c. 1 — 4.

In ipsa interrogatione primum Vatinii quaesturam et legationem c. 5, deinde tribunatum perstringit c. 6 7. Tum ridet eum quod in locum Q. Metelli Celeris augur fieri cogitaverit c. 8. Tum exagitat eius iniurias in Bibulum consulem c. 9, in principes quosdam viros, quos iudice Vettio subornato in suspicionem caedis Pompeio Magno intentatae adducere voluit c. 10. Deinde malitiam in C. Antonium ei exprobrat, qui legem illam de alternis consiliis reiiciendis distulerit, usque dum ille reus factus esset, ut ille beneficio huius legis excluderetur c. 11. Tum divitias obiicit, quas sibi pecuniis contra leges acceptis paraverit; c. 12. Deinde reprehendit eum, quod in epulo Q. Arrii cum toga pulla accubuerit c. 13; quod quum esset lege Licinia et Iunia postulatus, tribunos plebis appellaverit ne causam diceret c. 14; quod sine senatusconsulto legationem obierit, et quod legem Tulliam de ambitu despexerit c. 15. Postremo eum ab ipso Caesare honore praeturae indignum iudicatum esse dicit c. 16, eique inconstantiam orationis ac testimonii in dictis nonnullis, quae ad Milonem et Sextium pertinerent, exprobrat c. 17.

# I.

Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas postularet, spectare voluissem, fecissem id, quod his vehementer placebat, ut te, cuius testimonium, propter turpitudinem vitae sordesque domesticas, nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. Nemo enim horum aut ita te refutandum, ut gravem adversarium, aut ita rogandum, ut religiosum testem, arbitrabatur. Sed fui paulo intemperantior fortasse, quam debui. Odio enim tui, in quo, etsi omnes propter tuum in me scelus superare debeo, tamen ab omnibus paene vincor, sic sum incitatus, ut, quum te non minus contemnerem, quam odissem, tamen vexatum potius, quam despectum, vellem dimittere. Quare, ne tibi hunc honorem a me haberi forte mirere, quod interrogem, quem nemo congressu, nemo aditu, nemo suffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putet; nulla me ad id causa impulisset, nisi ut ferocitatem tuam istam comprimerem, et audaciam frangerem, et loquacitatem paucissimis interrogationibus irretitam retardarem. Etenim debuisti, Vatini, etiamsi falso venisses in suspicionem P. Sextio, tamen mihi ignoscere,

*Si tua — indignitas*) In cod. S. Vict. abest *tua*, in Pal. 9, *quid dignitas*.

*Paulo intemperantior*) Vulgo *in te intemperantior*. In aliquot codd. Pall. abest *in te*.

*Nulla me ad id causa impulisset, nisi*) Ernestius aut excidisse aliquid post *nisi*, ut *mihi faciendum putassem*, vel simile quid, aut corrigendum esse *impulit* putabat.

*Etiamsi falso venisses in suspicionem P. Sextio*) Vt infirmaretur Vatinii testimonium, scire se dixerat Sextius, Vatinium inivisse cum Albinovano consilia de se accusando. Qui autem alicui se esse inimicum ostendit, eius testimonio fides derogatur. Sensus igitur hic est. Debuisti, Vatini, vel si falsa illa Sextii suspicio fuisset, mihi tamen ignoscere, si eum,

si, in tanto hominis de me optime meriti periculo, et tempori eius, et voluntati parere voluissem. Sed hesterno die pro testimonio esse mentitum, quum affirmares, nullum tibi omnino cum Albinovano sermonem, non modo de Sextio accusando, sed ulla unquam de re fuisse, paulo ante imprudens indicasti: qui et T. Claudium tecum communicasse, et a te consilium P. Sextii accusandi petisse, et Albinovanum, quem antea vix tibi notum esse dixisses, domum tuam venisse, multa tecum loquutum dixeris; denique conciones P. Sextii scriptas, quas neque nosset, neque reperire posset, te Albinovano dedisse, easque in huius iudicio esse recitatas. In quorum altero es confessus, a te accusatores esse instructos et subornatos; in altero inconstantiam tuam, tum levitate, tum etiam periurio implicatam, refellisti; quum, quem alienissimum a te esse dixisses, eum domi tuae fuisse; quem praevaricatorem ab initio iudicasses, ei te, quos rogasset, ad accusandum libros dixeris dedisse.

II. Nimium es vehemens feroxque natura: non putas fas esse, verbum ex ore exire cuiusquam, quod non iucundum et honorificum ad aures tuas accedat. Venisti iratus omnibus: quod ego, simulac te adspexi, prius quam loqui coepisti, quum ante Gellius, nutri-

de me optime meritum defendendum susciperem: multo magis, quum illa suspicio falsa non fuerit: quod tu ipse imprudens indicasti. MAN

*Hesterno die*) Addidi *die* de Lambini sententia. Vulgo est *hesterno*, quod Gruterus ferendum putabat sic ut dictum esset pro *heri*, ut *crastino* aliquando dicitur pro *cras*.

*Pro testimonio*) tuo in Sextium. *Pro* valet *in*, ut alibi. MAN.

*Sed ulla unquam*) Sic recte Ern. Vulgo *nulla*.

*T. Claudium*) Qui Sextii nomen deferre cogitaret: quod consilium videtur abiecisse, aut accusanti Albinovano subscripsisse. MAN.

*Libros*) Conciones P. Sextii.

*Accedat*) Hoc Ern. restituit auctoritate plerorumque codd. et edd. vett. pro *accidat*, quod e coniectura Pantagathi acceperat Aldus, sequentibus aliis.

cula seditiosorum omnium, testimonium diceret, sensi atque providi. Repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti: ut mihi renovatus ille tuus in te ** [1] veterem meum amicum, sed tamen tuum familiarem, defenderim, quum in hac civitate oppugnatio soleat, qua tu nunc uteris, nonnunquam, defensio nunquam vituperari. Sed quaero a te, cur C. Cornelium non defenderem? Num legem aliquam Cornelius contra auspicia tulerit; num Aeliam, num Fufiam legem neglexerit; num consuli vim attulerit, num armatis hominibus templum tenuerit; num intercessorem vi deiecerit; num religiones polluerit; aerarium exhauserit; rempublicam compilarit? Tua sunt, tua sunt haec omnia. Cornelio eiusmodi nihil obiectum est. Codicem legisse dicebatur: defendebatur, testibus collegis suis, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi. Constabat tamen, Cornelium concilium illo die dimisisse, intercessioni paruisse. Tu vero, cui Cornelii defensio displicet, quam causam ad patronos tuos, aut quod os afferes? quibus iam praescribis, quanto illis probro futurum sit, si te defenderint, quum tu mihi Cornelii defensionem in maledictis obiiciendam putaris. Attamen hoc, Vatini, memento, paulo post istam defensionem meam, quam tu bonis viris displicuisse dicis, me, quum universi populi romani summa voluntate, tum optimi cuiusque singulari studio, magnificentissime post hominum memo-

*Tumidis cervicibus*) Tangit strumam Vatinii, ut alibi.

(1) Lacunam sic explere tentavit Lambinus: *ut mihi renovatus tuus ille tribunatus videretur. Ac mihi primum obiecisti, quod Cornelium veterem amicum meum, sed tamen tuum familiarem defenderim.* Turneb. in MS. vacantem vidit totam paginam.

*Cur C. Cornelium*) Respicitur oratio cuius fragmenta exstant.

*Intercessioni paruisse*) Rem explicat Asconius in argumento orationis Cornelianae.

riam consulem factum, omniaque ea me pudenter vivendo consequutum esse, quae tu impudenter vaticinando sperare te saepe dixisti.

III. Nam quod mihi discessum obiecisti meum, et quod horum, quibus ille dies acerbissimus fuit, qui idem tibi laetissimus, luctum et gemitum renovare voluisti: tantum tibi respondeo, me, quum tu ceteraeque reipublicae pestes, armorum causam quaereretis, et quum per meum nomen fortunas locupletium diripere, sanguinem principum civitatis exsorbere, crudelitatem vestram odiumque diuturnum, quod in bonos iam inveteratum habebatis, saturare cuperetis, scelus et furorem vestrum cedendo maluisse frangere, quam resistendo. Quare peto a te, ut mihi ignoscas, Vatini, quum patriae pepercerim, quam servaram; et, si ego te perditorem et vexatorem reipublicae fero, tu me conservatorem et custodem feras. Deinde eius viri discessum increpas, quem vides omnium civium desiderio, ipsius denique reipublicae luctu esse revocatum? At enim dixisti, non mea, sed reipublicae causa homines de meo reditu laborasse. Quasi vero quisquam vir, excellenti animo in rempublicam ingressus, optabilius quidquam arbitretur, quam se a suis civibus reipublicae causa diligi. Scilicet aspera mea natura; difficilis aditus; gravis vultus; superba responsa; insolens vita; nemo humanitatem meam, nemo consuetudinem, nemo consilium, nemo auxilium requirebat: cuius desiderio (ut haec minima dicam) forum moestum, muta curia, omnia denique bonarum artium studia siluerunt. Sed nihil sit factum mea causa; omnia illa senatusconsulta, populi iussa, Italiae totius, cunctarum societatum, collegiorum omnium decreta de me, reipublicae causa esse

*Perditorem*) Cod. Dresd. *proditorem*.

facta fateamur. Quid ergo, homo imperitissime solidae laudis ac verae dignitatis, praestantius mihi potuit accidere? quid optabilius ad immortalitatem gloriae, atque ad memoriam mei nominis sempiternam, quam omnes hoc cives meos iudicare, civitatis salutem cum mea unius salute esse coniunctam? Quod quidem ego tibi reddo tuum. Nam, ut tu me carum esse dixisti senatui populoque romano, non tam mea causa, quam reipublicae: sic ego te, quamquam sis omni diritate atque immanitate teterrimus, tamen dico esse odio civitati, non tam tuo, quam reipublicae nomine.

IV. Atque, ut aliquando ad te veniam, de me hoc sit extremum. Quid quisque nostrum de se ipse loquatur, non est sane, non est requirendum. Boni viri iudicent; id est maximi momenti et ponderis. Duo sunt tempora, quibus nostrorum civium spectentur iudicia de nobis: unum honoris, alterum salutis. Honos tali populi romani voluntate paucis est delatus, ac mihi: salus tanto studio civitatis nemini reddita. De te autem homines quid sentiant, in honore experti sumus, in salute exspectamus. Sed tamen ne me cum his principibus civitatis, qui adsunt P. Sextio, sed ut cum homine uno impudentissimo atque infimo conferam: de te ipso, homine et arrogantissimo, et mihi inimicissimo, quaero, Vatini, utrum

*Tali populi romani voluntate*) Ita recte Lambinus; *tali* enim *voluntate* opponitur *tanto studio*. Vulgo *honos talis*, inepte. Significat singulari voluntate populum romanum sibi honores, in primis consulatum detulisse; de quo sic orat. in Pison. c. 1, *me*, inquit, *cuncta Italia*, *me omnes ordines*, *me universa civitas*, *non prius tabella*, *quam voce priorem consulem declaravit*.

*Honore experti sumus*) Quod in quaestura postremus erat renuntiatus, in aedilitate repulsam tulerat. Hot.

*In salute*) Virum, si quis te capitis accusaverit, iudices te absoluturi non damnaturi sint.

*Sed ut cum homine uno*) Vulgo additur *non solum* quod recte Graevius delendum censuit. — Goveanus legebat: *Et*, *ut ne me cum homine uno omnium impudentissimo* etc. Typ.

tandem putes, huic civitati, huic reipublicae, huic urbi, his templis, aerario, curiae, viris his, quos vides, horum bonis, fortunis, liberis, civibus ceteris, denique deorum immortalium delubris, auspiciis, religionibus, melius fuisse et praestabilius, me civem in hac civitate nasci, an te? Quum mihi haec responderis, aut ita impudenter, ut manus a te homines vix abstinere possint, aut ita dolenter, ut aliquando ista, quae sunt inflata, rumpantur: tum memoriter respondeto ad ea, quae de te ipso rogaro. Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patiar latere. Licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris. Habeat hoc praemium tua indignitas, ut adolescentiae turpitudo obscuritate et sordibus tuis obtegatur.

V. Quaesturam petisti cum P. Sextio, quum hic nihil loqueretur, nisi quod agebat, tu de altero consulatu gerendo te diceres cogitare. Quaero abs te, teneasne memoria, quum P. Sextius quaestor sit cunctis suffragiis factus, te vix, invitis omnibus, non populi beneficio, sed consulis, extremum adhaesisse? In eo magistratu, quum tibi magno clamore aquaria provincia obtigisset, missusne sis a consule Puteolos,

*Ista, quae sunt inflata, rumpantur*) Festive, inquit Manutius, strumas significat potius, quam nominat. In edd. nonnullis legitur *ista ilia quae sunt inflata*. Sed *ilia* abest in codd. Lamb. Pall. omnibus Franc. Erf. et edd. pr.

*De altero consulatu gerendo*) Ernesti. *petendo*.

*Te vix*) Vulgo *tunc te vix*. Particulam *tunc* auctore Ernestio delevi. Non enim bene respondet antecedenti tempori *sit — factus*.

*Sed consulis*) *Consulum* cod. Erf. quod nescio cur Graevius magis probandum existimaverit.

*Extremum adhaesisse?*) Extremo loco, post ceteros omnes, ultimum e quaestoribus designatum. Erant autem lege Sullae quaestores viginti; quum octo antea fuissent. Tac. l. XI. Man.

*Magno clamore aquaria provincia*) Magno clamore in provinciarum sortitione dicit Vatinio provinciam aquariam obtigisse, ad cuius procurationem et munus pertinebat quidquid mari evehebatur, aut importabatur.

ut inde aurum exportari argentumque prohiberes? In eo negotio, quum te non custodem ad continendas, sed portitorem ad partiendas merces missum putares, quumque omnium domos, apothecas, naves, furacissime scrutarere, hominesque negotia gerentes iudiciis iniquissimis irretires, mercatores e navi egredientes terreres, conscendentes morarere: teneasne memoria, tibi in conventu Puteolis manus esse allatas? ad me consulem Puteolanorum querelas esse delatas? Post quaesturam exierisne legatus in ulteriorem Hispaniam, C. Cosconio proconsule? quum illud iter hispaniense pedibus fere confici soleat, aut, si quis navigare velit, certa sit ratio navigandi: venerisne in Sardiniam, atque inde in Africam? fuerisne, quod sine senatusconsulto tibi facere non licuit, in regno Hiempsalis? fuerisne in regno Mastanesosi? venerisne ad fretum per Mauritaniam? quem scias unquam legatum Hispaniensem istis itineribus in illam provinciam pervenisse?

VI. Factus es tribunus plebis (quid enim te de Hispaniensibus flagitiis tuis, sordidissimisque furtis interrogem?): quaero primum, quod genus improbi-

Ea provincia, quod ob negotiationem et mercaturam quaestuosissima esset, quod negotii et occupationis et molestiae plenissima, nec sane splendida, quum obveniebat cuipiam, populus, qui aderat, succlamabat, ob negotia, furta, rapinas et capturas: quod tum, ut opinor, vehementius fecit, quod obvenisset homini avido et furaci, et improbo. Eandem arbitror Ostiensem quaesturam fuisse, de qua Cicero pro Murena. TURN.

*Aquaria provincia*) Vulgo additur *sorte*, quod hic est post ablativos *magno clamore* incommodum, et a glossatore, quod vidit Ern., inculcatum.

*Ad continendas*) I. e. retinendas si essent in auro et argento. Pro *portitorem* edd. R. Br. 1480, Med. Iunt. *partitorem*. Illud ed. Waldarf. Ald. etc. Sane *portitores* non ad *partiendas* merces mittuntur; verbum autem *partitoris* exprimit Graecum μεριστής in glossis. Si *partitor* verum est, refertur ad avaritiam portitorum et iniurias in mercatores. Sed *partitor* praetulerim. ERN.

*Certa sit ratio navigandi*) Per loca certa, recto cursu. MAN.

*Ad fretum*) Herculeum. HOTOM.

*Quaero primum*) Sic cod. Erf. Franc. I, edd. pr. Alii *quaero abs te*

tatis et sceleris in eo magistratu praetermiseris? Ac tibi iam inde praescribo, ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas. Ego te, quaecumque rogabo, de te ipso rogabo, neque te ex amplissimi viri dignitate, sed ex tuis tenebris extraham; omniaque mea tela sic in te coniicientur, ut nemo per tuum latus (quod soles dicere) saucietur: in tuis pulmonibus ac visceribus haerebunt. Et, quoniam omnium rerum magnarum a diis immortalibus principia ducuntur, volo ut mihi respondeas, tu, qui te Pythagoricum soles dicere, et hominis doctissimi nomen tuis immanibus et barbaris moribus praetendere; quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor, ut, quum inaudita ac nefaria sacra susceperis, quum inferorum animas elicere, quum puerorum extis deos manes mactare soleas, auspicia, quibus haec urbs condita est, quibus omnis respublica atque imperium tenetur, contempseris, initioque tribunatus tui senatui denuntiaris, tuis actionibus augurum responsa atque eius collegii arrogantiam impedimento non futuram? Secundum ea quaero, servarisne in eo fidem? num quando tibi moram attulerit, quo minus concilium advocares, legemque ferres, quod eo die scires de caelo esse servatum?

VII. Et, quoniam hic locus unus est, quem tibi

*primum*. In cod. S. Victor. *quaero abs te primum universe*, quod receptum in ed. Grut. Graev.

*Cum clarissimorum virorum splendore*) C. Caesarem significat, quo consule tribunus pl. Vatinius fuit. MAN. Ceterorum tribunorum novem, quos scelerum suorum socios fuisse dicebat. HOT.

*Ex amplissimi viri dignitate*) scil. Caesaris.

*Sacra*) Intelligit hoc loco sacra privata, quae quisque sibi privatim facere poterat. GOV.

*Mactare*) Placare. Quo tamen sensu nusquam praeterea memini me legisse. MAN. Nonius Marcellus interpretatur, *honorare*. Plautus in Amphitr. sc. 4, act. 2, ubi Mercurium et Amphitruonem ita loquentes inducit: M. *Sacrifico ego tibi*. A. *Qui?* M. *Quia enim te macto*. ABRAM.

cum Caesare communem esse dicas: seiungam te ab illo, non solum reipublicae causa, verum etiam Caesaris, ne qua ex tua summa indignitate labes illius dignitati adspersa videatur. Primum quaero, num tu senatui causam tuam permittas, quod facit Caesar? deinde, quae sit auctoritas eius, qui se alterius facto, non suo defendat? deinde (erumpet enim aliquando ex me vera vox, et dicam sine cunctatione, quod sentio), si iam violentior aliqua in re C. Caesar fuisset, si eum magnitudo contentionis, studium gloriae, praestans animus, excellens nobilitas aliquo impulisset, quod in illo viro et tum ferendum esset, et maximis rebus, quas postea gessit, obliterandum: id tu tibi, furcifer, sumes, et Vatinii latronis ac sacrilegi vox audietur, hoc postulantis, ut idem sibi concedatur, quod Caesari? Sic enim ex te quaero. Tribunus plebis fuisti; seiunge te a consule; collegas habuisti viros fortes novem. Ex his tres erant, quos tu quotidie sciebas servare de caelo, quos irridebas, quos privatos esse dicebas, de quibus duos praetextatos sedentes vides, tertium scis ex illo obsesso atque afflicto tribunatu consularem auctoritatem hominem esse adolescentem consequutum. Reliqui sex fuerunt;

*Quod facit Caesar*) Suetonius in D. Iulio: « Functus, inquit, Caesar consulatu, referentibus C. Memmio, L. Domitio Praetoribus, de actis superioris anni cognitionem senatui detulit. »

*Seiunge te a consule*) MS. Erf. *a consulibus*; quod placebat Graevio, nescio quare; nam alter consul Bibulus non huc pertinet, nec aliquam cum Vatinio coniunctionem habuit. Ern.

*Duos praetextatos sedentes vides*) Hic in MSS. et edd. adduntur ista: *te aediliciam praetextam togam quam frustra confeceras vendidisse*. Sed haec verba h. l. sententiarum nexum moleste turbant. Equidem ea transposui post verba: *quem tu disrumperis quum aedilicium vides*, ubi locum suum facile tueutur, unde casu quodam reiecta sunt. — Recte, ut puto. T.

*Consularem auctoritatem*) Haec ita interpretatur Graevius: Fannium, propter tribunatum iam constanter et praeclare bono reip. gestum, tantam sibi apud optimates auctoritatem peperisse, ac si fuisset consul. T.

ex quibus partim plane tecum sentiebant, partim medium quendam cursum tenebant; omnes habuerunt leges promulgatas: in his multas meus necessarius, etiam de mea sententia, C. Cosconius, iudex noster: quem, tu disrumperis, quum aedilicium vides, te aediliciam praetextam togam, quam frustra confeceras, vendidisse. Volo uti mihi respondeas, num quis ex toto collegio legem sit ausus ferre, praeter unum te? Quae tanta in te fuit audacia, quae tanta vis, ut, quod novem tui collegae sibi timendum esse duxerint, id unus tu, emersus e coeno, omnium facile omnibus rebus infimus, contemnendum, despiciendum, irridendum putares? Num quem post urbem conditam scias tribunum plebis egisse cum plebe, quum constaret servatum esse de caelo? Simul etiam illud volo uti respondeas, quum, te tribuno plebis, esset etiam tum in republica lex Aelia et Fufia; quae leges saepenumero tribunicios furores debilitarunt et represserunt; quas contra, praeter te, nemo unquam est facere conatus (quae quidem leges anno post, sedentibus in templo duobus non consulibus, sed proditoribus huius civitatis ac pestibus, una cum auspiciis, cum intercessionibus, cum omni iure publico conflagraverunt): ecquando dubitaris contra eas leges cum plebe agere, et concilium convocare? num quem ex tribunis plebis, quicumque seditiosi fuerint, tam audacem audieris fuisse, ut unquam contra legem Aeliam aut Fufiam concilium advocaret?

VIII. Quaero illud etiam ex te, conatusne sis, voluerisne, denique cogitaris (est enim res eiusmodi, ut,

*Te aediliciam praetextam togam — vendidisse*) Scil. quia in aedilitatis petitione repulsam tulerat.

*Ut quod*) Sic Goveanus, Abramus, Ern. legendum esse viderunt. Vulg. *ut quum*.

*Proditoribus — ac pestibus*) Pisone et Gabinio, A. V. 695 consulatum gerentibus.

si tibi modo in mentem venit, nemo sit, qui te ullo cruciatu esse indignum putet), cogitarisne, in illo tuo intolerabili, non regno (nam cupis id audire), sed latrocinio, augur fieri in Q. Metelli locum? ut, quicumque te adspexisset, duplicem dolorem gemitumque susciperet, et ex desiderio clarissimi et fortissimi civis, et ex honore turpissimi atque improbissimi? adeone non labefactam rempublicam te tribuno, neque conquassatam civitatem, sed captam hanc urbem atque eversam putaris, ut augurem Vatinium ferre possemus? Hoc loco quaero, si, id quod concupieras, augur factus esses: in qua tua cogitatione nos, qui te oderamus, vix dolorem ferebamus, illi autem, quibus eras in deliciis, vix risum tenebant; sed quaero, si ad cetera vulnera, quibus putasti rempublicam deleri, hanc quoque mortiferam plagam inflixisses auguratus tui, utrum decreturus fueris id, quod augures omnes usque a Romulo decreverunt, Iove fulgente cum populo agi nefas esse, an, quia tu semper sic egisses, auspicia fueris augur dissoluturus?

IX. Ac, ne diutius loquar de auguratu tuo, quod invitus facio, ut recorder ruinas reipublicae (neque enim tu unquam, stante non modo maiestate horum, sed etiam urbe, te augurem fore putasti): verumtamen, ut somnia tua relinquam, ad scelera veniam; volo uti mihi respondeas: quum M. Bibulum consulem, non dicam bene de republica sentientem, ne tu mihi homo potens irascare, qui ab eo dissensisti; sed hominem certe nusquam progredientem, nihil in

*In mentem venit*) Ern. malebat *venerit.*

*Eversam putaris*) Recte sic Ern. edidit pro vulg. *putares.*

*Quibus putasti rempublicam deleri*) Lambin. maluit *quibus putasti posse rem publ. deleri.* Ernestius: *quibus p. r. deletum iri.*

*Ad scelera veniam*) Ern. malebat *facinora.*

*Nusquam progredientem*) Facete. Nam quum laudare videatur Bibuli

republica molientem, tantum animo ab actionibus tuis dissentientem: quum eum tu consulem in vincla duceres, et a tabula Valeria collegae tui mitti iuberent: fecerisne ante Rostra pontem, continuatis tribunalibus, per quem consul populi romani moderatissimus et constantissimus, sublato auxilio, exclusis amicis, vi perditorum hominum incitata, turpissimo miserrimoque spectaculo, non in carcerem, sed ad supplicium et ad necem duceretur? Quaero, num quis ante te tam fuerit nefarius, qui id fecerit? ut sciamus, utrum veterum facinorum sis imitator, an inventor novorum. Idemque tu quum his atque huiusmodi consiliis ac facinoribus, nomine C. Caesaris, clementissimi atque optimi viri, scelere vero atque audacia tua, M. Bibulum foro, curia, templis, locis publicis omnibus expulisses, inclusum domi contineres; quumque non maiestate imperii, non iure legum, sed ianuae praesidio et parietum custodiis consulis vita tegeretur: miserisne viatorem, qui domo

---

COMMENTARIVS ANTIQVVS, QVI VIDETVR ASCONII PEDIANI, AB ANG. MAIO EX PALIMPSESTIS PRIMVM EDITVS.

....ral ostentui vulgo.

CAP. IX. *Consul populi R.* etc.) Magnum cumulum fecit invidiae et a persona quod consulem, et ab eius moribus, et quod prohibito amicorum praesidio, et per violentiam seditiosae multitudinis opprimere conatus sit modestiam, nolat illud tempus, quum per vim foro pulsus, armorum metu domi se tenuit. Infra. MAN.

*Et a tabula Valeria*) I. e. quum ad Valeriam tabulam ventum esset, ab illo inde loco dimitti iussere tribuni plebis. Hoc exquisitius quam *ad tabulam Valeriam*, ut legendum suspicatur Graevius e cod. Erf. in quo est *ad tabula*. ERN.

*Tam fuerit nefarius*) Multos fuisse tribunos pl. ante Vatinium, qui consules in vincula duxerint, compertum est. Mens igitur Ciceronis non est ut neget ante Vatinium consules a Trib. pl. in carcerem fuisse coniectos, sed potius ut affirmet, neminem fuisse tam nefarium, qui a collegis prohibitus non obtemperarit, nec eos, quos in vincula ducebat, tribunorum intercessione dimiserit. ABRAM.

*Qui domo vi extraheret*) Post qui

vi extraheret, ut, quod in privatis semper est servatum, te tribuno plebis, consuli domus exsilium esse non posset?

X. Simulque mihi respondeto tu, qui nos, qui de communi salute consentimus, tyrannos vocas, fuerisne non tribunus plebis, sed intolerandus, ex coeno nescio qui, atque ex tenebris tyrannus? qui primum eam rempublicam, quae auspiciis inventis constituta est, iisdem auspiciis sublatis, conarere evertere; deinde sanctissimas leges, Aeliam et Fufiam dico, quae in Gracchorum ferocitate, et in audacia Saturnini, et in colluvione Drusi, et in contentione Sulpicii, et in cruore Cinnano, etiam inter Sullana arma vixerunt, solus conculcaris, ac pro nihilo putaris; qui consulem morti obieceris, inclusum obsederis, extrahere ex suis tectis conatus sis; qui in eo magistratu non modo emerseris ex mendicitate, sed etiam divi-

eom potissimnm, qui auspicato et rite omnia fieri gestiebat. — *Vt Consuli domus exilium esse non posset*) Non tantum miserabilem fecit hac necessitate M. Bibulum, verum etiam summa invidia laceravit Vatiniom, qui velat damnatam Consulis maiestatem primo in latebras coëgerit, deinde occultantem se ne periculum salutis incideret, extrahere domo sua cootenderit, ut perditorum manibos addieeret, nec habere Consol exilium domi suae tutum posset. — *Eam remp. quae auspiciis constituta est*) Notissimom habemus, auspicante Romalo qui Palatiom ceperat, et Remo qoi Aventinom, priosqoam Roma conderetur auspicia esse capta: primumqoe sex vultures Remum vidisse, dein postea Romulum duodecim. Atque ita et Romam conditam et ipsos reges appellatos: et illum quod prior auspicium coepisset, Romulum vero quod maius. — *Etiam inter Syllana arma vixerunt.*) Leges dicit Aeliam et Fufiam, quae oon sinebant prius aliqoa de re ad populum ferri, qoam comitia haberentor ad designandos magistratus. Saepe harum feci mentionem. Vixisse autem leges dixit, quod multo tolerabilius est quam si . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . ne modum . . . . . . . est mortuas. Quom id dietom ab Hortensio elevasset, pro inepto irrisisse Tullius videbatur.

additur *M. Bibulum*, scil. e glossa; quod vidit Ern.

*Te tribuno plebis*) Vulgo *id te tribuno*. Sed pronomen *id* orationem turbat; itaqoe Ern. corrigebat *id te tribuno plebis tolleretur et consuli*.

*Ex coeno nescio qui*) Edd. nonnullae vett. *ex coeno nescio quo*.



tiis nos iam tuis terreas: fuerisne tanta crudelitate, ut delectos viros et principes civitatis tollere et delere tua rogatione conareris? Quum L. Vettium, qui in senatu confessus esset, se cum telo fuisse, Cn. Pompeio, summo et clarissimo civi, suis manibus necem offerre voluisse, in concionem produxeris, indicem in Rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris: quo, auctoritatis exquirendae causa, ceteri tribuni plebis principes civitatis producere consueverunt, ibi tu indicem Vettium linguam et vocem suam sceleri et menti tuae praebere voluisti, ut diceret in concione tua, rogatus a te, se auctores, et impulsores, et socios habuisse sceleris illius eos viros, quibus e civitate sublatis, quod tu eo tempore moliebare, civitas stare non posset? M. Bibulum, cuius inclusione contentus non eras, quem interficere volueras, spoliaveras consulatu, patria privare cupiebas; L. Lucullum, cuius tu rebus gestis, quod ipse ad imperatorias laudes a puero videlicet spectaras, vehementius invidebas; C. Curionem, perpetuum ho-

— *Fuerisne tanta crudelitate* etc.) De hoc tempore locuti sumus in oratione quae hanc praecedit, L. Vettium perditum hominem instinctu Vatini professum esse apud senatum, se indicaturum, plerosque nobilissimos viros de interficiendo Pompeio inisse coniurationem. Id nempe negotium sibi mandatum. Hunc tamen Vettium in carcerem coniectum ipsis potissimum auctoribus, qui eum ad mendacium subornassent.

Cap. X. *C. Curionem perpetuum hostem improborum.*) Et hunc L. Vettius nominasse inter ceteros videbatur veluti mandatae in Pompeium caedis

*Tua rogatione*) Vt quaereretur in eos, quos Vettius nominasset. Quam rogationem promulgavit, non tulit, omnium mortalium convicio repudiatam. Man.

*Offerre*) Alii *afferre.*

*Auctoritatis exquirendae causa*) Ante quam lex ferretur, clari viri a tribuno pl., qui rogationem laturus erat, in Rostra producti, rogatique ut dicerent quid sentirent, suadebant, dissuadebantve legem. Id.

*Vt diceret*) Vulgo inseritur *L. Vettius*, quod e glossa fluxisse recte indicavit Ern.

*Quem interficere volueras*) Addidi *quem* vulgo omissum ad sublevandam verborum constructionem.

stem improborum omnium, auctorem publici consilii, libertate communi tuenda maxime liberum, cum filio principe iuventutis, cum republica coniunctiore etiam, quam ab illa aetate postulandum fuit, delere voluisti. L. Domitium, cuius dignitas et splendor praestringebat, credo, oculos Vatinii, quem tu propter commune odium in bonos oderas, in posterum autem, propter omnium spem, quae de illo est atque erat, ante aliquanto timebas; L. Lentulum hunc iudicem nostrum, flaminem Martialem, quod erat eo tempore Gabinii tui competitor, eiusdem Vettii indicio opprimere voluisti; qui si tum illam labem pestemque vicisset, quod ei tuo scelere non licuit, respublica victa non esset; huius etiam filium eodem indicio et crimine ad patris interitum aggregare voluisti; L. Paullum, qui tum quaestor Macedoniam obtinebat, quem civem? quem virum? qui duos nefarios patriae proditores, domesticos hostes, legibus exterminarat, hominem ad conservandam rempublicam natum, in idem Vettii indicium, atque in eundem hunc numerum congregasti. Quid ego de me querar? qui etiam gratias tibi agere debeo, quod me ex fortissimorum civium numero seiungendum non putaris. Sed qui fuit ille tuus tantus furor, ut, quum iam Vettius ad arbitrium tuum perorasset, et civitatis lumina notasset, descendisset-

auctorem. Qui tamen Curio honorifice nunc a Tullio nominatur, quum vehementer et aspere laceratus sit ab eodem in oratione, qua et ipsum et P. Clodium lacessivit. — *Qui duos nefarios patriae proditores* etc.) De L. Aemilio Paulo dicit, qui consulatum postea cum C. Marcello gessit ante annum quam bellum civile Pompei et Caesaris exardesceret. Hic igitur Paulus accusare instituerat de vi L. Catilinam, et, ut quidam memoriae tradiderunt, C. Cethegum. Sed enim Catilina deficiens ab rep. se ad arma contulerat. Cethegus quoque in eadem coniuratione consumtus est.

*Qui si tum illam labem pestemque vicisset*) Scil. in petitione consulatus ut ipse crearetur, non Gabinius; sed malis artibus Vatinii factum est, ut Gabinius crearetur. Ern.

que de Rostris, eum repente revocares, colloquerere, populo romano vidente? deinde interrogares, ecquosnam alios posset nominare? inculcaresque, ut C. Pisonem, generum meum, nominaret: qui in summa copia optimorum adolescentium, pari continentia, virtute, pietate reliquit neminem? itemque M. Laterensem, hominem dies atque noctes de laude et de republica cogitantem? promulgarisne, impurissime et perditissime hostis, quaestionem de tot amplissimis et talibus viris, indicium Vettio, praemia amplissima? quibus rebus omnium mortalium non voluntate sed convicio repudiatis, fregerisne in carcere cervices ipsi illi Vettio, ne quod indicium corrupti indicii exstaret, eiusque sceleris in te ipsum quaestio flagitaretur?

XI. Et quoniam crebro usurpas, legem te de alternis consiliis reiiciendis tulisse: ut omnes intelligant, te ne recte quidem facere sine scelere potuisse, quaero, quum lex esset aequa promulgata initio magistratus, multas etiam alias tulisses, exspectarisne, dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum Clodianum? et

*Inculcaresque*) Auctore Ern. sic rescripsi *inculcaresque;* nam pendet hnc ab antecedentibns. Vulgo *inculcarisne?*

*Promulgarisne*) Ante *promulgarisne* excidisse videtur: *Quaero illud etiam*, vel simile quid.

*Indicium Vettio*) Olim edebatur *indici Vettio*, quod probabat Olivetus. Typ.

*De alternis consiliis reiiciendis*) Tulit hanc legem Vatinius, ut reus, et accusator omnes iudices, et quaesitorem ipsum semel possent reiicere, neque tamen suae legis beneficio uti possent ii, quorum nomen delatum fuisset ante legem latam. Fern.

*Exspectarisne*) Non statim elapso trinundino legem illam tulit Vatinius, sed exspectavit, donec reus fieret C. Antonius, Ciceronis collega in consulatu, statimque tulit. Id autem se fecisse dicebat in gratiam Q. Fabii, qui consul deinde fuit cum C. Trebonio. Id.

*Apud Cneium Lentulum Clodianum?*) Vict. et Man. *apud Cneium Lentulum, et Q. Claudium?* quod sic interpretatur Ferratius: idcirco duorum praetorum fieri mentionem, quia damnatus est Antonius, tum de maiestate, accusante Caelio; tum de repetundis, accusante Q. Fabio Maximo. Videtur Manutius idem velle.

posteaquam ille est reus factus, statim tuleris [in eum], *qui tuam post legem reus factus esset:* ut homo consularis exclusus, miser puncto temporis spoliaretur beneficio et aequitate legis tuae? Dices, familiaritatem tibi fuisse cum Q. Maximo. Praeclara defensio facinoris tui. Nam Maximi quidem summa laus est, sumptis inimicitiis, suscepta causa, quaesitore consilioque delecto, commodiorem inimico suo conditionem reiectionis dare noluisse: nihilque Maximus fecit alienum aut sua virtute, aut illis viris clarissimis, Paullis, Maximis, Africanis; quorum gloriam huius virtute renovatam non modo speramus, verum etiam iam videmus. Tua fraus, tuum maleficium, tuum scelus illud est, te id, quod promulgasses misericordiae nomine, ad crudelitatis tempus distulisse. Ac nunc quidem C. Antonius hac una re miseriam suam consolatur, quod imagines patris et fratris sui, fratrisque filium, non in familia, sed in carcere collocatas audire maluit, quam videre.

Cap. XI. *Spoliaretur beneficio et aequitate legis tuae.*) Legem quidem hanc non improbabilem videbatur P. Vatinius in tribunatu suo perrogasse, ut alternorum iudicum reiectio fieret. Sed acute detrahit et laudem quam de aequitate legis consequi poterat, eo scilicet quod egerit, ut C. Antonius, qui collega M. Tulli fuerat in consulatu, ante reus fieret, accusantibus Q. Fabio Maximo et M. Caelio Rufo, quam lex Vatinia de reiectione iudicium perferretur: ut posset aequissimo iudicio reus Antonius ea feriri; quum praesertim esset illi Vatinius adfinitate coniunctus. Nam filiam M. Antonii fratris eius habuerat in matrimonio. (*Ceterum de hac Vatinii lege vid.* Ang. Maii et Schutzii *ad hunc locum adnotationes, quas in fine voluminis reperies.* Typ.).

*In eum — esset*) Verba haec Passeratius spuria putabat; Ernestius tantum verba *in eum* ut inutilia uncis inclusit.

*Q. Maximo*) Accusatore C. Antonii cui gratum facere Vatinius voluit. E.

*Miseriam suam*) Damnationis et exsilii.

*In carcere*) Carcerem appellat Vatinii domum, in quam Antoniorum imagines, ducta Antonia, Vatinius transtulit, ademptas fortasse C. Antonio post damnationem. Man.

*Collocatas*) Graev. e cod. Erf. *collocatam.*

XII. Et quoniam pecunias aliorum despicis, de tuis divitiis intolerantissime gloriaris, volo uti mihi respondeas, feceris ne foedera tribunus plebis cum civitatibus, cum regibus, cum tetrarchis? erogarisque pecunias ex aerario tuis legibus? eripuerisne partes illo tempore carissimas partim a Caesare, partim a publicanis? Quae quum ita sint, quaero ex te, sisne ex pauperrimo dives factus illo ipso anno, quo lex lata est de pecuniis repetundis acerrima: ut omnes intelligere possent, a te non modo nostra acta, quos tyrannos vocas, sed etiam amicissimi tui legem esse contemptam. Apud quem tu etiam nos criminari soles, qui illi sumus amicissimi, quum tu ei contumeliosissime toties maledicas, quoties illi affinem te esse dicis.

XIII. Atque illud etiam scire ex te cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arrii, familiaris mei, cum toga pulla accumberes? quem

Cap. XII. *Illo ipso anno quod lex* etc.) Locupletatum interversa pecunia P. et spoliatis etiam publicanis Vatinium dicit, ut ex paupertate ad summas divitias perveniret, non sine quadam *cautione* ne Caesarem *offenderet*, cui acceptissimus erat: eo, inquit, anno ditatus est, quo lex de pecuniis repetundis lata est ab ipso, scilicet Caesare, ut videatur et ille impudenter Vatinio favere contra leges etiam Iulias committenti. — *Cui totiens maledicas* etc.) Propter matrimonium videlicet Antoniae, quam Vatinius habuit uxorem. Nec ignoramus C. Caesari fuisse quandam cum illis adfinitatem: quippe M. Antonius, qui postea triumvir fuit, matre Iulia censebatur C. Caesaris sorore. — *Ut in epulo Q. Arii* etc. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .

*Reliqua desiderantur.*

*Eripuerisne partes*) Manutius intelligit, *Munus*, *curationem*, *dispensationem aerarii*, *quae ad Caesarem Consulem*, *qui de dividendo agro Campano legem tulerat*, *pertinebat*. Malim ego cum Goveano sic explicare, ut a Caesare magnam pecuniae vim eripuerit Vatinius, ut eius actiones iuvaret: a publicanis vero pecuniam emunxerit, ut remissionem petentes iuvaret. Abr. Vide Turneb. Adv. XXI, 21.

*Qui illi sumus amicissimi*) C. Caesaris, quem tu tibi amicissimum soles dicere. Hot.

*In epulo Q. Arrii*) Epulum populo dedit, ad honorem patris mortui, in templo Castoris: ut infra. Man.

*Cum toga pulla*) Quum ceteri accumberent albati. Id.

unquam videris? quem audieris? quo exemplo, quo more feceris? Dices, supplicationes te illas non probasse. Optime. Nullae fuerint supplicationes. Videsne, me nihil de anni illius causa, nihil de eo, quod tibi cum summis viris commune esse videatur, sed de tuis propriis sceleribus ex te quaerere? Nulla supplicatio fuerit: cedo, quis unquam coenarit atratus? Ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulae quidem ipsae, dignitatis. Sed omitto epulum populi romani, festum diem, argento, veste, omni apparatu ornatuque visendo: quis unquam in luctu domestico, quis in funere familiari coenavit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, praeter te, toga pulla unquam data est? Quum tot hominum millia accumberent, quum ipse epuli dominus, Q. Arrius, albatus esset; tu in templum Castoris te cum C. Fidulo atrato ceterisque tuis furiis funestum intulisti. Quis tum non ingemuit? quis non doluit reipublicae casum? quis sermo alius in illo epulo fuit, nisi, hanc tantam et tam gravem civitatem, subiectam esse non modo furori, verum etiam irrisioni tuae? Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum videras? nunquam puer aut adolescens inter coquos fueras? Fausti, adolescentis nobilissimi, paulo ante ex epulo magnificentissimo famem illam veterem tuam non expleras? Quem accumbere atratum videras, dominum cum toga pulla, et eius amicos ante convivium? Quae te tanta tenuit

*Supplicationes te illas non probasse*) Quia decretae essent a senatu, referente, ut opinor, Bibulo consule. Epulum enim publicum sine sacrificio non dabatur, nec sine supplicatione sacrificium erat. Festus autem et supplicationis, et epuli dies. Id.

*Anni illius*) quo Caesar consul.

*In templum Castoris*) Opinor magistratus et senatores, aut etiam equites Romanos in templo, reliquam plebem in foro coenasse. Man.

*Quem accumbere atratum videras — ante convivium*) Locus hic vitiosus esse videtur. *Cum toga pulla* quidem manifeste est glossa v. *atratus*. Ern.

amentia, ut tu, nisi id fecisses, quod fas non fuit, nisi violasses templum Castoris, nomen epuli, oculos civium, morem veterem, eius, qui te invitarat, auctoritatem, parum putares testificatum esse, supplicationes te illas non putare?

XIV. Quaero illud etiam ex te, quod privatus admisisti; in quo certe iam tibi dicere non licebit, cum clarissimis viris causam tuam esse coniunctam: postulatusne sis Licinia et Iunia? edixeritne C. Memmius praetor ex ea lege, ut adesses die tricesimo? quum is dies venisset, fecerisne, quod in hac republica non modo factum ante nunquam esset, sed in omni memoria sit omnino inauditum? appellarisne tribunos plebis, ne causam diceres? levius dixi; quamquam id ipsum esset et novum et non ferendum: sed appellarisne nominatim pestem illius anni, furiam patriae, tempestatem reipublicae, Clodium? qui tamen, quum iure, quum more, quum potestate iudicium impedire non posset, rediit ad illam vim et furorem suum, ducemque se militibus tuis praebuit. In quo, ne quid a me dictum in te potius putes, quam abs te esse quaesitum; nullum onus imponam mihi testimonii: quae mihi brevi tempore ex eodem isto loco video esse dicenda, servabo, teque non arguam, sed, ut in ceteris rebus feci, rogabo. Quaero ex te, Vatini, num quis in hac civitate post urbem conditam tribunos plebis appellarit, ne causam diceret? num quis reus in tribunal sui quaesitoris adscenderit, eumque vi deturbarit? subsellia dissiparit? urnas delegerit? eas denique omnes res in iudicio disturbando commiserit, quarum rerum causa iudicia sunt constituta? sciasne tum fugisse Memmium? accusatores esse tuos

*Factum ante nunquam esset*) Sic Ernest. Vulg. *est*.

de tuis tuorumque manibus ereptos? iudices quaestionum de proximis tribunalibus esse depulsos? in foro, luce, inspectante populo romano, quaestionem, magistratus, morem maiorum, leges, iudices, scelerum poenam esse sublatam? haec omnia sciasne diligentia C. Memmii publicis tabulis esse notata atque testata? Atque illud etiam quaero, quum, posteaquam es postulatus, ex legatione redieris, ne quis te iudicia defugere arbitraretur; teque, quum tibi, utrum velles, liceret, dictitaris, causam dicere maluisse: qui consentaneum fuerit, quum legationis perfugio uti noluisses, appellatione improbissima te ad auxilium nefarium confugisse?

XV. Et quoniam legationis tuae facta mentio est, volo etiam audire de te, quo tandem senatusconsulto legatus sis? de gestu intelligo quid respondeas: tua lege, dicis. Esne igitur patriae certissimus parricida? sperabasne id, ut patres conscripti ex republica funditus tollerentur? ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi sordidum consilium publicum visum est? adeo afflictus senatus, adeo misera et prostrata respublica, ut non nuntios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis senatus more maiorum deligere posset? Eri-

*Quum, posteaquam*) *Quum* Ernestius recte reposuit pro vulg. *quod.*

*Ex legatione redieris*) Legatus cum Caesare in Galliam ivit: deinde, accusatus lege Licinia et Iunia, ne iudicium iure legationis defugisse videretur, in urbem rediit. Abr.

*Liceret*) Iure legationis. Nam qui reipublicae causa abesset, eum ne vocare in iudicium liceret, Memmia lege sancitum erat. Val. Max. III, 7. Idem.

*Sperabasne*) Edd. pr. *speraverasne.* Alii *sperasne.* Grut. e MSS. *spectarisne.* Sed verum est quod Ern. reposuit *sperabasne.* Sequitur enim *relinquebas.*

*Curatores*) Gulielm. malebat *oratores.*

pueras senatui provinciae decernendae potestatem, imperatoris deligendi iudicium, aerarii dispensationem: quae nunquam sibi populus romanus appetivit, qui nunquam haec a summi consilii gubernatione auferre conatus est. Age, factum est horum aliquid in aliis; raro, sed tamen factum est, ut populus deligeret imperatorem. Quis legatos unquam audivit sine senatusconsulto? ante te nemo; post continuo fecit idem in duobus prodigiis reipublicae Clodius: quo etiam maiore es malo mactandus, quod non solum facto tuo, sed etiam exemplo rempublicam vulnerasti: neque tantum es improbus ipse, sed etiam alios docere voluisti.

Atque illud etiam audire a te cupio: quare, quum ego legem de ambitu ex senatusconsulto tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, salva lege Aelia et Fufia, tu eam esse legem non putes; praesertim quum ego legibus tuis, quoquo modo latae sint, paream: quum mea lex dilucide vetet, BIENNIO, QVO QVIS PETAT, PETITVRVSVE SIT, GLADIATORES DARE, NISI EX TESTAMENTO PRAESTITVTA DIE: quae tanta in te sit amentia, ut in ipsa petitione gladiatores audeas dare? num quem putes illius tui certissimi gladiatoris similem tribunum plebis posse reperiri, qui se interponat, quo minus reus lege fias?

*In duobus prodigiis reipublicae*) In Pisone et Gabinio coss. quibus et provincias, et legatos lege sua Clodius dedit. ABR.

*Mactandus*) Quod malebat Pantagathus in nonnullis etiam libris MSS. reperiri testatus Vrsinus.

*BIENNIO, QVO QVIS PETAT, PETITVRVSVE SIT*) Id Cicero fecit eo consilio, quia gladiatores dabantur, ut eo munere populus delinitus faveret iis, qui dedissent, in petitione magistratuum. ABR.

*NISI EX TESTAMENTO*) Nisi moriens aliquis testamento mandasset, uti certo quodam tempore gladiatores darentur. Qua ratione haerere in eo culpa non poterat, qui petens, aut brevi petiturus magistratum, eos ex testamento daret. ID.

*Illius tui*) Clodii tribuni pl. qui, Vatinio apud Memmium praetorem accusato, iudicium per vim sustulit. IDEM.

XVI. Ob hasce omnes res, sciasne te severissimorum hominum, Sabinorum, fortissimorum virorum, Marsorum et Pelignorum, tribulium tuorum iudicio notatum, nec post Romam conditam, praeter te, tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidisse? Ac si haec omnia contemnis ac despicis, quod ita tibi persuaseris, ut palam dictitas, te, diis hominibusque invitis, amore in te incredibili quodam C. Caesaris, omnia quae velis, consequuturum: ecquid audieris, ecquisnam tibi dixerit, C. Caesarem nuper Aquileiae, quum de quibusdam esset mentio facta, dixisse, C. Alfium praeteritum permoleste tulisse, quod in homine summam fidem probitatemque cognosset, graviterque etiam se ferre, praetorem aliquem esse factum, qui a suis rationibus dissensisset? tum quaesisse quendam, de Vatinio quemadmodum ferret; ipsum respondisse, Vatinium in tribunatu gratis nihil fecisse; qui omnia in pecunia posuisset, honore animo aequo carere debere? Quod si ipse, qui te, suae dignitatis augendae causa, periculo tuo, nullo suo delicto, ferri praecipitem est facile passus, tamen te omni honore indignissimum iudicat; si te vicini, si affines, si tribules ita oderunt, ut repulsam tuam triumphum suum duxerint; si nemo adspicit, quin ingemiscat; nemo mentionem facit, quin exsecretur; si vitant, fugiunt, audire de te nolunt; quum viderunt, tanquam auspicium malum detestantur; si cognati respuunt, tribules exsecrantur, vicini metuunt, affines erubescunt, strumae denique ab ore improbo demigrarunt, et aliis iam se locis collocarunt; si es odium

*Si affines*) Haec addidit Gruterus e MSS.

*Strumae denique — collocarunt*) Haec Ciceronis causa abesse mallem. Ac fortasse sunt ab alio interpolata. A collo certe Vatinii strumas haud recessisse patet c. 2, ubi ad testimonium dicendum *inflato collo, tumidis*

publicum populi, senatus, universorum hominum rusticanorum: quid est, quam ob rem praeturam potius exoptes, quam mortem? praesertim quum popularem te velis esse, neque ulla in re populo gratius facere possis?

XVII. Sed, ut aliquando audiamus, quam copiose mihi ad rogata respondeas, concludam iam interrogationem meam, teque in extremo pauca de ipsa causa rogabo. Quaero, quae tanta in te vanitas, tanta levitas fuerit, ut in hoc iudicio T. Annium iisdem verbis laudares, quibus eum laudare et boni viri et boni cives consueverunt, quum in eundem nuper, ab eadem illa teterrima furia productus ad populum, cupidissime falsum testimonium dixeris? An erit haec optio et potestas tua, ut, quum Clodianas operas et facinorosorum hominum et perditorum manum videris, Milonem, dicas, id quod in concione dixisti, gladiatoribus et bestiariis obsedisse rempublicam; quum autem ad tales viros veneris, non audeas civem singulari virtute, fide, constantia vituperare? Sed, quum T. Annium tantopere laudes, et clarissimo viro nonnullam laudatione tua labeculam adspergas (in illorum enim numero mavult T. Annius esse, qui a te vituperantur), verum etiam quaero, quum in republica administranda T. Annio cum P. Sextio consiliorum omnium societas fuerit, id quod non solum bonorum, verum etiam improborum iudicio declaratum est; est enim reus uterque ob eandem causam, et eodem crimine; alter die dicta ab eo, quem tu

*cervicibus* dicitur accessisse. Quidquid sit, totum illud est inficete dictum et Ciceronis ingenio indignum.

*Ad rogata respondeas*) Sic Grut. alii e codd. Pal. nono, S. Vict. Erf. Olim *interrogata*.

*Alter die dicta*) Milo a P. Clodio. Abr. — *Nonnunquam*) Addit *nonnunquam*, quasi Vatinius ita hanc improbitatis laudem affectet, vix ut ab eo extorqueri possit, ut aliquem se ipso improbiorem esse fateatur. Gryt.

unum improbiorem esse, quam te, nonnunquam soles confiteri; alter tuis consiliis, illo tamen adiuvante: quaero, qui possis eos, quos crimine coniungis, testimonio disiungere? Extremum illud est, quod mihi abs te responderi velim: quum multa in Albinovanum de praevaricatione diceres, dixerisne, nec tibi placuisse, nec oportuisse Sextium de vi reum fieri? quavis lege, quovis crimine accusandum potius fuisse? etiam illud dixeris, causam Milonis, fortissimi viri, coniunctam cum hoc existimari? quae pro me a Sextio facta sint, bonis esse grata? Non coarguo inconstantiam orationis ac testimonii tui. Quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas pluribus verbis testimonium dixisti: quicum autem eius causam periculumque coniungis, eum summis laudibus extulisti. Sed hoc quaero, num P. Sextium, qua lege accusandum omnino fuisse negas, ea lege condemnari putes oportere? aut, si te in testimonio consuli nolis, ne quid tibi auctoritatis a me tributum esse videatur, dixerisne in eum testimonium de vi, quem negaris reum omnino de vi fieri debuisse?


*Alter tuis consiliis*) Sextius. Tu enim Albinovanum ad accusandum impulisti. — *Illo*) Clodio. — *Eos*) Milonem, et Sextium.

*Ne quid tibi auctoritatis*) Nemo consulitur, nisi cui aliquid tribuatur; ei vero, qui testimonium dicat, cur quidquam tribuat defensor eius, in quem dicitur? locatur igitur Cicero, quum ait: *Si te in testimonio consuli nolis*: quum ipse sit is, qui nolit eum consulere, ne quid auctoritatis ei tribuisse videatur. Aliquid omnino, quo concludatur interrogatio, videtur desiderari. Man.

# ORATIO

PRO

# M. CAELIO



# ORATIO

PRO

# M. CAELIO

## SVMMARIVM

Antequam argumentum huius orationis exponamus, praemittendam duximus accuratam P. Manutii de vita Caeli narrationem libro octavo Epistolarum Cic. qua Caelii epistolae continentur, praepositam.

» M. Caelius Rufus, plebeii generis, patre equite Romano, Puteolis natus, sumpta virili toga, i. e. annum ingressus XVII, a patre continuo ad Ciceronem deductus est, nondum praetorium, sed eloquentia iam et probitatis opinione clarum; a quo etiam *lectissimus adolescens* appellatus est Verr. IV, 17. In illo aetatis flore quum artibus honestissimis erudiretur, M. Crassi domum frequentavit. Postea fuit assiduus cum Cicerone praetore; candidatumque assectatus est in petitione consulatus. Anno sequenti iterum petenti consulatum Catilinae studuit. Tribunatum plebis gessit Pompeio tertium consule, A. V. 701 (Quaestor fuerat A. V. 696) Milonemque ob necem P. Clodii de vi reum, studiosissime defendit. Qua de re cf. Cic. orat. pro Milone c. 33, Brut. c. 79. Nominant et Appianus (Bell. Civ. II, 22) et Dio (XLII, 45) tribunum plebis, quamquam apud utrumque mendose legitur Caecilius; (quod vitium in recentioribus edd. correctum est) Aedilis curulis fuit (A. V. C. 703) L. Paulo et C. Marcello coss. (A. V. 704 cum M. Antonio Q. Cassio et C. Curione ad Caesarem in castra confugit, quem deinde sequutus est in Hispaniam). Praetor C. Caesare II et P. Servilio coss. (A. V. 705) eloquentiae inprimis operam dedit, locumque inter summos oratores consequutus est. Itaque et auctor dial. de oratoribus et Quintilianus inter eos oratores, qui no-

vissimis reipubl. temporibus maxime floruerint Caelium referunt, sua cuique tributa laude, Ciceroni, Caesari, Caelio, Calvo, Bruto, Asinio, Messalae: Caelii tamen scripta paulo asperiora et antiquitatem redolere visa sunt. De quo sic auctor dial. de oratoribus c. 18: *Ser. Galba et C. Carbo sunt horridi et impoliti et rudes et informes, et quos utinam* imitatus non esset *Calvus* vester aut *Caelius* aut ipse Cicero. Et c. 21: «Quid? ex Caelianis orationibus? nempe hoc placent, in quibus nitorem et altitudinem horum temporum agnoscimus. Sordes autem verborum, et hians compositio, et inconditi sensus redolent antiquitatem, nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea parte laudet qua antiquus est.» It. c. 25: «Apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus suo iure, et prioribus et sequentibus anteponuntur, nec refert, quod inter se specie differant, quum genere consentiant. Adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Caelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et intentior Cicero, omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae ferunt. Quintilian. X, 1: «Multum ingenii in Caelio, et praecipue in accusando multa urbanitas, dignusque vir, cui et mens melior et vita longior contigisset.» Subiungit c. 2: «Quid noceret vim Caesaris, asperitatem Caelii, diligentiam Pollionis, iudicium Calvi quibusdam in locis assumere?» Et lib. XI, c. 1, Caelii verba recitat ex oratione quam de vi reus pro se ipso habuit, de qua et Suetonius meminit in libro de clar. Rhet. c. 2, et Festus mentionem facit. Illa quoque notavimus apud eundem lib. XII, c. 10: *Vim Caesaris, indolem Caelii, subtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messallae, sanctitatem Calvi reperiemus.* Sed audiamus Velleium hist. II, 68, *dum*, inquit, *in acie Pharsalica, Africaque de summa rerum Caesar dimicat, M. Caelius, vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam.* Plus tamen ei facultatis in accusando fuisse, quam in defendendo Quintilianus ostendit VI, 3, quum ait, M. Caelium, quia melius obiiceret crimina, quam defenderet, *bonam dextram, malam sinistram* appellari a Cicerone solitum esse, idque confirmat ipse Cicero his verbis in libro de clar. orat. c. 79: *Eius actionem et splendida, et grandis et eadem inprimis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves eius conciones aliquot fuerunt, acres*

*accusationes tres, eaeque omnes ex reipubl. contentione susceptae; defensiones, etsi illa erant in eo meliora, quae dixi, non contemnendae tamen, saneque tolerabiles.* Tres eius accusationes, quas Cicero appellat, fuere: prima in C. Antonium de maiestate, qui consulatum cum Cicerone gesserat; secunda in Sempronium Atratinum de ambitu, et utramque significat Cicero in hac oratione, qua eum defendit c. 1 et 31; tertia, ut opinor, in C. Laelium, ut ex Quintiliani verbis VI 3 39 mihi videor posse coniicere. Scripsit etiam concionem *de aquis*, quam Frontinus de Aquaeduct art. 76 nominat; eam fuisse non dubito contra aquarios et tabernarios; nam ipse Epist. VIII, 6, *nisi ego*, inquit, *cum tabernariis et aquariis pugnarem, veterum civitatem occupasset.*

» Mores in eo minime cum ingenio conferendi. Iracundissimum appellat Seneca lib. III de ira c. 8. Quintilianus ait l. I. *dignus vir cui mens melior — contigisset.* Cicero Brut. *nec vero M. Caelium praetereundum arbitror, quaecumque eius in exitu vel fortuna, vel mens fuit.* Nequam et prodigum fuisse ex his Velleii verbis intelligitur: *Quum ne a diis quidem servari posset (quippe peior illi res familiaris, quam mens erat), in praetura novarum tabularum auctor extitit.* Eodem pertinent illa Quintiliani I, 6: *Haec* (etymologia) *habet aliquando usum necessarium, quoties interpretatione res, de qua quaeritur, eget: ut quum M. Caelius se esse hominem frugi vult probare, non quia abstinens sit (nam id ne mentiri quidem poterat), sed quia utilis multis, id est fructuosus, unde dicta sit frugalitas.* Impudicum et lascivum (fuisse, certe in utriusque vitii infamiam incurrisse) ostendit oratio Ciceronis. Saltandi artem diligenter didicit, ingenuis indecoram atque inhonestam; cf. Macrob. Saturn. II, 10. — Inconstantis ingenii fuit. Primum tribunus plebis, quo anno P. Clodius a Milone occisus est, optimatum partes defendit. Qua de re sic Cicero in Bruto c. 79: *talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu, et a bonorum causa steterit constantius.* Mox ortis inter Caesarem et Pompeium discordiis neutram in partem inclinare visus est. Id significat Cicero Epp. II, 15: *ipsa republica*, inquit, *nihil mihi est carius; in qua tu non valde te iactas, districtus enim mihi videris esse, quod et bonus civis et bonus amicus es.* Deinde mutata sententia, Caesaris ad partes transiit. Ex quo illud Ciceronis in Bruto: *Hic quum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quomodo*

*discessu meo discessit a sese ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat.* Profectum ad Caesarem cum C. Curione, ut cum ad bellum civile incitaret scripsit Dio lib. XLI. Demum a Caesare ipso descivit; idque quum ipse declarat Epp. Cic. VIII ult. tum vero Velleius his verbis: *Accito Annio Milone, qui non impetrato reditu Iulianis partibus infestus erat, in urbe seditionem, aut magis occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a republica, mox consularibus armis auctore senatu circa Turios oppressus est.* Caesar autem planissime lib. III de B. C. c. 20, 21: « Iisdem temporibus Romae M. Caelius Rufus praetor, causa debitorum suscepta, initio magistratus tribunal suum iuxta C. Trebonii, praetoris urbani, sellam collocavit; et si quis appellasset de aestimatione, et de solutionibus quae per arbitrum fierent, ut Caesar praesens constituerat, fore auxilio pollicebatur. — Ab hoc profectus initio, ne frustra ingressus turpem causam videretur, legem promulgavit, ut sex pensionibus sine usuris creditae pecuniae solvantur. Quum resisteret Servilius consul, reliquique magistratus, et minus opinione sua efficeret, ad hominum excitanda studia, sublata priore lege, duas promulgavit, *unam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit; alteram tabularum novarum impetuque multitudinis in C. Trebonium facto, et nonnullis vulneratis, eum de tribunali perturbavit. De quibus rebus Servilius consul ad senatum retulit, senatusque Caelium ab republica removendum censuit. Hoc decreto eum consul senatu prohibuit, et concionari conantem de Rostris deduxit. Ille, ignominia et dolore permotus, palam se proficisci ad Caesarem simulavit, clam nuntiis ad Milonem missis, qui, Clodio interfecto, eo nomine erat damnatus, atque eo in Italiam revocato, quod, magnis muneribus datis, gladiatoriae familiae reliquias habebat, sibi coniunxit.*

« De obitu Caelii sic idem Caesar cap. 22: *Caelius, profectus, ut dictitabat, ad Caesarem pervenit Turios. Ibi quum quosdam eius municipii sollicitaret, equitibusque Caesaris Gallis atque Hispanis, qui eo praesidii causa missi erant, pecuniam polliceretur, ab iis est interfectus*; cf. Dio lib. XLII; Epit. Liv. lib. CXI. » Hactenus Manutius.

Iam orationis pro Caelio causam et argumentum exponemus. L. Sempronium Atratinum patrem Caelius de ambitu accusaverat. Eius accusationis dolore incensus L. Atratinus filius, una cum L. Herennio Caelium lege Lutatia de vi reum fecit, quod a Clodia P. Clodii sorore aurum ex armario mutuum sumpsisset,

quod L. Lucceii servis daret, per quos Dio Alexandrinus, legatorum ab Alexandrinis Romam missorum princeps, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur; deinde quod eiusdem Clodiae necandae causa venenum parasset.

In exordio miratur ipsis diebus festis ludisque publicis Caelium adolescentem illustri iogenio, indostria, gratia, accusari ab eius filio, quem ipse in iudicium vocarit, et meretriciis opibus (Clodiae) oppugnari; c. 1.

Deinde primum respondet iis, quae accusatores Caelii deformandi causa, et detrahendae dignitatis gratia dixerant. Primum obiectus erat pater, quod aut parum splendidus ipse aut parum pie tractatus a filio diceretur. Deinde obiecerant, municipibus suis non esse Caeliom probatum. Vtrumque refutatur c. 2. Tum quod obiectum erat de pudicitia, id Cicero maledictum esse ait, non accusationem c. 3. Porro accusatores Caelio obiecerant Catilinae familiaritatem; itaque eum Cicero liberat a suspicione, qoa credebatur Catilinariae coniurationis particeps fuisse c. 4-6. Deinde respondet adversariorum reprehensionibus acris alieni et profusi sumptus, itemque semigrationis a patre c. 7 8. Quo loco iudices hortatur, ut caveant, ne tam iratis testibus credant c. 8 9; simulque laudat Crassum, qood graviter et ornate etiam partem causae tractaverit, qoae erat de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, de bonis Pallae, aitqoe se velle ab eodem etiam de Dione dictum esse; c. 10.

Iam convertitur oratio ad L. Herennium, qoi multa de Caelii incontinentia intemperantiaque eiusque deliciis disseruerat, et multis verbis Cicero Caelium excusat, ita ut Clodiam simul perstringat; c. 11-20.

Tum accedit ad crimina proprie sic dicta diluenda; in quo refutat primum illud de auro a Clodia sumpto c. 21 22; deinde de veneno, quod Caelium Clodiae necandae causa parasse adversarii criminati erant; c. 23-30.

Postremo petit a iudicibus, ut Caelium civem bonarum artiom, bonarum partium, bonorum virorum rei publicae conservent, spondetque eum nunquam ab optimis in re publica rationibus et consiliis seiunctum fore; c. 31 32.

## I.

Si quis, iudices, forte nunc adsit, ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis nostrae; miretur profecto, quae sit tanta atrocitas huiusce causae, quod diebus festis, ludisque publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, unum hoc iudicium exerceatur; nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, ut, eo neglecto, civitas stare non possit. Idem, quum audiat esse legem, quae de seditiosis consceleratisque civibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie quaeri iubeat: legem non improbet; crimen, quod versetur in iudicio, requirat. Quum audiat, nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in iudicium vocari; sed adolescentem illustri ingenio, industria, gratia, accusari ab eius filio, quem ipse in iudicium et vocet, et vocarit; oppugnari autem hunc opibus meretriciis: Atratini illius pietatem non reprehendat, muliebrem libidinem comprimendam putet; vos laboriosos existimet, quibus otiosis ne in communi quidem otio liceat esse. Etenim, si attendere diligenter et existimare vere de omni hac causa volueritis, sic constituetis, iudices, nec descensurum quemquam ad hanc accusationem fuisse, cui, utrnm vellet, liceret; nec, quum descendisset, quidquam habiturum spei fuisse, nisi alicuius intolerabili libidine, et nimis

*Accusari ab eius filio*) Ab adolescente Atratino, cuius patrem Caelius accusatum de ambitu et absolutum alia lege de ambitu rursus accusaverat. FERR.

*Existimare vere*) Sic Ern. e MSS. et edd. pr. Vulgo *existimareve*.

*Vtrum vellet*) Atratinus enim iussus fuerat a patre Caelium accusare, neque poterat non parere patri. FERR.

acerbo odio niteretur. Sed ego Atratino, humanissimo atque optimo adolescenti, meo necessario, ignosco, qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel aetatis. Si voluit accusare, pietati tribuo; si iussus est, necessitati; si speravit aliquid, pueritiae. Ceteris non modo nihil ignoscendum, sed etiam acriter est resistendum.

II. Ac mihi quidem videtur, iudices, hic introitus defensionis adolescentiae M. Caelii maxime convenire, ut ad ea, quae accusatores, deformandi huius causa, detrahendae spoliandaeque dignitatis gratia, dixerunt, primum respondeam. Obiectus est pater varie, quod aut parum splendidus ipse, aut parum pie tractatus a filio diceretur. De dignitate, Caelius notis ac maioribus natu, etiam sine mea oratione, tacitus, facile ipse respondet: quibus autem, propter senectutem, quod iam diu minus in foro nobiscum versatur, non aeque est cognitus; hi sic habeant: quaecumque in equite romano dignitas esse possit, quae certe potest esse maxima, eam semper in M. Caelio habitam esse summam, hodieque haberi, non solum a suis, sed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de causa esse notus. Equitis autem romani esse filium, criminis loco poni ab accusatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Nam, quod de pietate dixistis, est quidem ista nostra existimatio, sed iudicium certe parentis. Quid nos opinemur, audietis ex iuratis: quid parentes sentiant, lacrymae matris incredibilisque moeror, squalor patris, et haec praesens moestitia, quam cernitis, luctus-

*Etiam sine mea oratione, tacitus*) Cod. Erf. *etiam si nemo oratione tacitus.*

*Iudicium certe parentis*) Ceteri de cuiusque pietate in parentes opinari solent, et falli possunt; soli parentes rectissime et certissime iudicant. Ferr.

que declarat. Nam, quod est obiectum, municipibus esse adolescentem non probatum suis: nemini unquam praesenti Puteolani maiores honores habuerunt, quam absenti M. Caelio; quem et absentem in amplissimum ordinem cooptarunt, et ea non petenti detulerunt, quae multis petentibus denegarunt: iidemque nunc lectissimos viros, et nostri ordinis, et equites romanos cum legatione ad hoc iudicium, et cum gravissima atque ornatissima laudatione miserunt. Videor mihi iecisse fundamenta defensionis meae: quae firmissima sunt, si nituntur iudicio suorum. Neque enim vobis satis commendata huius aetas esse posset, si non modo parenti, tali viro, verum etiam municipio tam illustri ac tam gravi displiceret. Equidem, ut ad me revertar, ab his fontibus profluxi ad hominum famam, et meus hic forensis labor vitaeque ratio dimanavit ad existimationem hominum paulo latius commendatione ac iudicio meorum.

III. Nam, quod obiectum est de pudicitia, quodque omnium accusatorum non criminibus, sed vocibus maledictisque celebratum est, id nunquam tam acerbe feret M. Caelius, ut eum poeniteat non deformem esse natum. Sunt etenim ista maledicta pervulgata in omnes, quorum in adolescentia forma et species fuit liberalis. Sed aliud est maledicere, aliud accusare. Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teste confirmet; maledictio autem nihil habet propositi, praeter contumeliam; quae si petulantius iactatur, convicium; si facetius, urbanitas nominatur. Quam quidem partem

*In amplissimum ordinem*) In decuriones, qui vicem senatus agebant in municipiis. Senatores enim simul esse poterant Romae, et in suo quilibet municipio. ID.

*Iecisse*) Cod. Erf. *legisse*. Fortasse ortum ex *egisse*.

accusationis admiratus sum, et moleste tuli potissimum esse Atratino datam; neque enim decebat, neque aetas illa postulabat, neque, id quod animadvertere poteratis, pudor patiebatur optimi adolescentis, in tali illum oratione versari. Vellem aliquis ex vobis robustioribus hunc maledicendi locum suscepisset: aliquanto liberius, et fortius, et magis more nostro refutaremus istam maledicendi licentiam. Tecum, Atratine, agam lenius, quod et pudor tuus moderatur orationi meae; et meum erga te parentemque tuum beneficium tueri debeo. Illud tamen te esse admonitum volo: primum qualis es, talem te esse existimes; ut, quantum a rerum turpitudine abes, tantum te a verborum libertate seiungas: deinde, ut ea in alterum ne dicas, quae quum tibi salse responsa sint, erubescas. Quis est enim, cui via ista non pateat? qui isti aetati, atque etiam dignitati, non possit, quam velit petulanter, etiamsi sine ulla suspicione, at non sine argumento, maledicere? Sed istarum partium culpa est eorum, qui te agere voluerunt; laus pudoris tui, quod ea te invitum dicere videbamus; ingenii, quod ornate politeque dixisti. Verum ad istam omnem orationem brevis est defensio. Nam quoad aetas M. Caelii dare potuit isti suspicioni locum, fuit primum ipsius pudore, deinde etiam pa-

*Agam lenius*) Sic Ern. ex edd. pr. Vulgo *levius*.

*Tueri debeo*) Quum patrem defenderim accusatum a Caelio, contumeliose agere eum filio non debeo. FERR.

*Salse responsa sunt*) Vulgo *falso responsa sint*, quod Ern. interpretabatur *quamvis falso*. Sed ineptum est *falso respondere*. Itaque correxi *salse*, quod h. l. est aptissimum. Exemplum salsae eiusmodi responsionis habet Cic. de orat. II, 69: *quum Q. Opimius consularis qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset:* Quid tu Egilia mea, quando ad me venis cum tua colu et lana? — Non pol, *inquit*, audeo, nam me ad famosas vetuit mater accedere.

*Dignitati*) Pulcritudinem virilem interpretatur Lamb. T.

tris diligentia disciplinaque munita; qui, ut huic virilem togam dedit, — nihil hoc loco de me (tantum sit, quantum vos existimatis), hoc dicam, hunc a patre continuo ad me esse deductum; — nemo hunc M. Caelium in illo aetatis flore vidit, nisi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Crassi castissima domo, quum artibus honestissimis erudiretur.

IV. Nam quod Catilinae familiaritas obiecta Caelio est, longe ab ista suspicione abhorrere debet. Hoc enim adolescente scitis consulatum mecum petisse Catilinam: ad quem si accessit, aut si a me discessit unquam (quamquam multi boni adolescentes illi homini nequam atque improbo studuerunt), tum existimetur Caelius Catilinae nimium familiaris fuisse. At enim postea scimus et vidimus, esse hunc in illius amicis. Quis negat? sed ego illud tempus aetatis, quod ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo. Fuit assiduus mecum, praetore me: non noverat Catilinam. Africam tum praetor ille obtinebat. Sequutus est annus, quo causam de pecuniis repetundis Catilina dixit. Mecum erat hic; illi ne advocatus quidem venit unquam. Deinceps fuit annus, quo ego consulatum petivi. Petebat Catilina mecum. Nunquam ad illum accessit; a me nunquam recessit.

V. Tot igitur annos versatus in foro sine suspicione, sine infamia, studuit Catilinae iterum petenti. Quem ergo ad finem putas custodiendam illam aetatem fuisse? Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus; et ut exercitatione ludo-

*Sequutus est annus quo causam*) Inserui *quo*. Vulgo: *sequutus est annus. Causam* etc. Est autem A. V. 688, L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato coss.

*Ad cohibendum*) Modestiae causa manum intra togam continebant, et quum se in campo Romae, vel in castris exercebant, utebantur tunica, ne corporis nuditas appareret. FERR.

que campestri tunicati uteremur. Eademque erat, si statim mereri stipendia coeperamus, castrensis ratio ac militaris. Qua in aetate, nisi qui se ipse sua gravitate et castimonia, et tum disciplina domestica, tum etiam naturali quodam bono defenderat; quoquo modo a suis custoditus esset, tamen infamiam veram effugere non poterat. Sed qui prima illa initia aetatis integra atque inviolata praestitisset, de eius fama ac pudicitia, quum is iam se corroboravisset, ac vir inter viros esset, nemo loquebatur. Studuit Catilinae, quum iam aliquot annos esset in foro, Caelius. Et multi hoc idem ex omni ordine, atque ex omni aetate fecerunt. Habuit enim ille, sicuti meminisse vos arbitror, permulta maximarum, non expressa signa, sed adumbrata virtutum. Vtebatur hominibus improbis multis: et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebrae libidinum multae; erant etiam industriae quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam studia rei militaris. Neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque atque

*Tunicati uteremur*) Nempe viri sine tunica exercebantur, tantum tectis pudendis cinctu, qui *campestre* dicebatur; at iuvenes *tunicati* pudoris causa. ERN. *Ludus campestris* est exercitatio in campo Martio.

*Naturali quodam bono*) Hac forma loquendi utitur Nepos, Thrasybul. I.

*Infamiam veram effugere non poterat*) Ern. quaerit: quomodo *veram* infamiam? veretur que, ne vitiosum sit. Est autem *infamia vera* i. q. *iusta*, *merita*. Nimirum huiusmodi adolescentes vitare non poterant pudicitiae maculam, ideoque in infamiam iustam incurrebant. Attamen si codd. MSS. bonae notae verbum *veram* omitterent, equidem ipse insititium esse iudicarem; nam in vocabulo *infamiam* simpliciter posito intelligi posset *sive veram*, *sive falsam*.

*Illa initia aetatis*) Recte sic Grut. ex uno MS. edidit. Olim *imperia*; quod iure improbavit Ern.

*Tam ex contrariis diversisque atque inter se pugnantibus*) Vulgo *tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus*. Ernesti credebat *diversisque* esse e glossa legendumque *contrariis inter seque pugnantibus*. Ego servandum duxi, interposito tamen *atque*.

inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? Illa vero, iudices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia; versare suam naturam, et regere ad tempus, atque huc et illuc torquere et flectere; cum tristibus severe, cum remissis iucunde, cum senibus graviter, cum iuventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere. Hac ille tam varia multiplicique natura quum omnes omnibus ex terris homines improbos audacesque collegerat; tum etiam multos fortes viros et bonos specie quadam virtutis assimulatae tenebat. Neque unquam ex illo delendi huius imperii tam consceleratus impetus exstitisset, nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis et patientiae radicibus niteretur. Quare ista conditio, iudices, respuatur, nec Catilinae familiaritatis crimen haereat. Est enim commune cum multis, et cum quibusdam etiam bonis. Me ipsum, me, inquam, quondam paene ille decepit, quum et

*Quod habebat*) Ern. malebat *haberet.*

*Regere*) Graevius coni. *tegere*. Sed verum est *regere*.

*Torquere et flectere*) Cod. Palat. nonus *torquere affligere*, unde Graevius malebat *torquere ac flectere*. Olim edebatur *flectere et torquere*.

*Quare ista conditio*) *Conditio* hic exquisitius, et propterea subobscure dicitur. Est *conditio reorum* ut possint talibus criminibus oppugnari eaque valeant apud iudices. Illustrando huic loco prodest alius Muret. 28: *miseram conditionem instituet periculis hominum*. Ern.

civis mihi bonus, et optimi cuiusque cupidus, et firmus amicus ac fidelis videretur: cuius ego facinora oculis prius, quam opinione, manibus ante, quam suspicione, deprehendi. Huius in magnis catervis amicorum, si fuit etiam Caelius, magis est, ut ipse moleste ferat errasse se, sicuti nonnunquam in eodem homine me quoque erroris mei poenitet, quam ut istius amicitiae crimen reformidet.

VI. Itáque a maledictis pudicitiae ad coniurationis invidiam oratio est vestra delapsa. Posuistis enim, atque id tamen titubanter et strictim, coniurationis hunc, propter amicitiam Catilinae, participem fuisse: in quo non modo crimen non haerebat, sed vix diserti adolescentis cohaerebat oratio. Qui enim tantus furor in Caelio? quod tantum aut in moribus naturaque vulnus, aut in re atque fortuna? ubi denique est in ista suspicione Caelii nomen auditum? Nimium multa de re minime dubia loquor: hoc tamen dico: non modo si socius coniurationis, sed nisi inimicissimus istius sceleris fuisset, nunquam coniurationis accusatione adolescentiam suam potissimum commendare voluisset. Quod haud scio an de ambitu, et de criminibus istis sodalium ac sequestrium (quoniam huc incidi) similiter respondendum putem. Nunquam enim tam Caelius amens fuisset, ut, si se isto infinito ambitu commaculasset, ambitus alterum accusaret; neque eius facti in altero suspicionem quaereret, cuius ipse sibi perpetuam licentiam optaret; nec, si sibi semel periculum ambitus subeundum putaret, ipse al-

*Huius in magnis catervis*) Sic scribendum esse vidit Ern. Vulgo *cuius*.

*Itáque*) Positum est pro *et ita*; quod monuit Goërenz. ad Cic. de Fin. II, 11, adversus Ernestium, cui in mentem venerat *atque*.

*Coniurationis accusatione*) Accusato C. Antonio, collega Ciceroni. Infra. Man.

terum iterum ambitus crimine arcesseret. Quod quamquam nec sapienter, et me invito facit, tamen est eiusmodi, ut magis insectari alterius innocentiam, quam de se timide cogitare videatur.

VII. Nam quod aes alienum obiectum est, sumtus reprehensi, tabulae flagitatae: videte, quam pauca respondeam. Tabulas, qui in patris potestate est, nullas conficit. Versuram nunquam omnino fecit ullam. Sumtus unius generis obiectus est, habitationis: triginta millibus dixistis eum habitare. Nunc demum intelligo, P. Clodii insulam esse venalem, cuius hic in aediculis habitat, decem, ut opinor, millibus. Vos autem, dum illi placere vultis, ad tempus ei mendacium vestrum accommodavistis.

Reprehendistis, a patre quod semigrarit. Quod quidem iam in hac aetate minime reprehendendum est. Qui quum et ex reipublicae causa esset mihi quidem molestam, sibi tamen gloriosam, victoriam consequutus, et per aetatem magistratus petere posset, non modo permittente patre, sed etiam suadente, ab eo semigravit: et quum domus patris a foro longe abesset, quo facilius et nostras domos obire, et ipse

*Iterum ambitus crimine arcesseret*) Iam supra dictum est Caelium ambitus crimine L. Atratinum semel accusasse, eundemque absolutum iterum accusasse. Hae sunt tres Caelii accusationes, quas Cicero in Brut. significat, cap. 79. Hot.

*Tamen est eiusmodi*) Post *eiusmodi* additur *cupidinis* iam ab Ernestio uncis circumscriptum.

*In aediculis habitat*) Sic ed. Waldarf. unde restituit Ern. Vulgo *habitet*. Nunc demum, ait, intelligo, P. Clodii insulam (h. e. aedes magnas undique liberas) venalem esse, atque ut carius vendi possit, vos subornatos fuisse ad mentiendum, parvam illam aedium particulam, in qua Caelius habitat, conductam esse XXX millibus, quae decem tantum millibus conducta est. Qui enim insulam illam empturi sunt, eam totam magno locari posse arbitrabuntur, si earum particula tanto conducta sit. Sic Abramius recte ad h. l.

*Victoriam consequutus*) C. Antonio, quem Caelius de maiestate accusaverat, damnato; a Cicerone frustra defenso.

a suis coli posset, conduxit in Palatio, non magno, domum. Quo loco possum dicere id, quod vir clarissimus, M. Crassus, quum de adventu regis Ptolemaei quereretur, paulo ante dixit, *Vtinam ne in nemore Pelio* — ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret: *Nam numquam hera errans* hanc molestiam nobis exhiberet, *Medea animo aegra, amore saevo saucia* — [1]. Sic enim, iudices, reperietis, quod, quum ad id loci venero, ostendam, hanc Palatinam Medeam migrationemque, huic adolescenti causam malorum omnium, sive potius sermonum fuisse.

VIII. Quamobrem illa, quae ex accusatorum oratione praemuniri iam et fingi intelligebam, fretus vestra prudentia, iudices, non pertimesco. Aiebant enim, fore testem senatorem, qui se pontificiis comitiis pulsatum a Caelio diceret. A quo quaeram, si prodierit, primum, cur statim nihil egerit? deinde, si id queri, quam agere maluerit, cur productus a vobis potius, quam ipse per se? cur tanto post potius, quam continuo, queri maluerit? Si mihi ad haec acute arguteque responderit, tum quaeram denique, ex quo iste fonte senator emanet. Nam si ipse orietur et nascetur ex sese, fortasse, ut soleo, commovebor. Sin autem, ut rivulus, arcessitus et ductus ab ipso capite accusationis vestrae, laetabor, quum tanta gratia, tantisque opibus accusatio vestra nitatur, unum senatorem solum esse, qui vobis gratificari vellet, inventum. Nec tamen illud genus alterum nocturno-

*Quum de adventu regis Ptolemaei quereretur*) Vide infra not. ad cap. X.

(1) Festive his Ennii versiculis abutitur ad Clodiam perstringendam.

*Palatinam Medeam*) Clodiam, in Palatio habitantem: quam festive Cicero Palatinam Medeam vocat, quia Caelium Atratinus accusator, ut in Fortunatiano legitur, pulchellum Iasonem appellaverat. Am.

*Migrationemque*) Quod in Palatium migraverit conducta domo. Id.

*Malorum*) Vulgo *sive malorum*. Delendum esse *sive* recte Ern. monuit.

*Nihil egerit?*) Contra Caelium, cur de iniuria non accusaverit. Id.

rum testium pertimesco. Est enim dictum ab illis, fore qui dicerent, uxores suas, a coena redeuntes, attrectatas esse a Caelio. Graves erunt homines, qui hoc iurati dicere audebunt; quum sit his confitendum, nunquam se, ne congressu quidem et constituto, coepisse de tantis iniuriis experiri.

IX. Sed totum genus oppugnationis huius, iudices, et iam prospicitis animis, et, quum inferetur, propulsare debebitis. Non enim ab iisdem accusatur M. Caelius, a quibus oppugnatur. Palam in eum tela iaciuntur, clam subministrantur. Neque id eo dico, ut invidiosum sit in eos, quibus gloriosum hoc etiam esse debet. Funguntur officio; defendunt suos; faciunt, quod viri fortissimi solent. Laesi dolent, irati efferuntur, pugnant lacessiti. Sed vestrae sapientiae tamen est, iudices, non, si causa iusta est viris fortibus oppugnandi M. Caelium, ideo vobis quoque vos causam putare esse iustam alieno dolori potius, quam vestrae fidei consulendi. Quae sit multitudo in foro, quae genera, quae studia, quae varietas hominum, videtis. Ex hac copia quam multos esse arbitramini, qui hominibus potentibus, gratiosis, disertis, quum aliquid eos velle arbitrentur, ultro se offerre soleant, operam navare, testimonium polliceri? Hoc ex genere si qui se in hoc iudicium forte proiecerint, excluditote eorum cupiditatem, iudices, sapientia vestra; ut eodem tempore et huius saluti et religioni vestrae et contra periculosissimas hominum potentias conditioni omnium civium providisse videamini. Equidem vos abducam a testibus: neque huius iudicii veritatem,

*Dicere audebunt*) Sic Lambin. et codd. S. Vict. Grut. Olim *audeant*, ut est in MS. Franc. 2.

*Ne congressu quidem et constituto*) Moris fuit antequam in ius iretur, ut domi apud amicos communes experirentur, si forte sedari ab iis controversia posset. Cic. pro Quintio, et pro Caecin. Hot.

quae mutari nullo modo potest, in voluntate testium collocari sinam; quae facillime fingi, nullo negotio flecti ac detorqueri potest. Argumentis agemus; signis omni luce clarioribus crimina refellemus. Res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit.

X. Itaque illam partem causae facile patior graviter et ornate a M. Crasso esse peroratam, de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolana, de bonis Pallae. Vellem dictum esset ab eodem etiam de Dione. De quo ipso tamen quid est, quod exspectetis, quod is, qui fecit, aut non timet, aut etiam fatetur? Est enim reus, qui huius dictus est et auditor fuisse, et conscius, P. Ascitius. Is iudicio est liberatus. Quod igitur est huiusmodi crimen, ut, qui commisit, non neget, qui negavit, absolutus sit; id hic pertimescat, qui non modo a facto, verum etiam a conscientiae suspicione abfuit? et, si Ascitio causa plus profuit, quam nocuit invidia, huic oberit tuum maledictum, qui istius facti non modo suspicione, sed ne infamia quidem est adspersus? «At praevaricatione est Ascitius liberatus.» Perfacile est isti loco respondere, mihi praesertim, a quo illa causa defensa est. Sed Caelius optimam causam Ascitii esse arbitratur; cuicuimodi autem sit, a sua putat esse seiunctam; neque solum Caelius, sed etiam ado-

*Fingi*) Olim male *effingi*. Gulielm. coni. *confingi*. At *fingi* est in MSS. Pal. 2, 3, 9.

*De seditionibus Neapolitanis*) Quod Caelius Neapoli seditiones concitasset, vel concitatis interfuisset.

*Pulsatione Puteolana*) Quum Alexandrini centum legatos misissent Romam, qui eos contra Ptolemaei regis accusationes defenderent, et de illius iniuriis quererentur, Ptolemaeus plerosque eorum in itinere interficiendos curavit, alios in urbe occidit, alios pecunia corrupit, teste Dione Cassio lib. XXXIX. Caelius igitur Puteolis aliquot legatos pulsasse dicebatur.

*De Dione*) Principe legationis per dolum necato, cuius facinoris participes Caelius fuisse arguebatur.

*Cuicuimodi*) Vulgo *cuiusmodi*. Recte autem Aut. Augustinus corrigi voluit *cuicuimodi*.

lescentes humanissimi et doctissimi, rectissimis studiis atque optimis artibus praediti, Titus Caiusque Coponii: qui ex omnibus maxime Dionis mortem doluerunt; qui quum doctrinae studio atque humanitatis, tum etiam hospitio Dionis tenebantur. Habitabat is apud L. Lucceium, ut audistis; fuerat ei cognitus Alexandriae. Quid aut hic, aut summo splendore praeditus, frater eius, de M. Caelio existimet, ex ipsis, si producti erunt, audietis. Ergo haec removeantur, ut aliquando, in quibus causa nititur, ad ea veniamus.

XI. Animadverti enim, iudices, audiri a vobis meum familiarem, L. Herennium, perattente. In quo etsi magna ex parte ingenio eius, et dicendi genere quodam tenebamini, tamen nonnunquam verebar, ne illa subtiliter ad criminandum inducta oratio, ad animos vestros sensim ac leniter accederet. Dixit enim multa de luxuria, multa de libidine, multa de vitiis iuventutis, multa de moribus; et, qui in reliqua vita mitis esset, et in hac suavitate humanitatis, qua prope iam delectantur homines, versari periucunde soleret, fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister. Obiurgavit M. Caelium, sicut neminem unquam parens. Multa de incontinentia intemperantiaque disseruit. Quid quaeritis, iudices? Ignoscebam vobis attente audientibus, propterea quod egomet tam triste illud, et tam asperum genus orationis horrebam. Ac prima pars fuit illa, quae

*Qui quum doctrinae*) Ernestin placebat, *quod quum doctrinae*, vel *nam q. d.* Illud videtur esse verius.

*Accederet*) Recte hoc praetulit Ern. quod est in codd. Pall. 2, 3, 9, quod id aptius est propter verba *sensim* ac *leniter*. Vulgo *occideret*; quod habent codd. Grut. S. Vict. Grut. Graev. Olim *animos — accederent.*

*Et tam asperum genus orationis horrebam*) Ernestius putabat haec non bene cohaerere; nam rationem quare ignosceret non esse aptam. Itaque vel *non abhorrebam*, vel ab initio *quamquam egomet* legendum esse suspicabatur. At nihil est mutandum. Sensus enim est: Ignoscebam vobis attente audientibus, propterea quod egomet

me minus movebat, fuisse meo necessario Bestiae Caelium familiarem; coenasse apud eum, ventitasse domum, studuisse praeturae. Non me haec movent, quae perspicue falsa sunt. Etenim eos una coenasse dicit, qui aut absunt, aut quibus necesse est idem dicere. Neque vero illud me commovet, quod sibi in Lupercis sodalem esse Caelium dixit. Fera quaedam sodalitas et plane pastoricia atque agresti germanorum Lupercorum; quorum coitio illa silvestris ante est instituta, quam humanitas atque leges. Siquidem non modo nomina deferunt inter se sodales, sed etiam commemorant sodalitatem in accusando, ut, ne quis id forte nesciat, timere videantur. Sed haec omittam: ad illa, quae me magis moverunt, respondebo.

XII. Deliciarum obiurgatio fuit longa, et ea lenior, plusque disputationis habuit, quam atrocitatis: quo etiam audita est attentius. Nam P. Clodius, amicus

ipse iam tristi et aspero genere orationis perturbabar et commovebar. Sic de Orat. II, 45: *quae ego, quum a te tractantur in causis, horrere soleo.* Sic c. 12, *pertimescebam.*

*Eos una cenasse dicit*) Dixerat alios quosdam coenasse cum Bestia et Caelio: ex iis quidam aberant, quidam erant Clodiae amici, coacti proinde quidlibet affirmare in gratiam illius. Fern.

*Qui aut absunt, aut quibus necesse est idem dicere*) Haec manifeste vitiosa sunt, iudice Ernestio, nec sine melioribus libris corrigi possunt. Ego vero sic intelligi recte posse arbitror. Herennius nonnullos nominaverat, quos dicebat una cum Caelio apud Bestiam coenasse; ut scil. iis testibus uteretur. Hos aut abesse dicit Cicero, aut propterea audiendos non esse, quod iis necesse sit idem dicere quod Herennius. Ant. Augustinus corrigendum putabat *qui aut absunt, aut quibus nec esse ibidem liceret.* Ceterum, quod vidit Abramius, hoc eo pertinet, quod Caelius Bestiam de ambitu accusatum, et a Cicerone defensum, in petitione praeturae ambitiose iuvisset, eique se ad corrumpenda populi suffragia sequestrem praebuisset.

*Germanorum*) Verorum: nam quum sint ab Evandro instituti multo ante Romam conditam, id est, ante humanitatem, atque leges, veri et germani sunt Luperci plane humanitatis expertes, quum nomina sodales inter se deferunt. Sodalitates autem ad honorem alicuius dei institutae sunt, ut Lupercorum ad honorem Panos. Man.

*P. Clodius*) Non est ille *P. Clodius*, famosus Ciceronis hostis, sed quod vidit Manutius, alius, in hac causa Atratini accusatoris subscriptor.

meus, quum se gravissime vehementissimeque iactaret, et omnia inflammatus ageret tristissimis verbis, voce maxima: tametsi probabam eius eloquentiam, tamen non pertimescebam. Aliquot enim in causis eum videram frustra litigantem. Tibi autem, Balbe, respondeo primum precario, si licet, si fas est defendi a me eum, qui nullum convivium renuerit, qui unguenta sumpserit, qui Baias viderit. Equidem multos et vidi in hac civitate, et audivi, non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitae, et extremis, ut dicitur, digitis attigissent, sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse, gravesque homines atque illustres fuisse. Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus aetati, et ipsa natura profundit adolescentiae cupiditates: quae si ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, faciles et tolerabiles haberi solent. Sed tu mihi videbare ex communi infamia iuventutis aliquam invidiam Caelio velle conflare. Itaque omne illud silentium, quod est orationi tributum tuae, fuit ob eam causam, quod, uno reo proposito, de multorum vitiis cogitabamus. Facile est accusare luxuriem. Dies iam me deficiat, si, quae dici in eam sententiam possunt, coner expromere: de corruptelis, de adulteriis, de protervitate, de sumtibus, immensa oratio est. Vt tibi reum neminem, sed vitia proponas, res tamen ipsa copiose et graviter accusari potest. Sed vestrae sapientiae est, iudices, non abduci ab reo; nec, quos aculeos habeat severitas gravitasque vestra., quum eos accusator ere-

*Et omnia inflammatus*) Pantagalus coni. *inflammatius*.

*Respondeo*) Sic edd. pr. cod. Franc. quod probavit Graev. Ern. recepit. Vulgo *respondebo*. — Amar colon posuit ante *primum*. T.

*Deficiat*) Optime sic emendavit Ern. vulg. *deficiet*. Idem pro *possunt*, quod facile potest defendi, dedit *possint*.

xerit in rem, in vitia, in mores, in tempora, emittere in hominem et in reum, quum is non suo crimine, sed multorum vitio sit in quoddam odium iniustum vocatus. Itaque severitati tuae, ut oportet, ita respondere non audeo; erat enim meum, deprecari vacationem adolescentiae, veniamque petere; non, inquam, audeo; perfugiis non utor aetatis; concessa omnibus iura dimitto: tantum peto, ut, si qua est invidia communis hoc tempore aeris alieni, petulantiae, libidinum iuventutis, quam video esse magnam, ne huic aliena peccata, ne aetatis ac temporum vitia noceant. Atque ego idem, qui haec postulo, quin criminibus, quae in hunc proprie conferuntur, diligentissime respondeam, non recuso.

XIII. Sunt autem duo crimina, auri et veneni: in quibus una atque eadem persona versatur. Aurum sumptum a Clodia; venenum quaesitum, quod Clodiae daretur, dicitur. Omnia sunt illa, non crimina, sed maledicta iurgii petulantis magis, quam publicae quaestionis. Adulter, impudicus, sequester, convicium est, non accusatio. Nullum est enim fundamentum horum criminum, nulla sedes. Voces sunt contumeliosae, temere ab irato accusatore, nullo auctore, emissae. Horum duorum criminum video fontem, video auctorem, video certum nomen et caput. Auro opus fuit; sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste, habuit quamdiu voluit. Maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis. Necare eandem voluit; quaesivit venenum; sollicitavit quos potuit; paravit; locum consti-

*Versatur*) Olim, usque ad Victorium, editum *urgetur*. Primus Victorius scripsit *versatur*. Illud restituit Gruter. et Graev. Ern. recte lectionem Victorii revocavit. Scil. una persona Clodiae in utroque crimine, tanquam in fabula, dicitur versari.— Lall. Garat. Weisk et Amar, *urgetur*. T.

*Omnia sunt illa*) Ita scribendum esse vidit Ern. Vulgo *omnia sunt alia*.

tuit; attulit. Magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio exstitisse. Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiam nota: de qua ego nihil dicam, nisi depellendi criminis causa. Sed intelligis pro tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis: quae si se aurum Caelio commodasse non dicit, si venenum ab hoc sibi paratum esse non arguit; petulanter facimus, si matremfamilias, secus quam matronarum sanctitas postulat, nominamus. Sin, ista muliere remota, nec crimen ullum, nec opes ad oppugnandum Caelium illis relinquentur; quid est aliud, quod nos patroni facere debeamus, nisi ut eos, qui insectantur, repellamus? quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere; semper hic erro.

XIV. Nunc agam modice, nec longius progrediar, quam me mea fides et causa ipsa coget. Neque enim muliebres unquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim cum ea, quam omnes semper amicam omnium potius, quam cuiusquam inimicam putaverunt. Sed tamen ex ipsa quaeram prius, utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit, an remisse ac leniter et urbane. Si illo austero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus est, ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur; sed

*Cum istius mulieris viro*) Nempe Clodio, quem sic appellat, incestam cum sorore consuetudinem facetissime cavillans.

*Amicam omnium*) Facete vagas Clodiae libidines tangit.

*Quam cuiusquam*) Cod. Erf. *cuiquam*.

*Qua ista delectatur*) Ant. August. coni. *qua isti delectantur*, probante Vrsino. Nempe, quod iam Manutius monuit, etsi viri Ciceronis aetate radebantur, adolescentuli tamen, praesertim lasciviores, aliquamdiu primam barbulam alebant. Hinc dicuntur barbatuli iuvenes. Itaque defendi etiam potest lectio, *qua ista delectatur*, ut Clodia dicatur eiusmodi barbatulos amare.

illa horrida, quam in statuis antiquis et imaginibus videmus; qui obiurget mulierem, et pro me loquatur, ne ista mihi forte succenseat. Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis; ac potissimum Caecus ille. Minimum enim dolorem capiet, qui istam non videbit. Qui profecto si exstiterit, sic aget, et sic loquetur: «Mulier, quid tibi cum Caelio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares, aut tam inimica, ut venenum timeres? non patrem tuum videras, non patruum, non avum, proavum, atavum audieras consules fuisse? non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi ac fortissimi viri patriaeque amantissimi? qui simulac pedem limine extulerat, omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superabat? cui quum ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Caelius tam coniunctus fuit? Cognatus? affinis? viri tui familiaris? nihil horum. Quid igitur fuit, nisi quaedam temeritas ac libido? Nonne te, si nostrae imagines

*Caecus ille*) App. Claudius Caecus P. Clodii trilavos, cos. A. V. 447, et 457 (qui Pyrrhi pacem dissuasit). Eius censura celebris aqua in urbem inducta, et via Appia munita.

*Quid cum homine adolescentulo?*) *Homine* abest apud Aquilam Romanum de figg. c. 3, ubi h. l. laudat.

*Non patrem tuum videras*) Appium Claudium Pulchrum cos. cum P. Servilio Isaurico A. V. 673.

*Non patruum*) C. Claudium cos. cum M. Perperna A. V. 661.

*Non avum*) C. Claudium cos. cum M. Perperna A. V. 623.

*Proavum*) C. Claudium Pulchrum cos. cum Tib. Graccho A. V. 576.

*Atavum*) Abavum aut Cicero praeteriit, aut librariorum incuria extrusit. Fuit autem abavus Clodii App. Claudius Pulcher cos. cum Q. Fulvio Flacco A. V. 541. Atavus autem P. Claudius Pulcher cos. cum L. Iunio A. V. 504.

*Q. Metelli*) Q. Caecilii Metelli Celeris cos. cum L. Afranio A. V. 693.

*Qui simulac pedem limine extulerat*) Statim atque domo ad forum, curiam, vel provincias exiverat, omnes propemodum cives virtute, gloria, quae merces virtutis est, et dignitate honoribusque, qui a populo propter gloriam opinionemque virtutis concedi solent, superabat. Abr. De hoc Metello, Fam. V, 2.

viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat? non virgo illa Vestalis Claudia, quae patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebis de curru detrahi passa non est? Cur te fraterna vitia potius, quam bona paterna et avita, et usque a nobis quum in viris, tum etiam in feminis repetita, moverunt? Ideo ne ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpissimorum quotidie foedera ferires? ideo aquam adduxi, ut ea tu inceste uterere? ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata celebrares? »

XV. Sed quid ego, iudices, ita gravem personam induxi, ut verear, ne se idem Appius repente convertat, et Caelium incipiat accusare illa sua gravitate censoria? Sed videro hoc posterius, atque ita, iudices, ut vel severissimis disceptatoribus M. Caelii vitam me probaturum esse confidam. Tu vero mulier (iam enim ipse tecum, nulla persona introducta, loquor), si ea, quae facis, quae dicis, quae insimulas, quae arguis, probare cogitas: rationem tantae familiaritatis, tantae consuetudinis, tantae coniunctionis reddas atque exponas necesse est. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baias, actas, convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia iactant: iidemque significant, nihil se, te invita, dicere. Quae tu, quo-

*Q. illa Claudia*) *Claudia Quinta* neptis Appii Caeci, quae inter primores civitatis matres sacra Matris Idaeae accepit, cui dubia, ut traditur, antea fama clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit. Liv. XXIX, 14.

*Virgo illa Vestalis Claudia, quae patrem complexa*) Appium Claudium Pulchrum de Salassis triumphantem A. V. 610.

*Aquam adduxi*) Ideone fluvium Anienem in urbem adduxi, ex quo aqua Appia nominatur, ut ea tu in meretriciis tuis et incestis amoribus uterere? Abr. Vide ad Att. I, 16.

*Quae insimulas*) Gruterus addidit ex edd. pr. et MSS. nonnullis *quae in sororem tuam moliris*, quod ineptum emblema recte rursus eiecit Ern

niam mente, nescio qua, effrenata atque praecipiti, in forum deferri iudiciumque voluisti, aut diluas oportet, et falsa esse doceas, aut nihil neque crimini tuo, neque testimonio credendum esse fateare. Sin autem urbanius me agere mavis, sic agam tecum. Removebo illum senem durum ac paene agrestem; ex hisque tuis sumam aliquem, ac potissimum minimum fratrem, qui est in isto genere urbanissimus; qui te amat plurimum, qui, propter nescio quam, credo, timiditatem, et nocturnos quosdam inanes metus, tecum semper pusio cum maiore sorore cubitavit. Eum putato tecum loqui: «Quid tumultuaris, soror? quid insanis? quid, clamore exorsa, verbis parvam rem magnam facis? vicinum adolescentulum adspexisti; candor huius te, et proceritas vultus oculique pepulerunt; saepius videre voluisti; nonnunquam in iisdem hortis visa nobilis mulier; illum filium familias, patre parco ac tenaci, habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, respuit; non putat tua dona esse tanti. Confer te alio. Habes hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco praeparasti, quo omnis iuventus natandi causa venit. Hinc licet conditiones quotidie legas. Cur huic, qui te spernit, molesta es?»

XVI. Redeo nunc ad te, Caeli, vicissim, ac mihi auctoritatem patriam severitatemque suscipio: sed dubito, quem patrem potissimum sumam. Caecilianumne aliquem, vehementem atque durum? *Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cu-*

*Testimonio*) Quia scil. infamibus et meretricibus testimonium dicentibus nulla fides debet adhiberi. Abr.

*Ex hisque tuis*) Grut. et edd. pr. male revocavit *ex his igitur tuis.*

*Ac potissimum*) Ita rescripsi pro vulg. *at potissimum.*

*Pepulerunt*) Sic edd. pr. quod restituit Graev. e cod. Erf. in Ald. al. e vitio operarum *perpulerunt*, pro quo Lamb. e coniectura dedit *perculerunt.*

*Caecilianumne*) Vehementem et durum, qualis a Caecilio, qui ceteros comicos gravitate vincebat, frequenter inducitur. Abr.

*mulatur ira.* Aut illum, *O infelix, o scelesle!* — Ferrei sunt isti patres. — *Egone quid dicam? egone quid velim? quae tu omnia tuis foedis factis facis, ut nequidquam velim.* Vix ferenda diceret talis pater: *Cur te in istam vicinitatem meretriciam contulisti? cur illecebris cognitis non refugisti? cur alienam ullam mulierem nosti? dide ac dissice, per me licebit! si egebis, tibi dolebit: mihi sat est, qui aetatis quod reliquum est oblectem meae.* Huic tristi ac directo seni responderet Caelius, se nulla cupiditate inductum de via decessisse. Quid signi? nulli sumtus, nulla iactura, nulla versura. At fuit fama. Quotusquisque est, qui istam effugere potest in tam maledica civitate? Vicinum eius mulieris miraris male audisse, cuius frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit? Leni vero et clementi patri, cuiusmodi ille est: *Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur*, Caelii causa esset expeditissima. Quid enim esset, in quo se non facile defenderet? Nihil iam in istam mulierem dico: sed, si esset aliqua dissimilis istius, quae se omnibus pervulgaret, quae haberet palam decretum semper aliquem, cuius in hortos, domum, Baias iure suo libidines omnium commearent, quae etiam aleret adolescentes, et parsimoniam patrum suis sumtibus sustentaret; si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret: adulterum ego putarem, si quis hanc paulo liberius salutasset?

*Directo*) Sic edidit Lamb. e MS. Idem in aliis invenit Grut. Vulgo *decreptio* quod realituit Graev.

*Quotusquisque est, qui istam*) Addidi *est qui* ex Palimps. Taur. Tyr.

*Resarcietur*) Terent. Adelph. I, II.

*Caelii causa*) Male Graev. e MSS. Erf. et Franc. *filii causa.* — Palimps. tamen consentit cum Erf. et Franc. T.

*Decretum*) Quae sibi in singulos dies aliquem semper seligeret, decerneret ad explendam libidinem. Ferr.

*Baias*) Pantagathus coni. *balneas*, quo nihil est opus.

XVII. Dicet aliquis: « Haec igitur est tua disciplina? sic tu instituis adolescentes? ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit et tradidit, ut in amore et voluptatibus adolescentiam suam collocaret; et hanc tu vitam atque haec studia defenderes? » Ego, si qui, iudices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiae fuit, ut respueret omnes voluptates, omnemque vitae suae cursum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret; quem non quies, non remissio, non aequalium studia, non ludi, non convivia delectarent; nihil in vita expetendum putaret, nisi quod esset cum laude et cum dignitate coniunctum: hunc mea sententia divinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuisse arbitror, Camillos, Fabricios, Curios, omnesque eos, qui haec ex minimis tanta fecerunt. Verum haec genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur. Chartae quoque, quae illam pristinam severitatem continebant, obsoleverunt; neque solum apud nos, qui hanc sectam rationemque vitae, re magis, quam verbis, sequuti sumus, sed etiam apud Graecos, doctissimos homines: quibus, quum facere non possent, loqui tamen, et scribere honeste et magnifice licebat. Alia quaedam, mutatis Graeciae temporibus, praecepta exstiterunt. Itaque alii voluptatis causa omnia sapientes facere dixerunt; neque ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt; alii cum voluptate dignitatem coniungendam putaverunt, ut res maxime inter se repugnantes dicendi facultate

*Et hanc tu vitam*) Palimps. Taur. *Et ut hanc tu vitam.*

*Convivia*) Palimps. T. *convivuim*.

*Rationemque vitae*) Scil. Stoicam.

*Dixerunt*) Epicurei.

*Putaverunt*) Vt Callipho Fin. II, 6; Acad. II, 42.

coniungerent. Illud unum directum iter ad laudem cum labore qui probaverunt, prope iam soli in scholis sunt relicti. Multa enim nobis blandimenta natura ipsa genuit, quibus sopita virtus conniveret: et interdum multas vias adolescentiae lubricas ostendit, quibus illa insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolapsione vix posset; et multarum rerum iucundissimarum varietatem dedit, qua non modo haec aetas, sed etiam iam corroborata caperetur. Quamobrem si quem forte inveneritis, qui aspernetur oculis pulcritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non sapore capiatur, excludat auribus omnem suavitatem; huic homini ego fortasse et pauci deos propitios, plerique autem iratos putabunt.

XVIII. Ergo haec deserta via et inculta, atque interclusa iam frondibus et virgultis relinquatur; detur aliquid aetati; sit adolescentia liberior; non omnia voluptatibus denegentur; non semper superet vera illa et directa ratio; vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneatur; parcat iuventus pudicitiae suae, ne spoliet alienam; ne effundat patrimonium, ne fenore trucidetur, ne incurrat in alterius domum atque familiam; ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat; ne quem vi terreat; ne intersit insidiis; scelere careat; postremo, quum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad

*Aut prolapsione*) Palimps. Taur. *ac prolapsione.*

*Detur aliquid aetati*) Palimpsest. *detur aliqui ludus aetati.*

*Atque familiam*) Ita cod. Memm. et hoc quidem verius altera lectione *famam*; nam ne quis in alterius famam incurrat, prohibetur verbis sequentibus, *ne quis infamiam bonis inferat. Incurrere in alterius familiam* est aliorum servos aut ancillas pellicere, in primis ad libidinem.

*Ne quem vi terreat*) Sic codd. Gembl. S. Vict. et Pall. omnes praeter nonum. In compluribus cdd. est *ne quem interimat.*

ludum aetatis, adque ad inanes hasce adolescentiae cupiditates, revocet se aliquando ad curam rei domesticae, rei forensis, reipublicae: ut ea, quae ratione antea non perspexerat, satietate abiecisse, experiendo contempsisse videatur. Ac multi et nostra et patrum maiorumque memoria, iudices, summi homines, et clarissimi cives fuerunt, quorum quum adolescentiae cupiditates defervissent, eximiae virtutes, firmata iam aetate, exstiterunt. Ex quibus neminem mihi necesse est nominare: vosmet vobiscum recordamini. Nolo enim cuiusquam fortis atque illustris viri ne minimum quidem erratum cum maxima laude coniungere. Quod si facere vellem, multi a me summi atque ornatissimi viri praedicarentur; quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim profusa luxuries, magnitudo aeris alieni, sumtus, libidines, nominarentur: quae multis postea virtutibus obtecta, adolescentiae, qui vellet, excusatione defenderet.

XIX. At vero in M. Caelio (dicam enim iam confidentius de studiis eius honestis, quoniam audeo quaedam, fretus vestra sapientia, libere confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli sumtus, nullum aes alienum, nulla conviviorum ac lustrorum libido. Quod quidem vitium ventris et gutturis non modo non minuit aetas hominibus, sed etiam auget. Amores autem, et hae deliciae quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse (mature enim et celeriter deflorescunt) nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. Audistis, quum pro

*Lustrorum*) Lambinus affert ex libris antiquis *stuprorum*, quod actum esse putat ex interpretatione voc. *lustrorum*. Sed *lustra* h. l. de popinis accipiendum in quibus gulae ac desidiae homines serviunt, etiamsi meretricibus abstineant.

*Hae deliciae*) quas Galli appellant *galanteries*.

se diceret; audistis antea, quum accusaret (defendendi haec causa, non gloriandi loquor): genus orationis, facultatem, copiam sententiarum atque verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis. Atque in eo non solum ingenium elucere eius videbatis; quod saepe, etiamsi industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus: sed inerat, nisi me propter benivolentiam forte fallebat, ratio, et bonis artibus instituta, et cura et vigiliis elaborata. Atque scitote, iudices, eas cupiditates, quae obiiciuntur Caelio, atque haec studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse. Fieri enim non potest, ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, saepe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc, quidquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, verum etiam cogitando possit sustinere. An vos aliam causam esse ullam putatis, cur, in tantis praemiis eloquentiae, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gratia, tanto honore, tam sint pauci, semperque fuerint, qui in hoc labore versentur? Obterendae sunt omnes voluptates; relinquenda studia delectationis, iudices, ludus, iocus, convivium, sermo est paene familiarium deserendus. Quae res in hoc genere homines a labore studioque dicendi deterret: non, quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis. An hic, si sese isti vitae dedisset, consularem hominem admodum adolescens in iudicium vocavis-

set

*Ratio*) Sic codd. Pall. omnes; et receperunt Grut. Graev. alii. Vulgo olim *oratio*.

*Inopia*) Duo haec diversa aeque mentem impediunt, tum nimia amicarum copia, tum etiam inopia. FERR.

*Qui in hoc labore versentur?*) Eundem lucum tractat uberius de Orat. lib. I, c. 3-5.

*Obterendae*) Sic plerique MSS. In uno Pal. *conterendae*. Vulgo olim *omittendae*.

*Sermo est paene familiarium deserendus*) Sic Grut. e Pal. 9. Vulgo olim *sermo etiam omnium paene familiarium deserendus*.

set? hic, si laborem fugeret, si obstrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie versaretur? appeteret inimicitias? in iudicium vocaret? subiret periculum capitis? ipso inspectante populo romano, tot menses aut de salute, aut de gloria dimicaret?

XX. Nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Baiae denique ipsae loquuntur? Illae vero non loquuntur solum, verum etiam personant, huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, ut ea non modo solitudinem ac tenebras atque haec flagitiorum integumenta non quaerat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate et clarissima luce laetetur. Verum si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuventuti putet, est ille quidem valde severus; negare non possum; sed abhorret non modo ab huius saeculi licentia, verum etiam a maiorum consuetudine, atque concessis. Quando enim hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum? quando denique fuit, ut, quod licet, non liceret? Hic ego iam rem definiam; mulierem nullam nominabo; tantum in medio relinquam. Si quae non nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati, palamque sese in meretricia vita collocarit, virorum alienissimorum conviviis uti instituerit; si hoc in urbe, si in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciat; si denique ita sese gerat, non incessu solum,

*Tot menses aut de salute, aut de gloria dimicaret?*) In his verbis affert obiectionem, quod vidit Abramius, Caelium tamen etiam si non omnino obstrictus teneatur voluptatibus, tamen non omnem libidinosae vitae famam effugere potuisse, eamque obiectionem retorquet in Clodiam. Istam enim palam se in meretricia vita collocasse; meretriciis autem amoribus nunquam iuventuti esse interdictum.

*Concessis*) Ern. coni. *concessu*.

*Quando enim hoc factum*) Libri nonnulli *factitatum*.

*Si faciat — si gerat*) Vulgo *faciet — geret*, qui indicativi ferendi essent, si aliud nihil praecessisset. Sed quum paulo ante fuerint coniunctivi, *patefecerint — collocarit — instituerit*, con-

sed ornatu atque comitatu, non flagrantia oculorum, non libertate sermonis, sed etiam complexu, osculatione, aquis, navigatione, conviviis, ut non solum meretrix, sed etiam procax videatur: cum hac si quis adolescens forte fuerit, utrum hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator, expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluisse videatur? Obliviscor iam iniurias, Clodia; depono memoriam doloris mei; quae abs te crudeliter in meos, me absente, facta sunt, negligo. Ne sint haec in te dicta, quae dixi. Sed ex te ipsa requiro, quoniam et crimen accusatores abs te, et testem eius criminis te ipsam dicunt se habere: si qua mulier sit huiusmodi, qualem ego paulo ante descripsi, tui dissimilis, vita institutoque meretricio; cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis, num tibi perturpe aut perflagitiosum esse videatur? Ea si tu non es, sicut ego malo; quid est, quod obiiciant Caelio? sin eam te volunt esse, quid est, cur nos crimen hoc, si tu contemnis, pertimescamus? Quare nobis da viam rationemque defensionis. Nam aut pudor tuus defendet, nihil a M. Caelio petulantius esse factum; aut impudentia et huic et ceteris magnam ad se defendendum facultatem dabit.

XXI. Sed quoniam emersisse iam e vadis, et scopulos praetervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. Duo sunt enim crimina, una in muliere, summorum facinorum: auri, quod sumptum a Clodia dicitur; et veneni, quod eiusdem Clodiae necandae causa parasse Caelium criminantur. Aurum

iunctivis praesentis eiusdemque infiniti temporis opus erat.

*Aquis*) Ern. vel *Baianis* intelligendum, vel *actis* legendum arbitratur. Et supra cap. 15 in simili coacervatione actae nominabantur. Potest tamen etiam, quum praecesserit *complexu*, *osculatione*, hic de *aquis* post concubitum sumptis cogitari.

*Tui dissimilis*) Acerbissima ironia.

sumpsit, ut dicitis, quod L. Lucceii servis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur. Magnum crimen vel in legatis insidiandis, vel in servis ad hospitem domini necandum sollicitandis: plenum sceleris consilium, plenum audaciae. Quo quidem in crimine primum illud requiram, dixeritne Clodiae, quam ad rem aurum tum sumeret, an non dixerit? Si non dixit, cur dedit? Si dixit, eodem se conscientiae scelere devinxit. Tune aurum ex armario tuo promere ausa es? tune Venerem illam tuam spoliatricem spoliare ornamentis? Ceterum quum scires, quantum ad facinus aurum hoc quaereretur, ad necem legati, ad L. Lucceii, sanctissimi hominis atque integerrimi, labem sceleris sempiterni: huic facinori tanto tua mens liberalis, conscia; tua domus popularis, ministra; tua denique hospitalis illa Venus, adiutrix esse non debuit. Vidit hoc Balbus: celatam esse Clodiam dixit; atque ita Caelium ad illam attulisse, se ad ornatum ludorum aurum quaerere. Si tam familiaris erat Clodiae, quam tu esse vis, quum de libidine eius tam multa dicis; dixit profecto, quo vellet aurum. Si tam familiaris non erat, non dedit. Ita si verum tibi Caelius dixit, o immoderata mulier, sciens tu aurum ad facinus dedisti; si non est ausus dicere, non dedisti.

XXII. Quid ego nunc argumentis huic crimini, quae sunt innumerabilia, resistam? Possum dicere, mores M. Caelii longissime a tanti sceleris atrocitate esse disiunctos; minime esse credendum, homini tam in-

*Ad hospitem domini*) Olim *domi.*

*Venerem illam tuam*) Simulacrum Veneris, auro exornatum, habere Clodia in sacrario suo dicebatur. Man.

*Spoliatricem*) Ad quam aurum, amatoribus ademptum tuis, deferre soleres. Id.

*Sempiterni*) Ern. coni. *sempiternam.*

geniosp, tamque prudenti non venisse in mentem, rem tanti sceleris ignotis alienisque servis non esse credendam. Possum etiam, illa et ceterorum patronorum et mea consuetudine, ab accusatore perquirere, ubi sit congressus cum servis Lucceii Caelius; qui ei fuerit aditus. Si per se, qua temeritate? si per alium, per quem? Possum omnes latebras suspicionum peragrare dicendo. Non causa, non locus, non facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficii spes, non ratio ulla, non vestigium maximi facinoris reperietur. Sed haec, quae sunt oratoris propria, quae mihi, non propter ingenium meum, sed propter hanc exercitationem usumque dicendi, fructum aliquem ferre possent, quum a me ipso elaborata proferri viderentur, brevitatis causa relinquo omnia. Habeo enim, iudices, quem vos socium vestrae religionis iurisque iurandi facile esse patiamini, L. Lucceium, sanctissimum hominem, et gravissimum testem: qui tantum facinus in famam atque fortunas suas neque non audisset illatum a Caelio, neque neglexisset, neque tulisset. An ille vir, illa humanitate praeditus, illis studiis, artibus atque doctrina, illius ipsius periculum, quem propter haec ipsa studia diligebat, negligere potuisset? et, quod facinus in alienum hominem illatum severe acciperet, id omisisset curare in hospitem? quod per ignotos actum si

*Fructum aliquem ferre possent*) Sic Ern. pro vulg. *potuissent*.

*Elaborata*) Vulgo *laborata*. Sed etsi apud poëtas *laborare* dicitur pro *elaborare*, ut *laboratae vestes* Virg. Aen. I, 639; Cicero tamen eo verbo sic non utitur. Itaque ex Ant. Augustini coniectura, Ursino quoque probata, scripsi *elaborata*.

*Illis studiis, artibus*) Palimps. Taur. .... *dis illis artibus*. Scheda incipit a posteriore syllaba v. *studiis*; ut probabiliter scriptum fuerit *illis studiis, illis artibus*. Typ.

*In hospitem*) Sic Palimps. Taur. optime; scilicet in Dionem; subaudi *illatum*. Peyr. Vulgo *hospite*.

*Actum si comperisset*) Ita Palimps. Taur. Vulgo *actum quum comperisset*.

comperisset, doleret, id a suis servis tentatum esse negligeret? quod in agris locisve publicis factum reprehenderet, id in urbe ac suae domi coeptum esse, leviter ferret? quod in alicuius agrestis periculo non praetermitteret, id homo eruditus in insidiis doctissimi hominis dissimulandum putaret? Sed cur diutius vos, iudices, teneo? ipsius iurati religionem auctoritatemque percipite, atque omnia diligenter testimonii verba cognoscite. Recita testimonium Lucceii. TESTIMONIVM LVCCEII. Quid exspectatis amplius? an aliquam vocem putatis ipsam pro se causam et veritatem posse mittere? Haec est innocentiae defensio; haec ipsius causae oratio; haec una vox veritatis. In crimine ipso nulla suspicio est; in re nihil est argumenti; in negotio, quod actum esse dicitur, nullum vestigium sermonis, loci, temporis; nemo testis, nemo conscius nominatur; totum crimen profertur ex inimica, ex infami, ex crudeli, ex facinorosa, ex libidinosa domo; domus autem illa, quae tentata scelere isto nefario dicitur, plena est integritatis, officii, religionis; ex qua domo recitatur vobis iureiurando devincta auctoritas: ut res minime dubitanda in contentione ponatur, utrum temeraria, procax, irata mulier finxisse crimen, an gravis, sapiens, moderatusque vir religiose testimonium dixisse videatur.

*Id a suis servis tentatum esse negligeret*) Assumpsi *servis* a Palimps. Taur. probante Peyrono V. Cl. TYP.

*Locisve publicis*) Palimps. Taur. *locisque publicis.*

*Ac suae domi*) Palimps. Taur. *ac domi suae.*

*Leviter ferret*) Palimps. T. *leniter*, quod Graevius e cod. Erf. malebat.

*In insidiis doctissimi hominis*) Palimps. Taur. perspicue *nocentissimi*; scilicet Caelii, qui fuisset nocentissimus homo. PEYR. — *Doctissimi*, sc. Dionis; hoc enim melius respondet superiori *agrestis periculo*. Antitheses quae praecedunt vulgatam confirmare videntur. TYP.

*In re nihil est argumenti*) Ita Palimps. Taur. omissa copula *et* quae contextum enervat. PEYR.

*Illa quae tentata scelere*) Palimps. Taur. *illa quae temptata esse scelere.*

*Integritatis, officii*) Palimps. Taur. *integritatis, dignitatis, officii.*

XXIII. Reliquum est igitur crimen de veneno: cuius ego neque principium invenire, neque evolvere exitum possum. Quae fuit enim causa, quamobrem isti mulieri venenum vellet dare Caelius? Ne aurum redderet? num petivit? Ne crimen haereret? num quis obiecit? num quis denique fecisset mentionem, si hic nullius nomen detulisset? quin etiam Herennium dicere audistis, verbo se molestum non futurum fuisse Caelio, nisi iterum eadem de re suo familiari absoluto nomen hic detulisset. Credibile est igitur, tantum facinus nullam ob causam esse commissum? et vos non videtis, fingi sceleris maximi crimen, ut alterius causa sceleris suscipiendi fuisse videatur? Cui denique commisit? quo adiutore usus est? quo socio? quo conscio? cui tantum facinus, cui se, cui salutem suam credidit? Servisne mulieris? sic enim obiectum est. Et erat tam demens hic, cui vos ingenium certe tribuitis, etiamsi cetera inimica oratione detrahitis, ut omnes suas fortunas alienis servis committeret? At quibus servis? refert enim magnopere id ipsum: hisne, quos intelligebat non communi conditione servitutis uti, sed licentius, liberius, familiarius cum domina vivere? quis enim

*Neque principium invenire*) Palimp. Taur. *nec principium invenire.*

*Venenum vellet dare Caelius*) Palimps. Taur. *v. dare vellet C.*

*Ne crimen haereret?*) in Caelio. Quod crimen? auri a Clodia sumpti. Man. — *Num quis obiecit?*) ei de auro. Quod si nemo obiecit; quid erat, cur timeret ne crimen haereret? Idem.

*Ne crimen haereret?*) Palimps. T. *ne crimen haberet.* Melius congruit cum praecedenti *redderet*, cuius nominativus est *Caelius*. Iam si legas *haereret*, subaudiendum est *ei*. Peyr.

*Hic nullius nomen detulisset*) Ita Palimps. Taur. Vulgo *hic nemini nomen detulisset.*

*Non futurum fuisse Caelio*) Palimps. Taur. *non futurum Caelio*, omisso *fuisse*; optime, iudice Peyrono V. Cl. T.

*Iterum eadem de re*) Bis enim Caelius in iudicium de ambitu vocavit Atratini accusatoris patrem. Man.

*Sceleris maximi*) Auri a Clodia sumpti ad sollicitandos servos. Ferr.

*Alterius*) Veneni in Clodiam parati. Idem.

hoc non videt, iudices? aut quis hoc ignorat, in eiusmodi domo, in qua materfamilias meretricio more vivat, in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit, in qua lustra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia atque flagitia versentur; hic servos non esse servos? quibus omnia committantur? per quos gerentur? qui versentur iisdem in voluptatibus? quibus occulta credantur? ad quos aliquantum etiam ex quotidianis sumtibus ac luxuria redundet? Id igitur Caelius non videbat? Si enim tam familiaris erat mulieris, quam vos vultis; istos quoque servos familiares esse dominae sciebat. Sin ei tanta consuetudo, quanta a vobis inducitur, non erat; quae cum servis potuit familiaritas esse tanta?

XXIV. Ipsius autem veneni quae ratio fingitur? ubi quaesitum est? quemadmodum paratum? quo pacto? cui, quo in loco traditum? Habuisse aiunt domi, vimque eius esse expertum in servo quodam, ad rem istam parato; cuius perceleri interitu esse ab hoc comprobatum venenum. Proh dii immortales! cur interdum in hominum sceleribus maximis aut connivetis, aut praesentis fraudis poenas in diem reservatis? Vidi enim, vidi, et illum hausi dolorem vel acerbissimum in vita, quum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriae, quumque ille vir, qui se natum huic imperio putavit, tertio die post, quam in curia, quam in rostris, quam in republica floruisset, integerrima aetate, optimo habitu, maximis viribus, eriperetur indignissime bonis omnibus,

*Ad rem istam*) Ernestio auctore reposui *istam*, pro vulg. *ipsam* quod h. l. non est aptum.

*Q. Metellus*) Clodiae vir, supra nominatus. FERR. — *Abstraheretur*) Significat hunc a Clodia uxore veneno sublatum; qua de causa *Clytemnestra* dicta est, allegorice, et aenigmatice, *quod ut illa ferro virum Agamemnonem, sic haec Metellum interfecerit.* Quintilian. VIII, 6. HOT.

atque universae civitati. Quo quidem tempore ille moriens, quum iam ceteris ex partibus oppressa mens esset, extremum sensum ad memoriam reipublicae revocabat: quum me intuens flentem significabat interruptis atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella urbi, quanta tempestas civitati: et quum parietem saepe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebro Catulum, saepe me, saepissime rempublicam nominabat: ut non tam, se emori, quam spoliari suo praesidio quum patriam, tum etiam me, doleret. Quem quidem virum si nulla vis repentini sceleris sustulisset, quonam modo ille furenti fratri suo patrueli consularis restitisset, qui consul incipientem furere atque conantem, sua se manu interfecturum, audiente senatu, dixerit? Ex hac igitur domo progressa ista mulier, de veneni celeritate dicere audebit? Nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eiiciat? non parietes conscios, non noctem illam funestam ac luctuosam perhorrescet? Sed revertar ad crimen. Etenim haec facta illius clarissimi ac fortissimi viri mentio et vocem meam fletu debilitavit, et mentem dolore impedivit.

*Revocabat*) Auctoribus Graev. et Gronov. praetuli lectionem cod. Rubenii. Vulg. *reservabat*.

*Quanta impenderet procella urbi*) Ex consulatu C. Caesaris, propter leges, quae ferebantur. Obiit Metellus Celer Caesare et Bibulo coss. MAN. Al. *civi*. Moriens nempe duo haec ominabatur et praedicebat, cladem civi, i. e. Ciceroni, et cladem patriae.

*Nulla vis repentini sceleris sustulisset*) Nempe significat suspicionem, Metellum ab uxore Clodia venenu fuisse interemptum.

*Furenti*) P. Clodio tribuno pl. quum me patria expulit. HOT. — *Fratri suo patrueli*) Non quod nati essent duobus fratribus, sed quod mater Clodii soror esset patris Metelli Celeris. ID.

*Incipientem furere*) Ad plebem transire conantem, quum Herennius tribunus pl. legem de eo ad plebem traducendo promulgabat: in quo obstitit Celer consul. Vide Attic. I, ep. 13. ID.

*Eiiciat?*) Vulg. *eliciat*; scil. ne, quum audeat de veneni celeritate dicere, ex ipsa domo vocem eliciat. Muret. tamen malebat *eiiciat*, quod in aliquot MSS. invenerat; idque

XXV. Sed tamen venenum unde fuerit, quemadmodum paratum sit, non dicitur. Datum esse hoc aiunt P. Licinio, pudenti adolescenti et bono, Caelii familiari; constitutum factum esse cum servis, ut venirent ad balneas Senias; eodem Licinium esse venturum, atque iis veneni pyxidem traditurum. Hic primum illud requiro: quid attinuerit illud ferri in eum locum; cur illi servi non ad Caelium domum venerint. Si manebat tanta illa consuetudo Caelii cum Clodia, tantaque familiaritas: quid suspicionis esset, si apud Caelium mulieris servus visus esset? Sin autem iam suberat simultas, exstincta erat consuetudo, discidium exstiterat: hinc illae lacrymae nimirum, et haec causa est horum omnium scelerum atque criminum. Immo, inquit, quum servi ad dominam rem istam, et maleficium Caelii detulissent, mulier ingeniosa praecepit suis, ut omnia Caelio pollicerentur: sed, ut venenum, quum a Licinio traderetur, manifesto comprehendi posset, constitui iussit balneas Senias, ut eo mitteret amicos, qui delitescerent; deinde repente, quum venisset Licinius, ut venenum traderet, prosilirent, hominemque comprehenderent.

XXVI. Quae quidem omnia, iudices, perfacilem rationem habent reprehendendi. Cur enim balneas publicas potissimum constituerat? in quibus non invenio, quae latebra togatis hominibus esse possit.

Vrsinus probavit, comparato Eurip. Hippolyto, v. 418.

*Constitutum factum esse*) Hanc lectionem defendit I. F. Gronov. Obss. I, 1. Lambinus *factum* eiecerat.

*In eum locum*) Vulgo additur *constitutum*, quod iam Ern. uncis inclusit, additum scil. a glossatore e superioribus.

*Hinc illae lacrymae*) Hinc odium Clodiae, quod se contemni doleret, quod discidium ferre non posset. Verba Sosiae sunt apud Terentium in Aud. act. I, sc. 1, 99, quae in proverbium quasi abierant. MAN.

*Constitui*) *Locum* quod vulgo additur, Ern. auctore, delevi. Mox *Senias* habent optimi codd. Al. *Xenias*.

Nam si essent in vestibulo balnearum; non laterent: sin se in intimum coniicere vellent; nec satis commode, calceati et vestiti, id facere possent, et fortasse non reciperentur; nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Atque equidem vehementer exspectabam, quinam isti viri boni, testes huius manifesto deprehensi veneni dicerentur. Nulli enim sunt adhuc nominati. Sed non dubito, quin sint pergraves, qui primum sint talis feminae familiares; deinde eam provinciam susceperint, ut in balneas contruderentur: quod illa, nisi a viris honestissimis ac plenissimis dignitatis, quam velit sit potens, nunquam impetravisset. Sed quid ego de dignitate istorum testium loquor? Virtutem eorum diligentiamque cognoscite. In balneis delituerunt: testes egregios! deinde temere prosiluerunt: homines gravitati deditos? sic enim fingunt, quum Licinius venisset, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidisset, tum repente evolasse istos, praeclaros testes sine nomine: Licinium autem, quum iam manum ad tradendum pyxidem porrexisset, retraxisse, atque illo repentino hominum impetu se in fugam coniecisse.

XXVII. O magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam, contraque fictas omnium insidias, facile se per se ipsa defendat! Verum

*Quadrantaria illa permutatione*) Dicit *illa*, tanquam de re nota: fama enim pervulgata erat, quod ex Plutarcho liquet, adolescentem quendam in Clodiae loculos pro nummis argenteis quadrantes aereos immisisse. Cum hoc ioco alterum coniungit, balneatori Clodiam, facta sui copia, familiarem esse potuisse: ut stuprum quasi loco quadrantis esset, quem balneator ab iis, qui lavarent, mercedem suam accipere soleret. Et in hoc quoque quadrantaria permutatio est, quadrante in stuprum permutato. Horatius Sat. 3, lib. I, *Quadrante lavato*. Seneca rem quadrantariam balneum vocat, epist. 86; Iuvenalis Sat. 6: *Caedere Sylvano porcum, quadrante lavari*. Man.

*Facile se per se ipsa*) Recte hoc

haec tota fabella veteris et plurimarum fabularum poëtriae, quam est sine argumento? quam nullum invenire exitum potest? Quid enim? isti tot viri (nam necesse est fuisse non paucos, ut et comprehendi Licinius facile posset, et res multorum oculis esset testatior), cur Licinium de manibus amiserunt? qui minus enim Licinius comprehendi potuit, quum se retraxit, ne pyxidem traderet, quam si non retraxisset? Erant enim illi positi, ut comprehenderent Licinium; ut manifesto Licinius teneretur, aut quum retineret venenum, aut quum tradidisset. Hoc fuit totum consilium mulieris, haec istorum provincia, qui rogati sunt: quos quidem tu quamobrem temere prosiluisse dicas, atque ante tempus, non reperio. Fuerant hoc rogati, fuerant ad hanc rem collocati, ut venenum, ut insidiae, facinus denique ipsum ut manifesto comprehenderetur. Potuerunt ne meliori tempore prosilire, quam quum Licinius venisset? quum in manu teneret veneni pyxidem? qui si, quum iam erat tradita servis, evasissent subito ex balneis Liciniumque comprehendissent; imploraret hominum fidem, atque a se illam pyxidem traditam pernegaret. Quem quomodo illi reprehenderent? vidisse se dicerent? primum ad se revocarent maximi facinoris crimen: deinde

Ern. auctore Graevio reposuit pro vulg. *facile per se ipsam.*

*Quid enim? isti tot viri*) Sic interpunxi, quum vulgo esset *quid enim isti tot viri?*

*Quam si non retraxisset?*) Graev. e codd. Franc. et Erf. recepit *quam si tradidisset.*

*Aut quum retineret — aut quum tradidisset*) Pro *aut — aut* Ernestius malebat *et — et.*

*Qui si, quum iam erat tradita servis, evasissent subito ex balneis*) Sic emendandum h. l. censuit Ern. qui vulgo sic legitur: *quae si quum iam erat tradita servis, evasissent subito ex balneis mulieris amici Liciniumque* etc. — Amar vulgatam servavit.

*Hominum fidem*) Cod. Erf. Franc. it. ed. pr. *omnium fidem.*

*Maximi facinoris crimen*) Duplex esse potest sensus: 1. Se non solum testes, sed etiam accusatores et actores in causa periculosa et maximi facinoris profiterentur. 2. Periculum adirent, ne veneno in ipsorum mani-

id se vidisse dicerent, quod, quo loco collocati fuerant, non potuissent videre. Tempore igitur ipso se ostenderunt, quum Licinius venisset, pyxidem expediret, manum porrigeret, venenum traderet. Mimi ergo est iam exitus, non fabulae: in quo quum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus; deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur. Quaero enim, cur Licinium titubantem, haesitantem, cedentem, fugere conantem, mulieraria manus ista de manibus emiserit; cur non comprehenderint; cur non ipsius confessione, multorum oculis, facinoris denique voce, tanti sceleris crimen expresserint? an timebant, ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent?

XXVIII. Nullum argumentum in re, nulla suspicio in causa, nullus exitus criminis reperitur. Itaque haec causa, ab argumentis, a coniectura, ab iis signis, quibus veritas illustrari solet, ad testes tota traducta est. Quos quidem ego testes, iudices, non modo sine ullo timore, sed etiam cum aliqua spe delectationis exspecto. Praegestit animus iam videre, primum lautos iuvenes, mulieris beatae ac nobilis familiares; deinde fortes viros, ab imperatrice in insidiis atque in praesidio balnearum locatos: ex quibus requiram, quonam modo latuerint, aut ubi. Alveusne ille, an equus Troianus fuerit, qui tot invictos viros, muliebre bellum gerentes, tulerit ac texerit. Illud vero re-

bus depreheuso, et calumniae in Licinium, et veneficii anctores dicerentur, et ita crimen in se revocarent. Abr.

*Mimi — non fabulae*) Fabula perfecta et principium habet et finem, ut illae Plauti et Terentii; imperfecta, quae dicitur Mimus, neutrum habet, et ut clausulam atque exitum aliquem eidem dent, fingunt alicuius fugam, atque ita concluditur Comoedia. Scabillum autem instrumentum est musicum, quod pedis pulsu lignea solea, vel ferrea percutiebatur. Ferr.

*Quonam modo latuerint*) Palimps. Taur. *quemadmodum lat.*

spondere cogam, cur tot viri ac tales, hunc et unum et tam imbecillum, quam videtis, non aut stantem comprehenderint, aut fugientem consequuti sint. Qui se nunquam profecto, si istum in locum processerint, explicabunt, quamvis in conviviis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diserti sint. Alia fori vis est, alia triclinii; alia subselliorum ratio, alia lectorum; non idem iudicum comessatorumque conspectus; lux denique longe alia est solis, ac lychnorum. Quamobrem excutiemus omnes istorum delicias, omnes ineptias, si prodierint. Sed, si me audiant, navent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis se rebus ostentent; vigeant apud istam mulierem venustate; dominentur sumtibus; haereant, iaceant, deserviant; capiti vero innocentis et fortunis parcant.

XXIX. « At sunt servi illi, de cognatorum sententia, nobilissimorum et clarissimorum hominum, manumissi. » Tandem aliquid invenimus, quod ista mulier, de suorum propinquorum, fortissimorum virorum, sententia atque auctoritate, fecisse dicatur. Sed scire cupio, quid habeat argumenti ista manumissio: in qua aut crimen est Caelio quaesitum, aut quaestio sublata, aut multarum rerum consciis servis cum causa praemium persolutum. « At propinquis placuit. »

*Quamvis in conviviis*) Ita Palimps. Taur. Vulgo, *quam volent in conviviis*. T.

*Ac lychnorum*) Sic edidi e Palimps. Vulgo *et lych*. T.

*Et fortunis*) Pal. T. *fortunisque*.

*Manumissi*) Vt optime de domina meriti, ad quam tantum facinus detulissent. Man.

*Fecisse dicatur*) Sic edd. pr. quod Ern. restituit. Gruterus e codd. Pall. Erf. Gembl. dedit *videatur*. — Etiam Palimps. T. *dicatur*.

*Crimen est Caelio quaesitum*) Vt iidem manumissi viderentur, quia fideles in dominam fuissent, eique de veneno significassent. Man.

*Sublata*) Sic Palimps. Taur. quod Lamb. Ernest. aliique divinando coniecerunt. Vulgo perperam *sublevata*.

*Cum causa*) Causa videbatur haec, quia Caelianum facinus ad dominam detulissent: sed alia causa erat, nempe, ut multarum rerum consciis praemium persolveretur. Man.

*At propinquis placuit*) Palimps. T.

Cur non placeret, quum rem tute ad eos non ab aliis tibi allatam, sed a te ipsa compertam, deferre diceres? Hic etiam miramur, si illam commenticiam pyxidem obscenissima sit fabula consequuta? Nihil est, quod in eiusmodi mulierem non cadere videatur. Audita et percelebrata sermonibus res est. Percipitis animis, iudices, iamdudum, quid velim, vel potius, quid nolim dicere. Quod etiamsi est factum, certe a Caelio non est factum (quid enim attinebat?); sed ab aliquo fortasse adolescente, non tam insulso, quam non verecundo. Sin autem est fictum, non illud quidem molestum, sed tamen est non inficetum mendacium. Quod profecto nunquam hominum sermo atque opinio comprobasset, nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare apte viderentur.

XXX. Dicta est a me causa, iudices, et perorata. Iam intelligitis, quantum iudicium sustineatis, quanta res sit commissa vobis. De vi quaeritis: quae lex ad imperium, ad maiestatem, ad statum patriae, ad salutem omnium pertinet; quam legem Q. Catulus armata dissensione civium, reipublicae paene extremis temporibus, retulit; quaeque lex, sedata illa flamma con-

*Ad propinquis inquid placuit*, optime e sententia Peyroni V. Cl. Vulgatam tamen praefero, quum in huiusmodi obiectionibus ut plurimum *inquit* omittatur; praeterea insuavis prorsus cacophonia existeret. TYP.

*Quum rem tute ad eos*) Palimps. T. *quum tu rem te ad eos.*

*Fabula consequuta*) Ignoratur proculdubio haec fabula, et propter obscoenitatem a Cicerone non fuit prodita, praesertim quum omnium ore tum celebraretur. GRAEV.

*Quod etiamsi est factum*) Turpe illud, quod de pyxide vulgatum fuerat, dubitat, verumne sit, an fictum. Si verum est, inquit, id non fecit Caelius, sed aliquis alius adolescens. Si fictum, libido Clodiae fecit illud credibile. FERR.

*Certe a Caelio non est factum; (quid enim attinebat?)* H. l. sic Ernestius constituit. Vulgo edebatur: *certe a Caelio non est factum; quid enim attinebat? est enim ab aliquo fortasse—.*

*Retulit*) Sic Pighius ad A. V. 664. Vulgo *tulit.*

sulatus mei, fumantis reliquias coniurationis exstinxit. Hac enim lege Caelii adolescentia non ad reipublicae poenas, sed ad mulieris libidines et delicias deposcitur. Atque hoc etiam loco M. Camurtii et C. Aesernii damnatio praedicatur. O stultitiamne dicam, an impudentiam singularem! Audetisne, quum ab ea muliere veniatis, facere istorum hominum mentionem? audetisne excitare tanti flagitii memoriam, non exstinctam illam quidem, sed repressam vetustate? Quo enim illi crimine peccatoque perierunt? nempe, quod eiusdem mulieris dolorem et iniuriam Vettiano nefario sunt stupro persequuti. Ergo, ut audiretur Vettii nomen in causa, ut illa vetus Afrania fabula refricaretur, idcirco Camurtii et Aesernii causa est renovata, qui quamquam lege de vi certe non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, ut ex nullius legis laqueis emittendi viderentur. M. vero Caelius cur in hoc iudicium vocatur? cui neque proprium quaestionis crimen obiicitur, nec vero aliquid eiusmodi, quod sit a lege seiunctum, at cum vestra severitate coniunctum. Cuius prima aetas dedita disciplinis fuit, iisque artibus, quibus instruimur ad hunc usum forensem, ad capessendam rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem: iis autem amicitiis maiorum natu, quorum imitari industriam continentiamque maxime

*Aesernii*) Vulgo *M. Camurti* et *C. Aeserni*. At *Camurtii* Manutius, *Aesernii* Lambinus praetulit probante Ernestio.

*At cum vestra severitate coniunctum*) Vulgo *et cum vestra severitate coniunctum*. Recte vero Ern. monuit legendum esse *at cum v. s. c.* Nimirum hoc ait Cicero: Non solum crimen Caelio non obiicitur, quod ad quaestionem quam vos exercetis, pertinet, sed ne obiicitur quidem aliquid, quod etsi non incurrat in legem, de qua vestra est quaestio, tamen sit eiusmodi, ut in illud pro severitate vestra, quasi censoria, animadvertere possitis.

*Iis autem*) *Fuit* vulgo additum delevi, quod iam Ernestio temere repetitum videbatur.

*Maxime vellet*) Sic Ern. Vulgo *velit*.

vellet; iis aequalium studiis, ut eundem, quem optimi ac nobilissimi, petere cursum laudis videretur. Quum autem paulum iam roboris accessisset aetati, in Africam profectus est, Q. Pompeio proconsuli contubernalis, castissimo viro atque omnis officii diligentissimo; in qua provincia quum res erant et possessiones paternae, tum etiam usus quidam provincialis, non sine causa a maioribus huic aetati tributus. Discessit illinc Pompeii iudicio probatissimus, ut ipsius testimonio cognoscetis. Voluit vetere instituto, eorum adolescentium exemplo, qui post in civitate summi viri et clarissimi cives exstiterunt, industriam suam a populo romano ex aliqua illustri accusatione cognosci.

XXXI. Vellem alio potius eum cupiditas gloriae detulisset; sed abiit huius tempus querelae. Accusavit C. Antonium, collegam meum: cui misero praeclari in rempublicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. Postea nemini [1] concessit aequalium, plus ut in foro, plus ut in negotiis versaretur, causisque amicorum, plus ut valeret inter suos gratia. Quae nisi vigilantes homines, nisi sobrii, nisi industrii consequi non possunt, omnia labore et diligentia est consequutus. In hoc flexu quasi aetatis (nihil enim occultabo, fretus humanitate ac sapientia vestra) fama adolescentis paulum haesit ad metas notitia nova mulieris, et infelici vicinitate, et insolentia voluptatum: quae quum inclusae diutius, et prima aetate compressae et constrictae

*Beneficii memoria*) Victo eius auspiciis exercitu Catilinae.

(1) Palimps. Amb. *nemini unquam.*

*Nocuit opinio maleficii cogitati*) Accusatus de maiestate, quod in Macedonia provincia male rempubl. administrasset, eo maxime nomine damnatus est, quod crederetur coniurasse cum Catilina. Fern.

*Notitia nova mulieris*) Clodiae.

*Et infelici vicinitate*) De qua supra dixerat c. 8.

fuerunt, subito se nonnunquam profundunt atque eiiciunt universae. Qua ex vita, vel dicam, quo ex sermone (nequaquam enim tantum erat, quantum homines loquebantur), verum ex eo, quidquid erat, emersit, totumque se eiecit atque extulit; tantumque abest ab illius familiaritatis infamia, ut eiusdem nunc ab sese inimicitias odiumque propulset. Atque ut iste interpositus sermo deliciarum desidiaeque moreretur (fecit, me mehercule invito, et multum repugnante; sed tamen fecit), nomen amici mei de ambitu detulit, quem absolutum insequitur, revocat; nemini nostrum obtemperat; est violentior, quam vellem. Sed ego non loquor de sapientia, quae non cadit in hanc aetatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam; quae studia in his iam aetatibus nostris contractiora esse debent, in adolescentia vero tanquam in herbis, significant, quae virtutis maturitas, et quantae fruges industriae sint futurae. Etenim semper magno ingenio adolescentes refrenandi potius a gloria, quam incitandi fuerunt; amputanda plura sunt illi aetati, siquidem efflorescit ingenii laudibus, quam inserenda. Quare si cui nimium effervisse videtur huius, vel in suscipiendis, vel in gerendis inimicitiis, vis, ferocitas, pertinacia; si quem etiam minorum horum aliquid offendit; si purpurae genus, si amicorum catervae, si splendor, si nitor: iam ista deferverint; iam aetas omnia, iam dies mitigarit.

*In hanc aetatem*) Erat annos natus 31. Nam sexennio post aedilis fuit; ad quem magistratum exigebatur annus 37. FERR.

*Si purpurae genus*) In tunica. Nam etsi nondum erat senator, tunica tamen purpureis distincta clavis utebatur; quod equitibus Romanis licebat. Hac igitur purpura delectabatur Caelius elegantiore, et splendidiore, quam ferre adolescentes reliqui solerent. MAN.

*Iam aetas omnia, iam*) *Ista* a Vi-

XXXII. Conservate igitur reipublicae, iudices, civem bonarum artium, bonarum partium, bonorum virorum. Promitto hoc vobis, et reipublicae spondeo, si modo nos ipsi reipublicae satisfecimus, nunquam hunc a nostris rationibus seiunctum fore. Quod quum fretus nostra familiaritate promitto, tum quod durissimis se ipse legibus iam obligavit. Neque enim potest, qui hominem consularem, quod ab eo rempublicam violatam diceret, in iudicium vocarit, ipse esse in republica civis turbulentus: non potest, qui ambitu ne absolutum quidem patitur esse absolutum, ipse impune unquam esse largitor. Habet a M. Caelio respublica, iudices, duas accusationes, vel obsides periculi, vel pignora voluntatis. Quare oro, obtestorque vos, iudices, ut qua in civitate paucis his diebus Sex. Clodius absolutus sit, quem vos per biennium aut ministrum seditionis, aut ducem vidistis, qui aedes sacras, qui censum populi romani, qui memoriam publicam suis manibus incendit, hominem sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis; ore, lingua, manu, vita omni inquinatum; qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit; qui in Palatio atque in urbis oculis servitia ad caedem, et inflammandam urbem incitavit: in ea civitate ne patiamini illum absolutum muliebri gratia, M. Caelium libidini muliebri condonatum: ne eadem mulier

clorio additum melius omittunt edd. pr.

*Obsides periculi*) Sensus est: securitatem reipubl. praestant, nunquam Caelium aliquid ausurum quod ei periculum afferre possit. Simile illud Nepotis Phoc. 2, *negavit, esse periculum, seque eius rei obsidem fore.* Ern. Aptissime laudat Abramius Quintiliani locum XII, 7: *Creditique sunt etiam clari iuvenes obsidem reipublicae dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos, nec simultates provocare, nisi ex fiducia bonae mentis videbantur.*

*Censum populi Romani*) i. e. tabulas censorias.

*Memoriam — incendit*) Incenso sc. tabulario.

cum suo coniuge et fratre, turpissimum latronem eripuisse, et honestissimum adolescentem oppressisse videatur. Quod quum huius vobis adolescentiam proposueritis, constituitote vobis ante oculos etiam huius miseri senectutem, qui hoc unico filio nititur, in huius spe requiescit, huius unius casum pertimescit: quem vos supplicem vestrae misericordiae, servum potestatis, abiectum non tam ad pedes, quam ad mores sensusque vestros, vel recordatione parentum vestrorum, vel liberorum iucunditate sustentate: ut in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentiae vestrae serviatis. Nolite, iudices, aut hunc iam natura ipsa occidentem, velle maturius exstingui vulnere vestro, quam suo fato; aut hunc nunc primum florescentem, firmata iam stirpe virtutis, tanquam turbine aliquo, aut subita tempestate pervertere. Conservate parenti filium, parentem filio: ne aut senectutem iam prope desperatam contempsisse, aut adolescentiam plenam spei maximae, non modo non aluisse vos, sed etiam perculisse atque afflixisse videamini. Quem si vobis, si suis, si reipublicae conservatis, addictum, deditum, obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis; omniumque huius nervorum ac laborum vos potissimum, iudices, fructus uberes diuturnosque capietis.

*Et fratre*) P. Clodio, cf. c. 13 extr.
*Huius miseri senectutem*) Patris Caelii qui aderat in iudicio.
*Quam ad mores*) Cod. Erf. abest *mores*, haud scio an melius.

*Vt in alterius dolore*) Abramius corrigendum putabat *alterutrius*. Sed alibi quoque *alter* ponitur pro *alteruter*, ut Acad. II, c. 43.
*Conservatis*) Ern. malebat *conservaritis*.

# ORATIO

DE

# PROVINCIIS

CONSVLARIBVS

# ORATIO

DE

# PROVINCIIS

CONSVLARIBVS

## SVMMARIVM

A. V. C. 697 Cn. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo coss. quum lege Sempronia sancitum esset, ut ante comitia consularia senatus decerneret, in quas provincias consules designati post consulatum mitterentur, actum est in senatu, quid de Galliis duabus, de Syria et Macedonia fieri placeret. Gallias duas uno imperio Caesar regebat; Syriam Gabinius, Macedoniam Piso obtinebat. Decernendae erant provinciae duae; Servilius igitur ante Ciceronem sententiam rogatus Syriam et Macedoniam decernendas; alii censuerunt, ut alterutra Gallia Caesari detraheretur. Cicero sententiam rogatus primum e Macedonia Pisonem c. 1-4, deinde e Syria Gabinium revocandum esse docet c. 5: ita ut hae provinciae per instantem annum praetoriae sint, anno proxime sequente consulares; c. 6 7. Caesari autem succedendum nondum esse censet. Et quoniam aliquis familiaris negaverat Ciceronem inimiciorem Gabinio debere esse quam Caesari, omnem enim illam exsilii tempestatem Caesare impulsore atque adiutore esse excitatam, Cicero primum exemplis fortissimorum et clarissimorum virorum se defendit, quod communis potius utilitatis rationem habeat, quam doloris sui c. 8 9; deinde ostendit se in Caesare ornando senatus voluntatem et reipublicae utilitatem sequi c. 10 11. Non autem utile esse reipublicae, hunc imperatorem, incensum ad rempublicam bene gerendam, revocare; et totam Gallici belli rationem, prope iam explicatam, perturbare atque impedire; c. 12-14. Illas autem sententias duorum senatorum minime pro-

bandas esse, quorum alter ulteriorem Galliam decernat cum Syria, alter citeriorem c. 15. Neque vero committendum esse, ut ullus vir clarus ac potens senatui iure irasci posse videatur, ac propterea Gallias Caesari in medio rerum gestarum et gerendarum cursu non adimendas; c. 16. Deinde breviter explicat, quae sibi ipsi sit ratio et causa cum Caesare. Sibi igitur cum eo inimicitias fuisse nunquam; opinionem iniuriae ab eo acceptae beneficiis extinctam esse; c. 17–19. Postremo sententiae suae argumenta breviter recolligit; c. 20.

Ac Caesari quidem SCto prorogatum est in utraque Gallia imperium; Pisoni A. V. 698 Q. Ancharius, Gabinio A. 699 M. Licinius Crassus successit.

## I.

Si quis vestrum, Patres conscripti, exspectat, quas sim provincias decreturus, consideret ipse secum, qui mihi homines ex provinciis potissimum detrahendi sint: non dubitabit, quid me sentire conveniat, quum, quid mihi sentire necesse sit, cogitarit. Ac, si princeps eam sententiam dicerem, laudaretis profecto;

*Si quis vestrum*) Quoniam probe noverant senatores omnes, Pisonem, et Gabinium Ciceronis esse inimicos, facile poterant suspicari, eum odio impulsum potius, quam studio in rempublicam suu, sententiam esse dicturum; hanc statim ex eorum animis evellere nititur opinionem. Atque haec exordii est communis sententia; in quo etiam conatur adducere in odium adversarios; eorumque nomen traducit apud senatum, tanquam hominum de republica male meritorum. Prudenter igitur amovet impedimenta omnia, quae sibi officere poterant, ne sua sententia comprobaretur. Nam si aliqua perturbatione commotus, videatur quis sententiam dicere, non tam reipublicae commodo, quam libidini propriae videbitur satisfacere velle. MAN.

*Detrahendi*) Lambin. *retrahendi*.

*Quid mihi sentire necesse sit*) Non quidem omnino necessarium erat, ut ita sentiret orator, revocandosque existimaret e provinciis duos illos consulares, sed ex hypothesi, ut aiunt, si nimirum more suo vellet, id quod esset e republica suadere. Hoc enim innuit, ea conditione, iisque moribus esse homines illos, ut velit nolit, ita sentire cogatur, neque possit illos in provinciis relinquere, quin de republica male mereatur. MAN.

si solus, certe ignosceretis. Etiam si paulo minus utilis vobis sententia videretur, veniam tamen aliquam dolori meo tribueretis. Nunc vero, Patres conscripti, non parva afficior voluptate, vel quod hoc maxime reipublicae conducit, Syriam Macedoniamque decerni, ut dolor meus nihil a communi utilitate dissentiat; vel quod habeo auctorem P. Servilium, qui ante me sententiam dixit, virum clarissimum, et quum in universam rempublicam, tum etiam erga meam salutem, fide ac benivolentia singulari. Quod si ille et paulo ante, et, quotiescumque ei locus dicendi ac potestas fuit, Gabinium et Pisonem, duo reipublicae portenta ac paene funera, quum propter alias causas, tum maxime propter illud insigne scelus eorum, et importunam in me crudelitatem, non solum sententia sua, sed etiam verborum gravitate notandos putavit: quonam me animo in eos esse oportet, cuius illi salutem pro pignore tradiderunt ad expiandas suas cupiditates? Sed ego in hac sententia dicenda non parebo dolori meo, nec iracundiae serviam. Quo animo unusquisque vestrum debet esse in illos, hoc ero; praecipuum illum, et proprium sensum doloris mei, quem tamen vos communem semper vobis mecum esse duxistis, a sententia dicenda amovebo; ad ulciscendi tempora reservabo.

II. Quatuor sunt provinciae, Patres conscripti, de quibus adhuc intelligo sententias dictas: Galliae duae, quas hoc tempore uno imperio videmus esse coniun-

*Verborum gravitate*) Vulgo additur *esse*, quod auctore Ern. delevi; quia in hac formula solet omitti, et h. l. molestum est, quum statim sequatur *in eos esse*.

*Salutem pro pignore*) Cum hostibus meis pactionem fecerunt, ut si provincias eis tribuerent, ipsi meam illis salutem proderent, et quasi pignus in manus darent. Hot.

*Ad expiandas suas cupiditates?*) Sic septem cod. Pall. Erf. Franc. et receperunt Gruter. Ern. Alii *explendas*, quod Graevius quoque probavit.

ctas, et Syria et Macedonia: quas, vobis invitis et oppressis, pestiferi illi consules pro eversae reipublicae praemiis occupaverunt. Decernendae nobis sunt lege Sempronia duae. Quid est, quod possimus de Syria Macedoniaque dubitare? Mitto, quod eas ita partas habent ii, qui nunc obtinent, ut non ante attigerint, quam hunc ordinem condemnarint; quam auctoritatem vestram e civitate exterminarint; quam fidem publicam, quam perpetuam populi romani salutem, quam me, ac meos omnes foedissime crudelissimeque vexarint. Omnia domestica illa, atque urbana mitto; quae tanta sunt, ut nunquam Hannibal huic urbi tantum mali optavit, quantum illi effecerint. Ad ipsas venio provincias. Quarum Macedonia, quae erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, sed tropaeis, quae multis victoriis erat iamdiu triumphisque pacata, sic a barbaris, quibus est propter avaritiam pax erepta, vexatur, ut Thessalonicenses, positi in gremio imperii nostri, relinquere oppidum, et arcem munire cogantur; ut via illa no-

*Hanc ordinem condemnarint*) Nam qui Ciceronem condemnarunt, qui nihil nisi auctore senatu gesserat, senatum ipsum condemnasse intelliguntur. Hot.

*Fidem publicam*) P. Manutius recte *fidem publicam* dixit esse fidem Ciceroni datam a senatu, quum eius iussu in carcere necavit Catilinae socios. Graev.

*Quam perpetuam populi Romani salutem*) Ernestius putabat hic verbum aliquod excidisse. Sane aptum esset *afflixeriat*, aut *violarint*.

*Quam perpetuam populi Romani salutem*) Huc facit quod scripsit Cicero. de Legib. lib. III, c. 12: *Ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii, quodque is creverit, defendant omnes: et, si ordines reliqui, principis ordinis consilio rempublicam gubernari velint, possit, ex temperatione iuris, quum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri moderatus et concors civitatis status.* Si iuris illa temperatio concordem civitatis statum continet, in quo eius est posito salus, hunc ergo vexavere improbi consules, qui senatus auctoritate exterminata, populo inconsultam potestatem dedere. Fronto Duc.

*Via illa nostra — militaris*) De hac militari via *per Macedoniam usque ad Hellespontum*, agit Nic. Bergerius, in Militarium viarum Historia, lib. III, cap. 4, quo lectorem remitto. Dictae

stra, quae per Macedoniam est usque ad Hellespontum militaris, non solum excursionibus barbarorum sit infesta, sed etiam castris Thraciis distincta ac notata. Ita gentes eae, quae, ut pace uterentur, vim argenti dederant praeclaro nostro imperatori, ut exhaustas domos replere possent, pro empta pace bellum nobis prope iustum intulerunt.

III. Iam vero exercitus ille noster superbissimo delectu, et durissima conquisitione collectus, omnis interiit. Magno hoc dico cum dolore. Miserandum in modum milites populi romani capti, necati, deserti, dissipati sunt; incuria, fame, morbo, vastitate consumpti: ut, quod est indignissimum, scelus imperatoris, in poenam exercitus expetiisse videatur. Atque hanc Macedoniam, domitis iam gentibus finitimis, Barbariaque compressa, pacatam ipsam per se et quietam, tenui praesidio, atque exigua manu, etiam sine imperio, per legatos, nomine ipso populi romani tuebamur; quae nunc consulari imperio atque exercitu ita vexata est, vix ut se possit diuturna pace recreare; quum interea, quis vestrum hoc non audivit, quis ignorat, Achaeos ingentem pecuniam pendere L. Pisoni quotannis? vectigal ac portorium Dyrrhachinorum totum in huius unius quaestum esse conversum? urbem Byzantiorum, vobis atque huic imperio fidelissimam, hostilem in modum esse vexatam? quo ille,

militares vel quod labore militum stratae essent, vel quod per eas exercitus procederent. ABR.

*Vim argenti*) In edd. pr. usque ad Ald. est *vim argentorum*, in quo Ern. suspicatur latere *vim argenti magnam*, vel *maximam*.

*Durissima conquisitione*) Conquisiti diligentissime, et sacramento adacti, nulla cuiquam data missione. DUC.

*Vastitate*) Sterilitate et solitudine locorum, et inopia rerum omnium. GRAEV.

*Expetiisse*) Sic recte Guliel. emendandum censuit vulg. *expetitum esse*.

*Achaeos*) Achaia, proprie appellata, de qua Plinius l. 5, et Sigonius de Ant. Iure Prov. I, 9, uno imperio coniuncta fuit cum Macedonia, et continebat ipsa Graeciam et Epirum. DUC.

posteaquam nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla vi a miseris extorquere potuit, cohortes in hiberna misit: his praeposuit, quos putavit fore diligentissimos satellites scelerum, ministros cupiditatum suarum. Omitto iurisdictionem in libera civitate contra leges senatusque consulta, caedes relinquo, libidines praetereo; quarum acerbissimum exstat indicium, et ad insignem memoriam turpitudinis, et paene ad iustum imperii nostri odium, quod constat, nobilissimas virgines se in puteos abiecisse, et morte voluntaria necessariam turpitudinem depulisse. Nec haec idcirco omitto, quod non gravissima sint, sed quia nunc sine teste dico.

IV. Ipsam vero urbem Byzantiorum fuisse refertissimam atque ornatissimam signis, quis ignorat? quae illi exhausti sumtibus bellisque maximis, quum Mithridaticos impetus, totumque Pontum armatum, effervescentem in Asiam atque erumpentem, aegre repulsum et interclusum cervicibus suis sustinerent, tum, inquam, Byzantii, et postea signa illa, et reliqua urbis ornamenta, sanctissime custodita, tenuerunt. Te imperatore infelicissimo et teterrimo, Caesonine Calventi, civitas libera, et proximis suis beneficiis a senatu et a populo romano liberata, sic spoliata atque nudata est, ut, nisi C. Virgilius, legatus, vir fortis et

*Iurisdictionem in libera civitate*) Insignis locus, unde intelligitur, ex civitatibus, quas populus Romanus in suam potestatem redegerat, alias fuisse in provinciae formam redactas, in quibus magistratus populi Romani iurisdictionem exercebat, alias liberas, quae suis legibus et magistratibus utebantur. Hor.

*Necessariam turpitudinem depulisse*) i. e. alias inevitabilem. Hanc lectionem ex edd. pr. revocavit Graevius, probante Ernestio. Vulgo inde ab Aldo *nefariam*.

*Caesonine Calventi*) Caesoninus a patre, Calventius a matre nominatus est Piso, ignominiae causa. Nam et mater fuit ignobilis, et pater furti peculatusque videtur fuisse convictus. Vid. in Pison. cap. 38. Abr.

*C. Virgilius*) Sic MSS. ap. Grut. et Graev. qui id recepit imitante Ern. Vulgo *Virginius*.

innocens, intervenisset, unum signum Byzantii ex maximo numero nullum haberent. Quod fanum in Achaia, qui locus, aut lucus in Graecia tota tam sanctus fuit, in quo ullum simulacrum, ullum ornamentum reliquum sit? Emisti a foedissimo tribuno plebis, tum in illo naufragio huius urbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, everteras: tum, inquam, emisti grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis ius in liberos populos contra senatusconsultum, et contra legem generi tui, dicere liceret. Id emptum ita vendidisti, ut aut ius non diceres, aut bonis cives romanos everteres. Quorum ego nihil nunc, Patres conscripti, in hominem ipsum; de provincia disputo. Itaque omnia illa, quae et saepe audistis, et tenetis animis, etiamsi non audiatis, praetermitto; nihil de hac eius urbana, quam ille praesens in oculis vestris mentibusque defixit, audacia loquor; nihil de superbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate disputo. Lateant libidines eius illae tenebricosae, quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia contegebat: de provincia, quod agitur, id disputo. Huic vos non summittetis? hunc diutius manere patiemini? cuius, ut provinciam tetigit, sic fortuna cum improbitate certavit, ut nemo posset, utrum posterior, an infelicior esset, iudicare.

*Quam tu idem, qui gubernare debueras, everteras*) Sic editum est e libro Vrsini. Vulgo olim *quum tu idem, qui gubernare debueras, everteras.*

*Generi tui*) C. Caesaris, ab eo consule latam. Fuit hoc in lege eius de provinciis ordinandis, ut patet ex Or. in Pisonem, ubi eiusdem legis mentio. Non est autem existimandum, in lege illa nomina tim depecuniis creditis scriptum fuisse, sed ne magistratus in liberis civitatibus dicerent. Sed id lege Clodia Pisoni et Gabinio permissum. Ern.

*Huic vos non summittetis?*) H. e. *huic successorem non mittetis?* Et Vrsinus e lib. vett. affert *successorem mittetis* pro *summittetis*, quod videtur e glossemate ortum.

*Vtrum posterior*) Hoc est, improbior, nequior. Vt enim in censendis aestimandisque hominibus, ponuntur in prima classe boni ac probi, ita improbi et nequam in postrema. Dvc.

An vero in Syria diutius est Semiramis illa retinenda? cuius iter in provinciam fuit eiusmodi, ut rex Ariobarzanes consulem vestrum ad caedem faciendam, tanquam aliquem Threcem, conduceret. Deinde adventus in Syriam primus, equitatus habuit interitum; post concisae sunt optimae cohortes. Igitur in Syria, imperatore illo, nihil aliud actum est, nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis, decisiones, direptiones, latrocinia, caedes, quum palam populi romani imperator, instructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi et empta et emenda esse clamaret.

V. Iam vero publicanos miseros (me etiam miserum, illorum ita de me meritorum miseriis ac dolore) tradidit in servitutem Iudaeis et Syris, nationibus natis servituti. Statuit ab initio, et in eo perseveravit, ius publicano non dicere; pactiones sine ulla iniuria factas rescidit; custodias sustulit; vectigales multos ac stipendiarios liberavit; quo in oppido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani servum esse vetuit. Quid multa? crudelis haberetur, si in hostem animo fuisset eo, quo fuit in cives romanos,

*Semiramis illa retinenda?*) Gabinium significat, effeminatum scil. et libidinosum.

*Ad caedem faciendam, tanquam aliquem — conduceret*) Vsus est Gabinio ad tollendam Archelaum aemulum suum, qui cum non quidem tum, fugerat enim in Aegyptum, sed post quum Ptolemaeum in Aegyptum reduceret, interfecit. Ern.

*Decisiones*) Decisio, est pactio, transactio, atque adeo condictio transigendi. Ern.

*Hortaretur — clamaret*) MSS. ap. Grul. ib. cod. Erf. *hortetur — clamet.*

*Custodias sustulit*) Publicani servos habebant in regionum finibus, ad portas urbium, ut nunc quoque fit, qui vel obambulantes, vel sedentes explorabant, quid importaretur, exportareturve. Hae sunt *custodiae*, quas sustulit Gabinius. Dvc.

*Publicani servum*) Servi publicanorum ii dicebantur, quorum opera utebantur publicani ad exigendas pecunias. Corrupta latinitas eos appellavit *servientes:* quae vox, ex trita litera *v*, et sequente mutata de vocali in consonantem, mansit in populari Gallorum sermone. Id.

eius ordinis praesertim, qui est semper dignitate sua, benignitate magistratus sustentatus. Itaque videtis, Patres conscripti, non temeritate redemptionis, aut negotii gerendi inscitia, sed avaritia, superbia, crudelitate Gabinii, paene afflictos iam atque eversos publicanos; quibus quidem vos, in his angustiis aerarii, tamen subveniatis necesse est: etsi iam multis non potestis; qui propter illum hostem senatus, inimicissimum ordinis equestris bonorumque omnium, non solum bona, sed etiam honestatem miseri deperdiderunt: quos non parsimonia, non continentia, non virtus, non labor, non splendor tueri potuit contra illius helluonis et praedonis audaciam. Quid? qui se etiam nunc subsidiis patrimonii, aut amicorum liberalitate sustentant, hos perire patiemur? An, si qui frui publico non potuit per hostem, hic tegitur ipsa lege censoria: quem is frui non sinit, qui est, etiam si non appellatur, hostis, huic ferri auxilium non oportet? Retinete igitur in provincia diutius eum, qui de sociis cum hostibus, de civibus cum sociis faciat pactiones; qui hoc etiam se pluris esse, quam collegam, putet, quod ille vos tristitia vultuque deceperit, ipse nunquam se minus, quam erat, nequam esse simularit. Piso autem alio quodam modo gloriatur, se brevi tempore perfecisse, ne C. Gabinius unus omnium nequissimus existimaretur.

VI. Hos vos de provinciis, si non aliquando deducendi essent, deripiendos non putaretis? et has duplices pestes sociorum, militum clades, publicanorum ruinas, provinciarum vastitates, imperii maculas, te-

*Lege censoria*) Qua publicanis, si quando accidat ut propter hostem minime possint vectigalia exigere, datur remissio. Aequum etiam videtur, ut eadem conditione sint publicani Syriae, quandoquidem ab hoste Gabinio fuerunt prohibiti, ne vectigalibus fruerentur. ID.

neretis? At iidem vos, anno superiore, hos eosdem revocabatis, quum in provincias iam pervenissent: quo tempore si liberum vestrum iudicium fuisset, nec toties dilata res, nec ad extremum e manibus erepta esset; restituissetis, id quod cupiebatis, vestram auctoritatem, iis, per quos erat amissa, revocatis, et his ipsis praemiis extortis, quae erant pro scelere atque eversione patriae consequuti: qua e poena si tum aliorum opibus, non suis, invitissimis vobis, evolarunt, at aliam multo maiorem gravioremque subierunt. Quae enim homini, in quo aliquis si non famae pudor, at supplicii timor est, gravior poena accidere potuit, quam non credi literis his, quae rem bene gestam in bello nuntiarent? Hoc statuit senatus, quum frequens supplicationem Gabinio denegavit: primum, homini sceleribus, flagitiis contaminatissimo, nihil esse credendum; deinde, a proditore, atque eo, quem praesentem hostem reipublicae cognosset, bene rem geri non potuisse; postremo, ne deos quidem immortales velle aperiri sua templa, et sibi supplicari hominis impurissimi et sceleratissimi nomine. Itaque ille alter, aut ipse est homo doctus, et a suis Graecis subtilius eruditus, quibuscum iam in exostra helluatur,

*Anno superiore*) Senatus, ut superioris anni vulneribus mederetur, primum omnium Ciceronem ab exilio revocavit, deinde deliberavit de universa republica. Censebant multi omnes leges Clodii per vim et contra auspicia latas esse abrogandas, atque inter ceteras eam, qua Pisoni Macedoniam, Gabinio Syriam decreverat: sed quum inter eas una esset maxime popularis, qua remissis semissibus et trientibus frumentum de publico plebi dabatur, Senatui liberum non fuit, quod cupiebat, decernere, quum praesertim eo tempore propter famem seditio timeretur, nec huius legis abrogatione plebs exacerbanda videretur. Abr.

*Praemiis extortis*) Provincias praemia vocat scelerum, quia Clodius eas decrevit coss. quod Ciceronem et patriam prodidissent. Id.

*Qua e poena*) Lectionem *quam poenam* tuentur recentiores edd. inde ab Aldo. Olim *qua poena*, unde Ern. fecit *qua e poena*.

*In exostra — siparium*) Voces theatricae. *Exostra*, machina spectato-

antea post siparium solebat, aut amicos habet prudentiores, quam Gabinius, cuius nullae literae perferuntur. Hosce igitur imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere, ne imperator appelletur; alterum, si tabellarii non cessarint, necesse est paucis diebus poeniteat audere: cuius amici si qui sunt, aut si belluae tam immani tamque tetrae possunt ulli esse amici, hac consolatione utuntur, etiam T. Albucio supplicationem hunc ordinem denegasse. Quod est primum dissimile. Res in Sardinia cum mastrucatis latrunculis a propraetore una cohorte auxiliaria gesta, et bellum cum maximis Syriae gentibus, tyrannis, consulari exercitu, imperioque confectum. Deinde Albucius, quod a senatu petebat, ipse sibi in Sardinia ante decreverat. Constabat enim, Graecum hominem ac levem, in ipsa provincia quasi triumphasse. Itaque hanc eius temeritatem senatus supplicatione denegata notavit. Sed fruatur sane hoc solatio, atque hanc insignem ignominiam, quoniam uni, praeter se, inusta est, putet esse leviorem; dummodo, cuius exemplo se consolatur, eius exitum exspectet:

ribus res intus gestas patefaciens: *siparium*, eas tegens. Dvc. Sensus est: qui prius veluti cum histrionibus et mimis retro velum helluabatur, id iam propalam factitat. *An.*

*Nullae literae perferuntur*) Prudentiores quam Gabinius, dicitur Piso amicos habere, qui vel dissuaserint ei literas ad senatum de rebus suis gestis mittendas, vel missas non reddiderint.

*Ne imperator appelletur*) Graevius legi volebat *imperatorne appelletur*. Vulgata vero defendi potest, si ironice accipiatur; metuit enim ne eum indignum censeat senatus imperatoris nomine.

*Paucis diebus poeniteat audere*) Scil. si literas a senatu acceperit, quibus ei, supplicationem denegatam esse, nuntietur, poenitebit eum de rebus suis gestis publice scripsisse, nec postea scribet.

*Hac consolatione utuntur*) Ern. mavult *utentur*.

*Mastrucatis*) Mastruca vestis erat Sardorum e pellibus. TVRNEB., quem vide Advers. XX, 9.

*Graecum hominem*) Non quod natus in Graecia esset Albucius, sed quoniam *doctus graecis* literis, *vel potius paene Graecus*, ut ait Cicero Brut. 35. Item de Finib. I, 3. Dvc.

*Eius exitum exspectet*) Reversus e

praesertim quum in Albucio nec Pisonis libidines, nec audacia Gabinii fuerit; hac tamen una plaga conciderit, ignominia senatus.

VII. Atqui duas Gallias qui decernit consulibus duobus, hos retinet ambo: qui autem alteram Galliam, et aut Syriam, aut Macedoniam, tamen alterum retinet, et in utriusque pari scelere disparem conditionem facit. Faciam, inquit, illas praetorias, ut Pisoni et Gabinio succedatur statim. Si hic sinat. Tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non potest. Itaque ego idem, qui nunc consulibus iis, qui designati erunt, Syriam Macedoniamque decerno, decernam easdem praetorias, ut et praetores annuas provincias habeant, et eos quam primum videamus, quos animo aequo videre non possumus. Sed mihi credite: nunquam succedetur illis, nisi quum ea lege referetur, qua intercedi de provinciis non licebit. Itaque, hoc tempore amisso, annus est integer vobis exspectandus: quo

Sardinia T. Albucius, de pecuniis repetundis postulatus fuit, et Athenas exul abiit. Id.

*Ignominia senatus*) Id est, quam senatus imposuit. Quemadmodum Aeneid. II, 436, *vulnus Ulyssis* est, quod Ulysses inflixerat, ut Servius interpretatur. Videri potest Gellius IX, 12. Id.

*Faciam, inquit, illas praetorias*) Exponit, ac refellit alteram sententiam, quae duas Gallias, Caesari ademptas, duobus futuris consulibus decernebat. Per quandam prosopopoeiam, loquentem facit auctorem eius sententiae. Si revoco, *inquit*, Caesarem, non idcirco Pisonem et Gabinium retineo in provinciis, quas obtinent. Immo vero id ago, *ut illis succedatur statim*. Nam quas obtinent provincias, *illas faciam praetorias*; hoc est, ut diximus, dabo administrandas praetoribus. Id.

*Si hic sinat*) Demonstrat aliquem tribunum plebis Pisoni et Gabinio faventem.

*Intercedere poterit*) Nempe e lege Sempronia, C. Gracchi, decreto de provinciis consularibus neminem intercedere licebat; de praetoriis autem intercedi poterat.

*Decernam easdem praetorias*) Hoc dixit: Quia non potuerunt in suas provincias ire consules, nisi post annum, *decernam*, Syriam et Macedoniam fore interim *praetorias*, ut eas *Praetores annuas habeant*, administrentque per eum annum, quo anno magistratum in urbe gerent consules, quibus fuerint decretae. Revera facta est Macedonia praetoria in annum, et Q. Anchario data. Duc.

interiecto, civium calamitas, sociorum aerumna, sceleratissimorum hominum impunitas propagatur.

VIII. Quod si essent illi optimi viri, tamen ego mea sententia C. Caesari succedendum nondum putarem. Qua de re dicam, Patres conscripti, quod sentio, atque illam interpellationem mei familiarissimi, qua paulo ante interrupta est oratio mea, non pertimescam. Negat me vir optimus inimiciorem Gabinio debere esse, quam Caesari. Omnem enim illam tempestatem, cui cesserim, Caesare impulsore atque adiutore esse excitatam. Cui si primum sic respondeam, me communis utilitatis habere rationem, non doloris mei: possimne probare, quum id me facere dicam, quod exemplo fortissimorum et clarissimorum civium facere possim? An non Ti. Gracchus (patrem dico, cuius utinam filii ne degenerassent a gravitate paterna!) tantam laudem est adeptus, quod tribunus plebis solus ex toto illo collegio L. Scipioni auxilio fuit, inimicissimus et ipsius, et fratris eius, Africani, iuravitque in concione, se in gratiam non rediisse; sed alienum sibi videri dignitate imperii, quo duces essent hostium, Scipione triumphante, ducti, eodem ipsum duci, qui triumphasset? Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Crassus, M. Scaurus, inimici; omnes Metelli. At hi non modo illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebant, sed et propter rationem Gallici belli, provinciam extra ordinem

*An non Ti. Gracchus*) Recte refutavit Ern. Graevium, qui particulam *non*, quamvis non sine codd. MSS. auctoritate delevit, quam sententia necessario requirit.

*L. Crassus, M. Scaurus, inimici*) Vulgo legitur: *L. Crassus, M. Scaurus. Aliine inimici? Omnes Metelli.* Ego vero in emendando h. l. Ernestium secutus sum.

*Non modo illum inimicum*) *Inimicum* Ern. malebat abesse.

*Gallici belli*) Schützius *Cimbrici belli*, quod vulgatum ob ambiguitatem molestum sit, et de Cimbrico bello esset intelligendum. Male, ait Amar, et contra oratoris consilium. Satius duxi vulgatam sequi. Typ.

*Provinciam extra ordinem decernebant*) Quum modis tribus extraordi-

decernebant. Bellum in Gallia maximum gestum est; domitae sunt a Caesare maximae nationes, sed nondum legibus, nondum iure certo, nondum satis firma pace devinctae. Bellum affectum videmus, et, vere ut dicam, paene confectum: sed ita, ut, si idem extrema persequitur, qui inchoavit, iam omnia perfecta videamus; si succeditur, periculum sit, ne instauratas maximi belli reliquias ac renovatas audiamus. Ergo ego senator, inimicus, si ita vultis, homini, amicus esse, sicut semper fui, reipublicae debeo.

IX. Quid, si ipsas inimicitias depono reipublicae causa? quis me tandem iure reprehendat? praesertim quum ego omnium meorum consiliorum atque factorum exempla semper ex summorum hominum factis mihi censuerim petenda. An non M. ille Lepidus, qui bis consul et pontifex maximus fuit, non solum memoriae testimonio, sed etiam annalium literis et summi poëtae voce laudatus est, quod cum M. Fulvio collega, quo die censor est factus, homine inimicissimo, in campo statim rediit in gratiam, ut commune officium censurae communi animo ac voluntate defenderent? Atque, ut vetera, quae sunt innumera-

nariam provinciam obtinere diceretur quispiam (1. si privatus esset, 2. si prorogaretur illi imperium, 3. si magistratus ipse nominatim in provinciam mitteretur); quaeritur, quomodo Marius extra ordinem gesserit bellum adversus Gallos. An quod erat privatus? Nequaquam; nam in singulos annos consul reficiebatur. An prorogato imperio seu per populum, seu per senatum? Multo minus; iis enim, qui iam magistratu abiissent, prorogabatur imperium: at Mario, iure consulatus, quotannis provincia debebatur. Quid igitur dicendum est? Decretum a Senatu factum fuisse, idemque renovatum quotannis, ut Marius consul, sine sorte, et nominatim provinciam illam administraret. Hi ergo Senatores, qui Mario *provinciam extra ordinem decernebant*, ita singulis annis decernebant, ut sublata provinciarum consularium sortitione, eam nominatim Marius haberet, in qua bellum cum Gallis gerebatur. Fera.

*At non M. ille Lepidus*) Iterum male Graevius, praeeunte etiam Grutero particulam *non* delevit. Ern. dedit *an vero non*. Sed *vero* melius abest ed. Ald. al.

*Summi poëtae*) Ennii.

bilia, mittam; tuus pater, Philippe, nonne uno tempore cum suis inimicissimis in gratiam rediit? quibus eum omnibus eadem respublica reconciliavit, quae alienarat. Multa praetereo, quod intueor coram haec lumina atque ornamenta reipublicae, P. Servilium et M. Lucullum: utinam etiam L. Lucullus ille viveret! Quae fuerunt inimicitiae graviores in civitate, quam Lucullorum atque Serviliorum? quas in viris fortissimis non solum exstinxit respublica, dignitasque ipsorum, sed etiam ad amicitiam consuetudinemque traduxit. Quid? Q. Metellus Nepos, nonne consul in templo Iovis optimi maximi permotus quum auctoritate vestra, tum illius P. Servilii incredibili gravitate dicendi, absens mecum, summo suo beneficio, rediit in gratiam? An ego possum huic esse inimicus, cuius literis, fama, nuntiis celebrantur aures quotidie meae novis nominibus gentium, nationum, locorum? Ardeo, mihi credite, Patres conscripti, (id quod vosmet de me existimatis, et facitis ipsi) incredibili quodam amore patriae: qui me amor et subvenire olim impendentibus periculis maximis cum dimicatione capitis, et rursum, quum omnia tela undique esse intenta in patriam viderem, subire coëgit, atque excipere unum pro universis. Hic me meus in rempublicam animus pristinus ac perennis cum C. Caesare reducit, reconciliat, restituit in gratiam.

X. Quod volent denique, homines existiment; nemini ego possum esse bene de republica merenti non

*Respublica, dignitasque ipsorum*) Sic Graevius e MS. Erf. edidit. Vulgo *reipublicae dignitas et ipsorum*.

*Summo suo beneficio*) Cod. Erf. *summo beneficio*. Ernestio totum hoc non placebat.

*Rursum*) Pisone et Gabinio coss. quum exire de civitate malui, quam committere, ut boni cum improbis dimicarent. Abr.

amicus. Etenim si iis, qui haec omnia flamma ac ferro delere voluerunt, non inimicitias solum, sed etiam bellum indixi atque intuli, quum partim mihi illorum familiares, partim etiam, me defendente, capitis iudiciis essent liberati; cur eadem respublica, quae me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non possit? Quod mihi odium cum P. Clodio fuit, nisi quod perniciosum patriae civem fore putabam, qui turpissima libidine incensus, duas res sanctissimas, religionem et pudicitiam, uno scelere violasset? Num est igitur dubium ex iis rebus, quas is egit, agitque quotidie, quin ego, in illo oppugnando, reipublicae plus, quam otio meo; nonnulli, in eodem defendendo, suo plus otio, quam communi, prospexerint? Ego me a C. Caesare in republica dissensisse fateor, et sensisse vobiscum: sed nunc iisdem vobis assentior, cum quibus antea sentiebam. Vos enim, ad quos literas L. Piso de suis rebus non audet mittere; qui Gabinii literas insigni quadam nota atque ignominia nova condemnastis: C. Caesari supplicationes decrevistis, numero, ut nemini, uno ex bello; honore, ut omnino nemini. Cur igitur exspectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reducat? Reduxit ordo amplissimus, et ordo is, qui est et publici consilii, et meorum omnium consiliorum auctor et princeps. Vos sequor, Patres conscripti, vobis obtempero, vobis assentior: qui, quamdiu C. Caesaris consilia in republica non maxime diligebatis, me quoque cum illo minus coniunctum videbatis; posteaquam rebus gestis mentes vestras voluntatesque mutastis, me non

*Vno scelere*) Quum in templum Bonae Deae, muliebri vestitu libidinis causa penetravit. MAN.

*Ignominia nova*) Denegatione supplicationis.

*Supplicationes*) Cod. Erf. *supplicationem*.

*Numero*) quindecim dierum. FERR.

solum comitem esse sententiae vestrae, sed etiam laudatorem vidistis.

XI. Sed quid est, quod in hac causa maxime homines admirentur et reprehendant meum consilium, quum ego idem antea multa decreverim, [1] quae magis ad hominis dignitatem, quam ad reipublicae necessitatem pertinerent? Supplicationem quindecim dierum decrevi sententia mea. Reipublicae satis erat tot dierum, quot C. Mario. Diis immortalibus non erat exigua eadem gratulatio, quae ex maximis bellis. Ergo ille cumulus dierum hominis est dignitati tributus. In quo ego, quo consule referente, primum decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompeio, Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello, cuius sententia primum duplicata est supplicatio consularis (mihi enim estis assensi, quum, eiusdem Pompeii literis recitatis, confectis omnibus maritimis terrestribusque bellis, supplicationem dierum decem decrevistis), sum Cn. Pompeii virtutem et animi magnitudinem admiratus, quod, quum ipse ceteris omnibus esset omni honore antelatus, ampliorem honorem alteri tribuebat, quam ipse erat consequutus. Ergo in illa supplicatione, quam ego decrevi, res ipsa tributa est diis immortalibus et maiorum institutis et utilitati reipublicae; sed dignitas verborum, honos, et novitas, et numerus dierum, Caesaris ipsius laudi gloriaeque concessus est. Relatum est ad nos nuper

(1) Ern. et Schulz. *decrerim*. T.

*In quo ego*) Locus hic omnino probat, usque ad Ciceronem consulem, dies non plures quinis fuisse tributos supplicationibus. Duplicavit numerum Cicero consul in gratiam Pompeii; triplicavit in gratiam Caesaris; qui post paulo quadruplicatam dierum viginti supplicationem habuit, ut ipse narrat de Bell. Gall. lib. IV. Dvc.

*Supplicationem dierum decem*) Sic legendum esse post Manutium docuit Graevius. Antea enim erant supplicationes quinque dierum. Duplicato igitur numero fiebant *decem*. Vulgo *duodecim*.

de stipendio exercitus: non decrevi solum, sed etiam, ut vos decerneretis, laboravi; multa dissentientibus respondi; scribendo affui. Tum quoque homini plus tribui, quam nescio cui necessitati. Illum enim arbitrabar, etiam sine hoc subsidio pecuniae, retinere exercitum praeda ante parta, et bellum conficere posse; sed decus illud et ornamentum triumphi minuendum nostra parsimonia non putavi. Actum est de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii exempla quaerebant, alii tempus differebant, alii sine ullis verborum ornamentis dabant. In ea quoque re sic sum loquutus, ut omnes intelligerent, me id, quod reipublicae causa sentirem, facere uberius propter ipsius Caesaris dignitatem.

XII. At ego idem nunc in provinciis decernendis, qui illas omnes res egi silentio, interpellor: quum superioribus causis hominis ornamenta fuerint, in hac me nihil aliud, nisi ratio belli, nisi summa utilitas reipublicae moveat. Nam ipse Caesar, quid est, cur in provincia commorari velit, nisi ut ea, quae per eum affecta sunt, perfecta reipublicae tradantur? Amoenitas eum, credo, locorum, urbium pulcritudo, hominum nationumque illarum humanitas et lepos, victoriae cupiditas, finium imperii nostri propagatio retinet. Quid illis terris asperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porro tot

*De stipendio exercitus*) Propterea quod quum auxisset suas legiones Caesar, opus illi fuit novo stipendio, quod a senatu petendum fuit. Duc.

*Actum est de decem legatis*) Qui confecto tantum bello mittebantur ad res provinciae componendas: hinc subiicit, *Alii exempla quaerebant*, nondum scilicet confecto in Gallia bello. Ferr.

*Per eum affecta sunt*) Gellius N. A. lib. III, c. 16: « *Affecta* sicuti M. Cicero et veterum elegantissimi locuti sunt, ea proprie dicebantur, quae non ad finem ipsum, sed proxime finem progressa deductaverant. Hoc verbum ad hanc sententiam in Ciceronis oratione fuit; quam dixit de *provinciis consularibus*. »

*Quid porro tot victoriis praestabi-*

victoriis praestabilius? quid Oceano longius inveniri potest? An reditus in patriam habet aliquam offensionem? utrum apud populum, a quo missus, an apud senatum, a quo ornatus est? An dies auget eius desiderium? an magis oblivionem, ac laurea illa magnis periculis parta, amittit longo intervallo viriditatem? Quare, si qui hominem non diligunt, nihil est, quod eum de provincia devocent. Ad gloriam devocant, ad triumphum, ad gratulationem, ad summum honorem senatus, equestris ordinis gratiam, populi caritatem. Sed, si ille hac tam eximia fortuna, propter utilitatem reipublicae, frui non properat, ut omnia illa conficiat: quid ego senator facere debeo, quem, etiam si ille aliud vellet, reipublicae consulere oporteret?

XIII. Ego vero sic intelligo, Patres conscripti, nos hoc tempore in provinciis decernendis, perpetuae pacis habere oportere rationem. Nam quis hoc non sentit, omnia alia esse nobis vacua ab omni periculo, atque etiam ab omni suspicione belli? Iamdiu mare videmus illud immensum, cuius fervore non solum maritimi cursus, sed urbes etiam, et viae militares

*lius?*) Non est, inquit, quod dicatur velle Caesarem manere in Gallia, ut clarioribus victoriis, et propagatis longius imperii finibus, suam ipse famam amplificet. Quid enim illustrius in re militari potest esse, quam illae sunt victoriae, quas hactenus retulit? Quid est ultra Oceanum, qui orbem terrarum terminat, et quo imperium populi Romani Caesar terminavit? Dvc.

*An dies auget eius desiderium?*) Quasi dicat, inquit Manutius: Oblivionem potius, quam desiderium, tempus auget. Quem enim aliquamdiu non vident homines, assuescunt tandem non videre, non desiderant, penitus obliviscuntur; atque ut *longo* temporis *intervallo viriditatem amittit laurea illa*, quam accepit Caesar, quum est ob victoriam ab exercitu salutatus imperator, ita ipsae eius victoriae gratiam perdunt, quam habebant in publicum, tum quum essent recentes. Hanc orator comparationem ingeniose contraxit in metaphoram. Id.

*Cuius fervore non solum maritimi cursus*) h. e. frequentibus praedonum incursionibus.

iam tenebantur, virtute Cn. Pompeii sic a populo romano, ab Oceano usque ad ultimum Pontum, tanquam unum aliquem portum, tutum et clausum teneri: nationes eas, quae numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut Asia, quae imperium antea nostrum terminabat, nunc tribus novis provinciis ipsa cingatur. Possum de omni regione, de omni hostium genere dicere. Nulla gens est, quae non aut ita sublata sit, ut vix exstet; aut ita domita, ut quiescat; aut ita pacata, ut victoria nostra imperioque laetetur. Bellum Gallicum, Patres conscripti, C. Caesare imperatore, gestum est; antea tantummodo repulsum. Semper illas nationes nostri imperatores refutandas potius bello, quam lacessendas putaverunt. Ipse ille C. Marius, cuius divina atque eximia virtus magnis populi romani luctibus funeribusque subvenit, influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit, non ipse ad eorum urbes sedesque penetravit. Modo ille meorum laborum, periculorum, consiliorum socius, C. Pomptinius, fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum, atque hac scelerata coniuratione excitatum,

*Tribus novis provinciis*) Bithynia, Ponto, Syria. Hotom.

*Sublata sit*) Sic Ern. e codd. Pal. 9, Gemblac. Erf. Olim *subacta*.

*Refutandas*) *Refutare* nativa et propria significatione, quam ex Festi, et aliorum fragmentis expressit Ios. Scaliger, est ollam, quum fervens paulo plus exuberat, iniecta aqua compescere. Haec metaphora quam sit ad rem idonea, intelligit, qui non ignorat, quae ingenia forent gentis Gallicae. An sint nunc eadem, nihil ad Tullium. Duc.

*Maximas copias repressit*) Primum quidem Ambronas Gallos cum Tigurinis coniunctos vicit ad Aquas Sextias, eamque gentem funditus abolevit; post etiam Cimbros ac Teutonas, qui cum Ambronibus conspiraverant, ingenti clade fudit; at in Galliam arma non intulit. Id.

*Allobrogum*) Quidam recentiores Geographi aiunt Allobrogum olim fuisse, quantumcumque terrarum dioecesibus Viennensi, Genevensi, Gratianopolitana, ac Mauriennensi continetur. Huic sententiae facile

proeliis fregit, eosque domuit, qui lacessierant; et ea victoria contentus, republica metu liberata, quievit.

XIV. C. Caesari longe aliam video fuisse rationem. Non enim sibi solum cum iis, quos iam armatos contra populum romanum videbat, bellandum esse duxit, sed totam Galliam in nostram ditionem esse redigendam. Itaque cum acerrimis nationibus et maximis, Germanorum et Helvetiorum, proeliis felicissime decertavit: ceteras contrivit, domuit, [compulit], imperio populi romani parere assuefecit, et, quas regiones, quasque gentes nullae nobis antea literae, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noster imperator, nosterque exercitus, et populi romani arma peragrarunt. Semitam tantum Galliae tenebamus antea, Patres conscripti: ceterae partes a gentibus aut inimicis huic imperio, aut infidis, aut incognitis, aut certe immanibus, et barbaris, et bellicosis tenebantur; quas nationes nemo unquam fuit qui non frangi domarique cuperet; nemo sapienter de republica nostra cogitavit iam inde a principio huius imperii, quin Galliam maxime timendam huic imperio putaret: sed propter vim ac multitudinem gentium illarum, nun-

accesserim. *Hadr. Valesius*, Notit. Gall.

*Proeliis felicissime decertavit*) Iure miratus est Goërenzius (ad Cic. de Fin. II, 27) Ernestium, qui ad h. l. monuit non dici *cum nationibus* et *proeliis decertare*, quasi constructio alia sit, quam ista: *proeliis decertavit cum acerrimis et maximis nationibus Germanorum et Helvetiorum*.

*Compulit*) Ernestius hoc verbum uncis incluserat; Schützius postea expunxit. Typ. — *Compulit*) Compellere, inquit Servius in Eclog. II, 2, proprie est in unum locum diversa animalia cogere. Quae metaphora apprime facit ad scopum oratoris. Significat enim id esse Gallis Caesarem, quod est homo pecudibus, quas in unum vel gregem, vel armentum cogit. Duc.

*Semitam tantum Galliae*) Galliam Narbonensem intelligit, quae iampridem Domitii Ahenobarbi, Fabii Maximi Allobrogici, et aliorum armis in populi Romani ditionem concesserat. *Semitam Galliae* vocat, quod ea provincia esset velut aditus quidam patefactus ad ceteras Galliae regiones. Abr.

quam est antea cum omnibus dimicatum. Restitimus semper lacessiti. Nunc denique est perfectum, ut imperii nostri terrarumque illarum idem esset extremum. Alpibus Italiam munierat ante natura, non sine aliquo divino numine; nam, si ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset, nunquam haec urbs summo imperio domicilium ac sedem praebuisset. Quae iam licet considant. Nihil est enim ultra illam altitudinem montium usque ad Oceanum, quod sit Italiae pertimescendum. Sed tamen una atque altera aestas, vel metu, vel spe, vel poena, vel praemiis, vel armis, vel legibus potest totam Galliam sempiternis vinculis adstringere. Impolitae vero res et acerbae si erunt relictae, quamquam sunt accisae, tamen efferent se aliquando, et ad renovandum bellum revirescent. Quare sit in eius tutela Gallia, cûius virtuti, fidei, felicitati commendata est. Etenim si fortunae muneribus amplissimis ornatus, saepius eiusdem periculum facere nollet; si in patriam, si ad deos penates, si ad eam dignitatem, quam in civitate

*Restitimus semper lacessiti*) An ergo, quotiescumque decertarunt cum Gallis Romani, ab illis lacessiti, sic eorum excepere impetum, ut nihil cladis acceperint? Atqui saepe a Gallis caesi fugatique sunt, ut ab illis aliquando Galli. Hoc vult: Quoties cum illis dimicatum fuit, id fecimus provocati; defensores fuimus semper, nunquam oppugnatores. Dvc.

*Quae iam licet considant*) Quae Alpes etiamsi plano aequarentur, id tamen deinceps curae non esset. Neque enim iam Alpium altitudo, sed Caesaris victoriae securos reddunt. Graev.

*Impolitae vero res, et acerbae*) Si prius devocetur e provincia Caesar, quam opus absolverit, et Gallos iugo assuefecerit; si res, quas inchoavit, imperfectas relinquat: eveniet, ut Galli, quamvis nunc prostrati, posthac resurgant, et resumptis viribus, atque animis, bellum instaurent. Gallicae *res* dicuntur *impolitae*, ut opera, quibus artifex supremam manum non addidit; *acerbae*, ut fructus, ante maturitatem lecti; *accisae*, ut surculi non stirpitus excisi, qui repullulant. Dvc.

*Saepius eiusdem periculum*) Vulgo *saepius eius deae periculum facere*, quo nihil stultius dici posse Ernestius ait. In ed. Wald. est *eiusdem deae*. Inde Ern. coniecit legendum *eiusdem periculum facere*.

sibi propositam, videt, si ad iucundissimos liberos, si ad clarissimum generum redire properaret; si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret; si denique timeret casum aliquem, qui illi tantum addere iam non potest, quantum auferre: vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici velle. Quum vero ille suae gloriae iampridem, reipublicae nondum satisfecerit, et malit tamen tardius ad suorum laborum fructus pervenire, quam non explere susceptum reipublicae munus: nec imperatorem, incensum ad rempublicam bene gerendam, revocare, nec totam Gallici belli rationem, prope iam explicatam, perturbare atque impedire debemus.

XV. Nam illae sententiae virorum clarissimorum minime probandae sunt: quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. Qui ulteriorem, omnia illa, de quibus disserui paulo ante, perturbat, simul ostendit, eam se sciscere legem, quam esse legem neget; et, quae pars provinciae sit, cui non possit intercedi, hanc se avellere; quae defensorem habeat, non tangere; simul et illud facit, ut, quod illi a populo datum sit, id non violet; quod senatus dederit, id senator properet auferre. Alter belli Gallici rationem habet; fungitur officio boni senatoris; legem, quam non putat, eam quoque servat. At

*Vlteriorem Galliam decernit*) Scil. ad alium transferendam et Caesari adimendam.

*Vlteriorem*) Caesari a senatu datam.

*Quam esse legem neget*) I. e. probare legem Vatiniam, qua Caesari citerior Gallia s. Cisalpina data erat.

*Cui non possit intercedi*) Scil. quia data erat lege Sempronia a senatu.

*Quae defensorem habeat*) Scil. tribunum aliquem, qui eam Caesari vindicet. Nam populi donum tueri poterat tribunus pl. intercedendo, nisi elapsum foret quinquennium a lege praefinitum. FERR.

*Rationem habet*) Scil. *ut in ulteriore Gallia, quam Caesari non adimit, bellum possit profligari.*

praefinit enim successori diem. Quo mihi nihil videtur magis a dignitate disciplinaque maiorum dissidere, quam ut, qui consul Kalendis Ian. habere provinciam debet, is ut eam desponsam, non decretam habere videatur. Fuerit toto in consulatu sine provincia, cui fuerit, antequam designatus esset, provincia decreta? Sortietur, an non? nam et non sortiri absurdum est, et quod sortitus sis, non habere. Proficiscetur paludatus? quo? quo pervenire ante certam diem non licebit. Ianuario, Februario, provinciam non habebit. Kalendis ei denique Martiis nascetur repente provincia. Attamen his sententiis Piso in provincia permanebit. Quae quum gravia sunt, tum nihil gravius illo, quod multari imperatorem deminutione provinciae, contumeliosum est; neque solum summo in viro, sed etiam mediocri in homine ne accidat, providendum.

XVI. Ego vos intelligo, Patres conscripti, multos decrevisse honores eximios C. Caesari, et prope sin-

*Eam quoque servat*) Sensus postulat: *non servat.* Nam qui citeriorem Galliam Caesari adimebat, is legem Vatiniam non servabat.

*At praefinit enim*) Vulgo *praefinit enim*, in quo iure Ernestius haerebat. Particulam igitur *At* praeposui, quae facile potuit ab ultima praecedentis verbi syllaba absorberi. Sic omnia plana.

*Quo mihi nihil videtur magis*) Sic optime Manutius emendavit vulgatam scripturam *qui mihi nihil videtur minus.*

*Kalendis Ian.*) Sensus est: Consul Kal. Ian. debet habere provinciam. At, qui sortietur Galliam citeriorem, in toto consulatu erit sine provincia. Quin etiam Ianuario et Februario anni subsequentis non habebit provinciam, quae illi Kal. Mart. repente nascetur, elapso quinquennio lege Vatinia praescripto. Ferr.

*Vt eam desponsam*) Bene Hotomannus: *Alludit ad sponsalia quae nuptias in diem differrent.* Itaque frustra hic Ernestius haesit, adeo ut *decretam* ei videretur glossema esse verbi *desponsam*. Antequam nimirum consules designarentur, moris erat, ut provinciae futuris consulibus decernerentur. Tum duo designati inter se sortiebantur vel comparabant provincias. Kalendis igitur Ianuariis ex decreto provinciam consules habebant. Hac ratione autem consul quoniam ante Kalendas Martias anni proximi succedere Caesari non poterat, quasi desponsam habebat provinciam, non decretam.

gulares: si quod ita meritus erat, grati: sin etiam, ut quam coniunctissimus huic ordini esset, sapientes ac divini fuistis. Neminem unquam est hic ordo complexus honoribus et beneficiis suis, qui ullam dignitatem praestabiliorem ea, quam per vos esset adeptus, putarit. Nemo unquam hic potuit esse princeps, qui maluerit esse popularis. Sed homines aut propter indignitatem suam diffisi ipsi sibi, aut propter reliquorum obtrectationem, ab huius ordinis coniunctione depulsi, saepe ex hoc portu se in illos fluctus prope necessario contulerunt. Qui si ex illa iactatione cursuque populari, bene gesta republica, referunt adspectum in curiam, atque huic amplissimae dignitati commendati esse volunt: non modo non repellendi sunt, verum etiam expetendi. Monemur a fortissimo viro, atque optimo post hominum memoriam consule, ut provideamus, ne citerior Gallia nobis invitis alicui decernatur, post eos consules, qui nunc erunt designati; perpetuoque posthac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari ac turbulenta ratione teneatur. Quam ego plagam etsi non contemno, Patres conscripti, praesertim monitus a sapientissimo consule, et diligentissimo custode pacis et otii, tamen vehementius arbitror pertimescendum, si hominum clarissimorum ac potentissimorum aut honorem minuero, aut studium erga hunc ordinem repudiaro. Nam ut C. Iulius omnibus a senatu eximiis ac novis

*Indignitatem*) Necessario sic legendum est. Vulgo *dignitatem*, quod absurdum esse vidit Ern. Eidem tamen *indignitatem* paulo durius videbatur.

*Diffisi*) Posse per senatum assequi, quae suae dignitati debita esse putaverint. FERR.

*Optimo consule*) Cn. Cornelio Lentulo; cf. Epp. ad Q. Fratrem II, 6.

*Perpetuoque*) Divinus hic fuit Marcellinus. Nam reipsa anno sequenti per alterum quinquennium a populo Galliam Caesar obtinuit: post Caesarem, nec multo post, M. Antonius: unde bellum civile. FERR.

rebus ornatus, per manus hanc provinciam tradat ei, cui minime vos velitis; per quem ordinem ipse amplissimam sit gloriam consequutus, ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad suspicandum nullo modo possum. Postremo, quo quisque animo futurus sit, nescio: quid sperem, video. Praestare hoc senator debeo, quantum possum, ne quis vir clarus, aut potens, huic ordini iure irasci posse videatur. Atque hoc, si inimicissimus essem C. Caesari, sentirem tamen reipublicae causa.

XVII. Sed non alienum esse arbitror, quo minus saepe aut interpeller a nonnullis, aut tacitorum existimatione reprehendar, explicare breviter, quae mihi sit ratio et causa cum Caesare. Ac primum illud tempus familiaritatis et consuetudinis, quae mihi cum illo, quae fratri meo, quae C. Varroni, consobrino nostro, ab omnium nostrum adolescentia fuit, praetermitto. Posteaquam sum penitus in rempublicam ingressus, ita dissensi ab illo, ut, in disiunctione sententiae, coniuncti tamen amicitia maneremus. Consul ille egit eas res, quarum me participem esse voluit: quibus ego si minus assentiebar, tamen illius mihi iudicium gratum esse debebat. Me ille, ut vigintiviratum acciperem, rogavit; me in tribus sibi coniunctissimis consularibus esse voluit; mihi legationem, quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. Quae ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione

*Per manus — tradat ei*) Innuit, neminem fore, qui Galliam a populo obtinere possit, invito Caesare. ID.

*Tacitorum*) Hoc in plerisque codd. invenerunt Grut. et Graev. Olim erat in edd. nonnullis *tacita*.

*Vigintiviratum*) Ita corrigendum esse vidit Ernestius. Cf. Epp. ad Att. IX, 2; Vellei. II, 45. Vulgo *quinqueviratum*.

*Esse voluit*) Vt cum Pisone socero et Pompeio genero tertius ipse esset. ERN. Ferrat. ex Vellei. Paterc. II, 44. intelligit Cn. Pompeium et M. Crassum. T.

*Detulit*) Epp. ad Att. II, 18 (alii 19).

quadam sententiae repudiavi. Quam sapienter, non disputo; multis enim non probabo; constanter quidem, et fortiter certe: qui quum me firmissimis opibus contra scelus inimicorum munire, et populares impetus populari praesidio propulsare possem, quamvis excipere fortunam, subire vim atque iniuriam malui, quam aut a vestris sanctissimis mentibus dissidere, aut de meo statu declinare. Sed non is solum gratus debet esse, qui accepit beneficium, verum etiam is, cui potestas accipiendi fuit. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, et convenire iis rebus, quas gesseram, non putabam. Illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem civem, suum generum, sentiebam. Traduxit ad plebem inimicum meum; sive iratus mihi, quod me secum ne beneficiis quidem videbat posse coniungi, sive exoratus. Ne haec quidem fuit iniuria. Nam postea me, ut sibi essem legatus, non solum suasit, verum etiam rogavit. Ne id quidem accepi: non quo alienum mea dignitate arbitrarer, sed quod tantum reipublicae sceleris impendere a consulibus proximis non suspicabar.

XVIII. Ergo adhuc magis est mihi verendum, ne mea superbia in illius liberalitate, quam ne illius in-

*Principem civem,*) *Civium* MSS. nonnulli et edd. vett. et Graev.

*Traduxit ad plebem*) P. Clodium, qui, nisi plebeius e patricio factus fuisset, neque tribunus plebis esse potuisset, neque Ciceroni nocere. Fer.

*Non quo alienum mea dignitate arbitrarer*) Notat hanc sententiam Hotomanus, ut illi alteri repugnantem: *Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, et convenire iis rebus, quas gesseram non putabam.* Hotomano responderet Cicero: Nihil in iis pugnae est. Ego consularis poteram legatus esse Caesaris, neque id *alienum* mea dignitate arbitrabar: sed neque illa legatio, neque *ornamenta* duo alia, quibus ornare me volebat, quinqueviratus, et consiliorum societas, me decebant, aut conveniebant iis rebus, quas gesseram. Me enim, qui semper in optimatium partibus fuissem, non decebat transire ad populares. Oliv.

iuria in nostra amicitia reprehendatur. Ecce illa tempestas, caligo bonorum, et subita atqne improvisa formido, tenebrae reipublicae, ruina atqne incendium civitatis, terror iniectus Caesari de eius actis, metus caedis bonis omnibus, consulum scelus, cupiditas, egestas, audacia. Si non sum adiutus; non debuit. Si desertus; sibi fortasse providit. Si etiam oppugnatus, ut quidam aut putant, aut volunt; violata amicitia est, accepi iniuriam, inimicus esse debui, non nego. Sed, si idem ille tum me salvum esse voluit, quum vos me, ut carissimum filium, desiderabatis; et si vos iidem pertinere ad causam illam putabatis, voluntatem C. Caesaris a salute mea non abhorrere; et, si illius voluntatis generum eius habeo testem, qui idem Italiam in municipiis, populum romanum in concione, vos, mei semper cupidissimos, in Capitolio, ad meam salutem incitavit; si denique Cn. Pompeius idem mihi testis de voluntate Caesaris, et sponsor est illi de mea: nonne vobis videor et ultimi temporis recordatione, et proximi memoria, medium illud tristissimum tempus debere, si ex rerum natura non possum evellere, ex animo quidem certe excidere?

XIX. Ego vero, si mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorem atque inimicitias meas reipublicae concessisse, quod magni cuiusdam hominis et persapientis videtur: utar hoc, quod non tam ad laudem adipiscendam, quam ad vitandam vituperationem

*Ecce illa tempestas*) Hac metaphorarum congerie notat annum, quem Gabinius et Piso consules, tribunus plebis P. Clodius, adeo turbulentum, et Ciceroni memorabilem reddiderant. Dvc.

*De eius actis*) Vide Orat. pro Sextio, cap. 7.

*Non debuit*) Hoc recte Graevius restituit ex edd. vett. et cod. Erf. Gruterus ex aliquot MSS. receperat *debui*.

*Vltimi temporis recordatione*) Designat Cicero tempus adolescentiae, *familiaritatisque*, *et consuetudinis* suae cum Caesare. Dvc.

valet, hominem me esse gratum, et non modo tantis beneficiis, sed etiam mediocri hominum benivolentia commoveri. A viris fortissimis, et de me optime meritis quibusdam peto, ut, si ego illos meorum laborum et incommodorum participes esse nolui, ne illi me suarum inimicitiarum socium velint esse, praesertim quum mihi iidem illi concesserint, ut etiam acta illa Caesaris, quae neque oppugnavi antea, neque defendi, meo iam iure possim defendere. Nam summi civitatis viri, quorum ego consilio rempublicam conservavi, et quorum auctoritate illam coniunctionem Caesaris defugi, Iulias leges, et ceteras illo consule rogatas, iure latas negabant: [1] iidem illam proscriptionem capitis mei, contra salutem reipublicae, sed salvis auspiciis, rogatam esse dicebant. Itaque vir summa auctoritate, summa eloquentia, dixit graviter, casum illum meum, funus esse reipublicae, sed funus iustum et indictum. Mihi ipsi omnino perhonorificum, disces-

*Praesertim quum mihi iidem illi concesserint*) Id est, quum fecerint ipsi, *ut iure meo possim nunc Caesaris acta defendere*. Cur enim, quod in Clodio faciunt, ego in Caesare non faciam? Catonem haec petunt. Is pro praetore missus in Cyprum fuerat ad res componendas: miserat populus, rogationem tulerat P. Clodius tribunus plebis. Reversus Cato coepit Clodiani tribunatus acta defendere, quae Cicero contendebat esse rescindenda: non enim fieri id poterat, quod Cicero volebat, quin irrita fierent ea omnia, quae in Cypro gesserat Cato. Nam si irrita erat lex, quae Catoni dederat potestatem praetoriam, irrita erant quaecumque fecerat potestate praetoria, quam habebat nullam. De Catonis coniunctione cum Clodio, vide quid scripserit Tullius ad Lentulum, Fam. lib. I, epist. 7 et 9. Id.

(1) *Negabant*) Sic Ern. recte. (immo *male*, ait Amat.) Vulgo *negant*.

*Sed funus iustum et indictum*) Eadem est sententia in Orat. pro domo, cap. 16. Porro *funus indictum*, sive *indictivum*, ut scribit Festus, erat id, ad quod per praeconem populus evocabatur. Quis autem hic vir fuerit, auctoritate et eloquentia commendabilis, qui hanc protulit sententiam, quaerunt interpretes. Quisquis hoc dixit, id, credo, voluit intelligi: Quemadmodum in funeribus iustis et indictis servantur praescripti ritus, sic in ea rogatione nihil factum esse contra auspicia. Dvc. Facit huc quoque quod observavit Henricus Norisius, Cenotaph. Pisan. Dissert. III, cap. 1, in funere indictivo nullam fieri vestium publicam mutationem.

suum meum funus dici reipublicae. Reliqua non reprehendo; sed mihi ad id, quod sentio, assumo. Nam, si illud iure rogatum dicere ausi sunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de caelo servarat: oblitine erant, tum, quum ille, qui id egerat, plebeius est lege curiata factus, dici de caelo esse servatum? qui si plebeius omnino esse non potuit, qui tribunus plebis potuit esse? et, cuius tribunatus si ratus est, nihil est, quod irritum ex actis Caesaris possit esse; eius non solum tribunatus ratus, sed etiam perniciosissimae res, auspiciorum religione conservata, iure latae videbuntur? Quare aut vobis statuendum est, legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere; quum lex feratur, de caelo servari, obnuntiari, intercedi licere; censorium iudicium ac notionem, et illud morum severissimum magisterium, non esse nefariis legibus de civitate sublatum; si patricius tribunus plebis fuerit, contra leges sacratas; si plebeius, contra auspicia fuisse: aut mihi concedant homines oportet, in rebus bonis non exquirere iura ea, quae ipsi in perditis non exquirunt, praesertim quum

Veluerant consules in Ciceronis calamitate vestes mutari. Vide Orationem pro Sextio, cap. 14. *An.*

*Si illud iure rogatum — quia nemo de caelo servarat*) Locum hunc obscurat aliquantisper traiectio vocum, quae sic ordinandae sunt: *Si ausi sunt dicere, illud, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, iure rogatum esse, quia* (quum rogaretur) *nemo de caelo servarat.* Hoc dicebat Cato de rogatione Clodii adversus Ciceronem. Duc.

*Cuius tribunatus*) Minime audiendus Ernestius, qui putabat *cuius* esse alienum a structura praesenti, et *eius* esse substituendum. Immo vero hoc mutato perturbaretur constructio. *Cuius* enim refertur ad *eius non solum.*

*Tribunatus ratus*) Recte iudicavit Ernestius post *tribunatus* perperam excidisse *ratus*, quod hic necessario repetendum erat.

*Tribunus plebis fuerit*) H. e. si Clodius ut patricius, tribunus plebis factus sit.

*In rebus bonis*) Recte Ernestius auctore Manutio delevit particulam *aut*, vulgo verbis *in rebus bonis* praemissam. Idem vidit *res bonas* dici Caesaris acta, *perditas* vero Clodii leges.

ab illis aliquoties conditio C. Caesari lata sit, ut easdem res alio modo ferret; qua conditione auspicia requirebant, leges comprobabant: in Clodio auspiciorum ratio sit eadem, leges omnes sint eversae ac perditae civitatis.

XX. Extremum illud est. Ego, si essent inimicitiae mihi cum C. Caesare, tamen hoc tempore reipublicae consulere, inimicitias in aliud tempus reservare deberem. Possem etiam summorum virorum exemplo inimicitias reipublicae causa deponere: sed, quum inimicitiae fuerint nunquam; opinio iniuriae beneficio sit exstincta: sententia mea, Patres conscripti, si dignitas agitur C. Caesaris, homini tribuam; si honos quidam, senatus concordiae consulam; si auctoritas decretorum vestrorum, constantiam ordinis in eodem ornando imperatore servabo; si perpetua ratio Gallici belli, reipublicae providebo; si aliquod meum privatum officium, me non ingratum praestabo.[1] Atque hoc velim probare omnibus, Patres conscripti; sed levissime feram, si forte aut iis minus probaro, qui meum inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt, aut iis, si qui meum cum inimico suo reditum in gratiam vituperabunt, quum ipsi et cum meo et cum suo inimico in gratiam non dubitarint redire.

(1) *Me non ingratum*) Vulgo additur *esse*, quod hic delendum recte indicavit Ern. (at minime probat Amar. *T.*)

*Qui meum inimicum*) Clodium. — *Inimico suo*) Caesare.

EVENTVS

Piso quidem et Gabinius revocati, retentus Caesar in sua provincia. Submissus in locum Gabinii M. Crassus, qui proximis comitiis designatus est consul cum Cn. Pompeio: in locum Pisonis, Q. Ancharius. Et Praetoria quidem Macedonia, Syria vero facta Consularis. Atque ita Pisoni primo quoque tempore successum est, Gabinio non nisi post annum, id est, post Crassi et Pompeii consulatum. Abr.

# ORATIO

PRO

# L. CORNELIO BALBO

# ORATIO

PRO

# L. CORNELIO BALBO

## SVMMARIVM

A. V. C. 697 Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, et L. Marcio Philippo coss. accusatus est L. Cornelius Balbus, Gadibus in Hispania natus, sed post bellum Sertorianum (rogatu L. Cornelii Lentuli, cuius nomen assumpsit) a Pompeio, lege Gellia Cornelia civitate Romana donatus. Ea enim lege a coss. L. Gellio et Cn. Cornelio A. V. 681 lata sanctum est, ut cives Romani essent optimo iure, quos Cn. Pompeius imperator de consilii bellici sententia sigillatim civitate donarit. Exortus est Gaditanus aliquis, qui Pompeii et Caesaris apud quos gratiosus erat Balbus, inimicis instigantibus, Balbo controversiam de civitate moveret. Defensores nactus est Balbus M. Licinium Crassum, Cn. Pompeium Magnum, et Ciceronem, a quo causa est perorata.

In exordio Cicero Pompeii orationem hesterno die pro Balbo habitam summis laudibus effert, et modeste fatetur difficilem sibi esse perorandi locum, quod ei orationi succedat, cuius e recordatione auditores plus voluptatis, quam non modo e sua, sed e cuiusquam oratione capere possint. Morem tamen a se gerendum esse non modo Cornelii Balbi, sed ipsius etiam Pompeii voluntati; c. 1.

Deinde initium facit ab eo, quod ipse accusator fateatur, Balbum ob virtutem bellicam a Pompeio civitate donatum esse. Quod autem Pompeius fecerit, id ei licuisse ab omnibus concedi. Non igitur ab accusatore crimen aliquod Balbi, sed Pompeii factum in iudicium vocari; quod autem Pompeium fecisse constet, id non solum decuisse, sed etiam debuisse fieri. Etenim tantas eius esse virtutes, tantam gloriam, tantam auctoritatem,

ut qualis in ipsa religione et legum et foederum conservanda fuerit, dubitari nullo modo possit. Quum enim accusator dixisset, civitatem Balbo homini Gaditano contra foedera datam esse, quaerit, utrum eum inscientem velit contra foedera fecisse an scientem. Scientem foedera neglexisse, qui dicere audeat, neminem esse futurum. Atque ipsum accusatorem significare, Pompeium hoc inscientem fecisse. Id autem prorsus negatur fieri potuisse, propter eius praestabilem scientiam in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, exterarum nationum, in universo denique iure, belli et pacis. Totam igitur accusationem esse invidia et obtrectatione Pompeii commotam; c. 2–6. Iam ostendit se, omisso Pompeio, de causa acturum, etsi sibi nihil sit novi a Crasso et Pompeio relictum. Priusquam autem aggrediatur causam, petit a iudicibus, ut si causam Balbi viderint per se ipsam firmam ac stabilem, ornamenta ei concessa adiumento potius, quam propter invidorum calumnias impedimento esse malint; c. 7.

Iam quod accusator negaverat, ex foederato populo quemquam potuisse civitate Romana donari, nisi is populus fundus factus esset legis Corneliae, h. e. nisi eam legem ascivisset et approbasset; Cicero primum imperite hoc dici ait, foederatos populos fieri fundos oportere, quum hoc non magis sit proprium foederatorum, quam omnium liberorum populorum. Totum hoc potius fuisse positum in hac sententia, ut quum iussisset populus Romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini, et si ea lex, quam Romani haberent, eadem in populo aliquo tamquam in fundo resedisset, ut tum lege eadem is populus teneretur; non ut de Romano iure aliquid deminueretur, sed ut illi populi, aut iure eo, quod a Romanis esset constitutum, aut aliquo commodo aut beneficio uterentur. Nam si quid iusserit populus eiusmodi, ut quibusdam populis, sive foederatis sive liberis, permittendum esse videatur, ut statuant ipsi de suis rebus quo iure uti velint, tum quaerendum esse utrum fundi facti sint an non; et grave esse in populum Romanum non posse uti sociorum virtute, qui velint cum periculis Romanorum sua communicare; contumeliosum vero iu socios et iniuriosum, eos his praemiis et his honoribus excludi, quae pateant stipendiariis hostibus et saepe servis. Saepe enim stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, hostes qui ad imperatores Romanos perfugerint, civitate, itemque servos bene de republica meritos libertate h. e. civitate donatos esse; c. 8–10.

Praeterea ius mutandae civitatis non solum in legibus publicis, sed etiam in privatorum voluntate positum esse; c. 11 12. Denique nullam gentem esse ex omni regione terrarum, ex qua Romanis interdictum sit, ne quem adsciscere civem aut civitate donare possint; c. 13.

Exstare quidem quaedam foedera cum populis nonnullis, in quibus exceptum sit, ne quis eorum a Romanis civis recipiatur. Nusquam vero foedere Gaditano hoc exceptum esse, ac sicubi esset, id esse lege Gellia et Cornelia sublatum. Et quoniam hic accusator dixerat, exceptum esse si quid sacrosanctum esset; Cicero negat aliquid eiusmodi esse exceptum; in foedere cum Gaditanis nihil esse cautum praeter pacem, additum etiam illud, ut maiestatem illi populi Romani conservare deberent: quae certe minueretur, si aut adiutoribus illorum civibus in bellis uti Romanis non liceret, aut hi praemii illis tribuendi potestatem nullam haberent; c. 14-16.

Praeterea ipsos Gaditanos, civitatem Balbo datam voluntate sua, auctoritate, legatione ipsa comprobare; adesse enim principes eorum, qui Balbum amore, ut suum civem, testimonio ut Romanum, officio ut hospitem, studio ut defensorem commodorum suorum defendant; c. 17-19.

Denique foederatos civitate donatos esse comprobatur auctoritatibus imperatorum, bellici iuris peritissimorum c. 20-22, iudicum sententiis, et populi Romani ac senatus iudiciis c. 23 24.

Tum breviter leviores quasdam reprehensiones tangit ab invidia et malivolentia profectas; obiectam enim esse Balbo pecuniam, luxuriam, Tusculanum, tribum Crustuminam, denique Theophani adoptionem; c. 25. Hanc autem invidiam magis ad Balbi amicos et fautores, inprimis ad Pompeium et Caesarem pertinere; quorum amicitia Balbo ornamento potius quam calamitati esse debeat; c. 26 27.

Postremo, breviter repetitis argumentis, Balbi causam humanitati iudicum commendat; c. 28.

## I.

Si auctoritates patronorum in iudiciis valent, ab amplissimis viris L. Cornelii causa defensa est; si usus, a peritissimis; si ingenia, ab eloquentissimis; si studia, ab amicissimis, et quum beneficiis cum L. Cornelio, tum maxima familiaritate coniunctis. Quae sunt igitur meae partes? Auctoritatis tantae, quantam vos in me esse voluistis, usus mediocris, ingenii minime voluntati paris. Nam ceteris, a quibus est defensus, hunc debere plurimum video: ego, quantum ei debeam, alio loco ostendam. Principio orationis hoc pono, me omnibus, qui amici fuerint saluti et dignitati meae, si minus referenda gratia satisfacere potuerim, at praedicanda et habenda certe satis esse facturum. Quae fuerit hesterno die Cn. Pompeii gravitas in dicendo, iudices, quae facultas, quae copia, non opinione tacita vestrorum animorum, sed perspicua admiratione declarari videbatur. Nihil enim unquam audivi, quod mihi de iure subtilius dici videretur, nihil de more maiorum, de exemplis acutius, nihil peritius de foederibus, nihil illustriore auctoritate de bellis, nihil de republica gravius, nihil de ipso modestius, nihil de causa et crimine ornatius: ut mihi iam verum videatur illud esse, quod nonnulli, literis

*Valent*) Bene hoc Ern. reposuit pro vulg. *valerent*.

*Quae sunt igitur*) Ante haec verba, lacuna esse videbatur Ernestio. Nam Cicero, *inquit*, dixisse et dicere debuisse videtur, nihil iam esse reliquum, quod agendum videatur. At hoc ex antecedentibus facile intelligebatur, dici non erat necesse.

*Ostendam*) Hoc revocavi ex ed. Waldarf. 1480; Iunt. Ald.; Gruterus omisit auctoritate aliquot MSS.

*Hoc pono*) Ita Schützius e correctione Ant. Augustini. Male, ait Amar, et vulgatum *oppono* retinuit. MS. Guelf. *orationis huius propono*. Typ.

*Literis ac studiis doctrinae dediti*)

ac studiis doctrinae dediti, quasi quiddam incredibile dicere putabantur, eum, qui omnes animo virtutes penitus comprehendisset, omnia quam facillime tractare. Quae enim in L. Crasso potuit, homine nato ad dicendi singularem quandam facultatem, si hanc causam ageret, maior esse ubertas, varietas, copia, quam fuit in eo, qui tantum potuit impertiri huic studio temporis, quantum ipse, a pueritia usque ad hanc aetatem a continuis bellis et victoriis conquievit? Quo mihi difficilior est hic extremus perorandi locus. Etenim ei succedo orationi, quae non praetervecta sit aures vestras, sed in animis omnium penitus insederit: ut plus voluptatis ex recordatione illius orationis, quam non modo ex mea, sed cuiusquam oratione capere possitis. Sed mos est gerendus non modo Cornelio, cuius ego voluntati in eius periculis nullo modo deesse possum, sed etiam Cn. Pompeio, qui sui facti, sui iudicii, sui beneficii, voluit me esse, ut apud eosdem vos, iudices, nuper in alia causa fuerim, et praedicatorem et auctorem.

II. Ac mihi quidem hoc dignum rei videtur, hoc deberi huius excellentis viri praestantissimae gloriae, hoc proprium esse vestri officii, hoc satis esse causae, ut, quod fecisse Cn. Pompeium constet, id omnes et licuisse concedant. Nam verius nihil est, quam quod

Ita Gruterus primum edidit e tribus MSS. quibuscum consentit Guelf. Olim edebatur *literati ac studiis doctrinisque dediti.*

*Qui omnes animo virtutes*) Paradoxum Stoicorum: virtutes ita inter se esse connexas, ut altera non posset ab altera separari; ac proinde eum, qui unam virtutem habeat, nihil vitii habere admixtum. GAVT.

*Omnia quam facillime tractare*) Sic Ern. e cod. Guelf. Olim erat *omnia quae facere vellet, f. tr.* Graevius e MS. Erf. *omnia quae faceret, f. tractare.*

*Et auctorem*) Hanc lectionem edd. veterum omnium restituerunt Graev. et Ern. Lambinus vero et Grut. e MSS. dederant *actorem.*

*Dignum rei*) Sic MS. Erf. Guelf. edd. aliquot vett. Graev. Ern. At in Iunt. et Ald. et Manut. *req.*

hesterno die dixit ipse, ita L. Cornelium de fortunis omnibus dimicare, ut nullius in delicti crimen vocaretur. Non enim furatus esse civitatem, non genus ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepsisse in censum dicitur: unum obiicitur, natum esse Gadibus; quod negat nemo. Ceterum accusator fatetur, hunc in Hispania, durissimo bello, cum Q. Metello, cum C. Memmio, et in classe et in exercitu fuisse, et, ut Pompeius in Hispaniam venerit, Memmiumque habere quaestorem coeperit, nunquam a Memmio discessisse; Carthaginem possessum isse; acerrimis illis proeliis et maximis, Sucronensi et Turiensi interfuisse; cum Pompeio ad extremum belli tempus fuisse. Haec sunt proelia Cornelii; talis in rempublicam nostram labor, assiduitas, dimicatio, virtus digna summo imperatore, spes pro periculis praemiorum. Praemia quidem ipsa non sunt in eius facto, qui adeptus est, sed in eius, qui dedit.

III. Donatus igitur est ob eas causas a Cn. Pompeio civitate. Id accusator non negat; sed reprehendit: ut in Cornelio causa ipsius probetur, poena quaeratur; in Pompeio causa laedatur, poena sit nulla. Sic famam, sic innocentissimi hominis fortunas, praestantissimi imperatoris factum condemnari volunt.

*Non genus*) Vulgo additur *suum*, quod recte Ern. delendum censuit.

*Carthaginem possessum isse*) Vulgo *Carthaginem profectum esse* Ern. edidit e cod. Guelf. *Carthaginem possessum isse*, h. e. *ad Carthaginem novam occupandam profectum esse.*

*Turiensi*) Sic Graev. Ern. recte, auctore Vossio ad Melam II, 6. Vulgo *Duriensi*. Mox pro *proelia* malim *pericula*.

*Non sunt in eius facto*) Si datam in praemium laborum civitatem arguis, non reprehendis factum Cornelii, qui iam illam meruerat, sed Pompeii, qui dederat, quod dare non debebat. Ferr.

*Causa laedatur*) Improbetur causa. Quasi enim facere non debuerit id quod fecit, ita factum illius damnatur: non ut in eum tamen poena recidat, sed ut in Balbum. Man.

*Fortunas*) Ernestio placet *fortunam*, quia sermo tantum sit de illo praemio.

Ergo in iudicium, caput Cornelii, factum Pompeii vocatur. Hunc enim in ea civitate, in qua sit natus, honestissimo loco natum esse concedis, et ab ineunte aetate, relictis rebus suis omnibus, in nostris bellis, nostris cum imperatoribus esse versatum; nullius laboris, nullius obsessionis, nullius proelii expertem fuisse. Haec sunt omnia quum plena laudis, tum propria Cornelii: nec in his rebus crimen est ullum. Vbi igitur est crimen? Quod eum Pompeius civitate donavit. Huiuscene crimen? minime: nisi honos ignominia putanda est. Cuius igitur? re vera nullius: actione accusatoris, eius unius qui donavit. Qui si adductus gratia, minus idoneum hominem praemio affecisset; etiam si virum bonum, sed non ita meritum; si denique aliquid, quod non contra ac liceret, factum diceretur, sed contra atque oporteret: tamen esset omnis eiusmodi reprehensio a vobis, iudices, repudianda. Nunc vero quid dicitur? quid ait accusator? Fecisse Pompeium, quod ei facere non licuerit? quod gravius est, quam si id factum ab eo diceret, quod non oportuisset. Est enim aliquid, quod non oporteat, etiamsi licet. Quidquid vero non licet, certe non oportet.

IV. Hic ego nunc cuncter sic agere, iudices, non esse fas dubitare, quin, quod Cn. Pompeium fecisse constet, id non solum decuisse, sed etiam debuisse fateamur? Quid enim abest huic homini, quod si adesset, iure hoc tribui et concedi putaremus? Vsusne rerum? qui pueritiae tempus extremum, principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum? cu-

*Quum plena laudis*) Schutz. *tum.*
*Huiuscene crimen*) Sic Victor. At Gruter. e Pall. Ern. *huiuscemodi.*
*Etiam si*) Vulgo *qui etiam si.* Sed temere hic *qui* e priori membro repetitum esse vidit Ern.
*Non esse fas dubitare*) Sic Ern. e cod. Guelf. Vulgo *dubitari.*

ius plerique aequales minus saepe castra viderunt, quam hic triumphavit? qui tot habet triumphos, quot orae sunt partesque terrarum? tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum? An ingenium? quum etiam ipsi casus eventusque rerum, non duces, sed comites eius consiliorum fuerint? in quo uno ita summa fortuna cum summa virtute certavit, ut omnium iudicio, plus homini, quam deae, tribueretur? An pudor, an integritas, an religio in eo, an diligentia unquam requisita est? Quem provinciae nostrae, quem liberi populi, quem reges, quem exterae gentes, castiorem, moderatiorem, sanctiorem, non modo viderunt, sed aut sperando unquam, aut optando cogitaverunt? Quid dicam de auctoritate? quae tanta est, quanta in his tantis virtutibus ac laudibus esse debet. Cui senatus populusque romanus amplissimae dignitatis praemia dedit, non postulanti imperia, verum etiam recusanti, huius de facto, iudices, ita quaeri, ut id agatur, licueritne ei facere, quod fecit, an vero, non dicam, non licuerit, sed nefas fuerit (contra foedus enim, id est, contra populi romani religionem et fidem fecisse dicitur), non turpe populo romano? nonne vobis?

V. Audivi hoc de parente meo puer: quum Q. Metellus, Lucii filius, causam de pecuniis repetundis diceret, ille, ille vir, cui patriae salus dulcior, quam conspectus, fuit; qui de civitate decedere, quam de sententia maluit: hoc igitur causam dicente, quum ipsius tabulae circumferrentur inspiciendi nominis causa, fuisse iudicem ex illis equitibus romanis, gravissimis viris, neminem, quin removeret oculos, et se totum averteret, ne forte, quod ille in tabulas

*Quem exterae gentes*) MSS. Erf. Pall. Guelf. *q. ultra regentes*, unde Graevius coni. *ultimae gentes*.

retulisset, dubitasse quisquam, verumne, an falsum esset, videretur: nos Cn. Pompeii decretum, de consilii sententia pronuntiatum, recognoscemus? cum legibus conferemus? cum foederibus? omnia acerbissima diligentia perpendemus? Athenis aiunt, quum quidam apud eos, qui sancte graviterque vixisset, testimonium dixisset, et (ut mos Graecorum est) iurandi causa ad aras accederet, una voce omnes iudices, ne is iuraret, reclamasse. Quum Graeci homines, spectati viri noluerint religione videri potius, quam veritate, fidem esse constrictam: nos etiam in ipsa religione et legum et foederum conservanda, qualis fuerit Cn. Pompeius, dubitabimus? Vtrum enim inscientem vultis contra foedera fecisse, an scientem? Si scientem; o nomen nostri imperii! o populi romani excellens dignitas! o Cn. Pompeii sic late longeque diffusa laus, ut eius gloriae domicilium communis imperii finibus terminetur! o nationes, urbes, populi, reges, tetrarchae, tyranni, testes Cn. Pompeii non solum virtutis in bello, sed etiam religionis in pace! vos denique mutae regiones imploro, et sola terrarum ultimarum; vos maria, portus, insulae, litoraque. Quae est enim ora, quae sedes, qui locus, in quo non exstent huius tum fortitudinis, tum vero humanitatis, tum animi, tum consilii impressa vesti-

*In tabulas*) Vulgo *in tabulas publicas*. Recte autem cod. Erf. omittit *publicas*. Itaque eum Ernestio delevi. Hae enim tabulae non publicae fuerunt, sed privatae.

*Cn. Pompeii decretum*) Vulgo addebatur *iudicium*, quod auctoritate cod. Pal. 9 delevit Ern.

*Quum quidam*) Quem hic non nominat, Xenocratem philosophum fuisse et ipse dicit lib. I ad Attic. et Valerius Max. II, 2, et Laërtius. Man.

*Testimonium dixisset*) Delevi *publice*, quod vulgo ante *dixisset* addebatur, idque iam Ernestio displicebat.

*Vos denique mutae regiones imploro*) Cod. Erf. *vos denique mutas nationes imploro*, quod non displicebat Graevio. Pro *sola* Ern. coni. *solae*. In MS. Guelf. est *vos denique muta imploro et terrarum ultimarum*. Sed certi nihil sine melioribus libris.

gia? Hunc quisquam, incredibili quadam atque inaudita gravitate, virtute, constantia praeditum, foedera scientem neglexisse, violasse, rupisse, dicere audebit?

VI. Gratificatur mihi gestu accusator: inscientem Cn. Pompeium fecisse significat. Quasi vero levius sit, quum in tanta republica versere, et maximis negotiis praesis, facere aliquid, quod scias non licere, quam omnino nescire, quid liceat. Etenim quum in Hispania bellum acerrimum et maximum gesserat, quo iure Gaditana civitas esset, nesciebat? an, cuius linguam populi non nosset, interpretationem foederis non tenebat? Id igitur quisquam Cn. Pompeium ignorasse dicere audebit, quod mediocres homines, quod nullo usu, nullo studio militari praediti, quod librarioli denique scire profiteantur? Equidem contra existimo, iudices, quum in omni genere ac varietate artium, etiam illarum, quae sine summo otio non facile discuntur, Cn. Pompeius excellat, singularem quandam laudem eius, et praestabilem esse scientiam in foederibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, exterarum nationum, in universo denique belli iure ac pacis. Nisi forte, quae nos libri docent in umbra et otio, ea Cn. Pompeium, neque quum requiesceret, literae, neque quum rem gereret, res ipsae docere potuerunt. Atque, ut ego sentio, iudices, causa dicta est temporis magis. Ego non huius,

*Quasi vero levius sit — quid liceat*) Haec lectio omnium librorum velt. frustra sollicitata est a Lambino et aliis. Nam *levius* h. l. non est i. q. *minus peccatum*, sed *maioris levitatis*. Itaque Cicero sic argumentator. Accusator significat Pompeium hoc inscientem fecisse. At hac ratione eum haud minoris levitatis insimulat. Non enim est levius eum qui maximis negotiis praesit, facere aliqoid quod sciat non licere, quam omnino nescire quid liceat. Hoc sic exprimitur *quasi vero levius sit* etc.

inquam, genere iudicii plura dicam. Est enim haec seculi labes quaedam et macula, virtuti invidere, velle ipsum florem dignitatis infringere. Etenim, si Cn. Pompeius abhinc annos quingentos fuisset, is vir, a quo senatus adolescentulo atque equite saepe communis salutis auxilium expetisset; cuius res gestae omnes gentes, cum clarissima victoria, terra marique peragrassent; cuius tres triumphi testes essent, totum orbem terrarum nostro imperio teneri; quem populus romanus singularibus honoribus decorasset: si nunc apud vos, id, quod is fecisset, contra foedus factum diceretur, quis audiret? nemo profecto. Mors enim quum exstinxisset invidiam, res eius gestae sempiterni nominis gloria niterentur. Cuius igitur audita virtus dubitationi locum non daret, huius praesens, experta atque perspecta, obtrectatorum voce laedetur?

*Plura dicam*) Hic locus corruptus est, nec sine melioribus libris satis tuto sanandus. P. Danesius eum Lambino communicaverat hanc lectionem incertae auctoritatis: *Atque, ut ego sentio, iudices, causa dicta est temporis magis vitio, quam ullius delicti crimine, de quo plura non dicam. Ego de huius, inquam, genere iudicii plura dicam. Est enim* etc. Hotomannus ait se locum ita restituere ex MSS. *Atque ut ego sentio, iudices, causa dicta est temporis magis huius vitio, quam hominis, neque ego de tam iniquo genere iudicii plura dicam.* Equidem opinor brevius a Cicerone ita scriptum esse: *Atque, ut ego sentio, haec dicta sunt temporis magis, quam huius iudicii causa. Est enim* etc. Nempe de iis tantum loquitur Cicero, quae ab accusatore in Pompeium dicta erant, eumque haec invidiae tantum causa, non quod ad ipsam causam et hoc iudicium pertineret, protulisse.

*Est enim haec seculi labes quaedam et macula*) Vulgo *est enim huius saeculi labes q. e. m.* Ern. cum Graevio e MSS. Pal. 9, et Erf. in Guelf. dedit *est enim haec.* Alii *est enim haec huius* etc. fortasse melius.

*Infringere*) Sic Ern. cum edd. pr. et Grut. Graevius edidit *refringere.*

*Atque equite*) Vulgo additur *Romano*, quod ab Ernestio iam uncis inclusum delevi. Paulo post in cod. Francii haec verba *quem populus — decorasset* omissa.

*Niterentur*) Hoc Ernestio suspectum erat, quia non res gestae nitantur gloria, sed gloria rebus gestis. At potest hoc sensu defendi: *quum mors exstinxisset invidiam, Pompeii res gestae niterentur eius gloria, ut facile possent adversus iniqua iudicia consistere.* Id confirmatur argumentatione quae proxime praecessit.

*Huius praesens*) In libris quibusdam antiquis deest *praesens.* Pro eo desi-

VII. Omittam igitur Pompeium iam oratione mea reliqua; sed vos, iudices, animis ac memoria tenetote. De lege, de foedere, de exemplis, de perpetua consuetudine civitatis nostrae, renovabo ea, quae dicta sunt. Nihil enim mihi novi, nihil integri, neque M. Crassus, qui totam causam et pro facultate, et pro fide sua diligentissime vobis explicavit, neque Cn. Pompeius, cuius oratio omnibus ornamentis abundavit, ad dicendum reliquit. Sed quoniam, me recusante, placuit ambobus adhiberi hunc a me quasi perpoliendi quendam operis extremum laborem: peto a vobis, ut me officii potius, quam dicendi studio hanc suscepisse operam ac munus putetis. Ac prius quam aggrediar ad ius causamque Cornelii, quiddam de communi conditione omnium nostrum, deprecandae malivolentiae causa, breviter commemorandum videtur. Si, quo quisque loco nostrum est, iudices, natus, aut, si in qua fortuna est nascendi initio constitutus, hunc vitae statum usque ad senectutem obtinere debet, et si omnes, quos aut fortuna extulit, aut ipsorum illustravit labor et industria, poena sunt afficiendi: non gravior L. Cornelio, quam multis viris bonis atque fortibus, constitui lex vitae et conditio videtur. Sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas, ex infimo genere et fortunae gradu non modo amicitias, et rei familiaris copias consequuta est, sed summam laudem, honores, gloriam, dignitatem: non intelligo, cur potius invidia violatura virtutem L. Cornelii, quam aequitas vestra pudorem

derabat Lambinus verbum aliquod, quale est *virtus*.

*Nihil integri*) Hoc suspectum erat Ernestio, quia non dicatur *nihil integri*, sed *nihil integrum relinquere*. Hoc loco tamen sic dicitur, ut *nihil novi*, pro *nihil quod sit integrum, quod non sit a Crasso et Pompeio occupatum*.

*Me recusante*) Fortasse *me licet recusante*.

eius adiutura videatur. Itaque, quod maxime petendum est, a vobis idcirco non peto, iudices, ne de vestra sapientia, atque de vestra humanitate dubitare videar. Est autem petendum, ne oderitis ingenium, ne inimici sitis industriae, ne humanitatem opprimendam, ne virtutem puniendam putetis. Illud peto, ut, si causam ipsam per se firmam esse et stabilem videritis, hominis ipsius ornamenta adiumento causae potius, quam impedimento esse malitis.

VIII. Nascitur, iudices, causa Cornelii ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt. Qua lege videmus esse sanctum, uti cives romani sint ii, quos Cn. Pompeius de consilii sententia sigillatim civitate donarit. Donatum esse L. Cornelium praesens Pompeius dicit; indicant publicae tabulae; accusator fatetur. Sed negat ex foederato populo quemquam potuisse, nisi is populus fundus factus esset, in hanc civitatem venire. O praeclarum interpretem iuris! auctorem antiquitatis! correctorem atque emendatorem nostrae civitatis! qui hanc poe-

*Malitis*) *potius* cum *malitis* redundat. Sunt et alia exempla, ut ad Att. XIII, 22, *malle senectutem potius agere quam* — MS. Guelf. habet *totius*; sed et locus hic totus ibi vitiosus est, et *totius* non est aptum sententiae. Ceterum et MS. Erf. sic habet. Si quis pro *malitis* malit *velitis*, erret. Esset enim clausula hexametri, quae foret vitiosa. Ern.

*Esse sanctum*) Vulgo *satis esse sanctum*. Sed illud *satis* prorsus est ineptum.

*Donarit*) Sic Ern. e MS. Guelf. Vulgo *donaverit*.

*Nisi is populus fundus factus esset*) Recte Henr. Valesius observavit, fundum, quum de populis dicatur, non significare statum quendam aut conditionem populorum, eo modo, quo, quum populus liber aut foederatus, ac socius appellatur, status et conditio illius declarari solet. Fundum enim populum nihil aliud esse, quam auctorem, subscriptoremque. Itaque populum non dici fundum esse, sed fundum fieri. Quae sunt certissima et verissima. Nam *fundum alicui rei* esse, nihil aliud est, quam auctorem alicui rei esse, rem aliquam approbare, et auctoritate sua efficere, ut illa res rata sit, ut patet ex Plauti, Festi, Gellii locis, quae viri docti attulerunt, et magis patebit ex sequentibus, quum singula huius orationis argumenta expendemus. Graev.

nam foederibus adscribat, ut omnium praemiorum beneficiorumque nostrorum expertes faciat foederatos. Quid enim potuit dici imperitius quam foederatos populos fieri fundos oportere? Nam id non magis est proprium foederatorum, quam omnium liberorum. Sed totum hoc, iudices, in ea fuit positum semper ratione atque sententia, ut, quum iussisset populus romanus aliquid, si id adscivissent socii populi ac Latini, et, si ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo, resedisset; ut tum lege eadem is populus teneretur: non, ut de nostro iure aliquid diminueretur, sed ut illi populi, aut iure eo, quod a nobis esset constitutum, aut aliquo commodo aut beneficio uterentur. Tulit apud maiores nostros legem C. Furius de testamentis; tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus; innumerabiles aliae leges de civili iure sunt latae (quas Latini voluerunt, adsciverunt); ipsa denique Iulia, qua lege ita civitas est sociis et Latinis data, ut, qui fundi populi facti non essent, civitatem non haberent. In quo magna contentio Heracleensium et Neapolitanorum fuit, quum magna pars in iis civitatibus foederis

*Diminueretur*) Sic Ern. e MSS. melioribus et edd. pr. Vulgo *minueretur.*

*Ipsa denique Iulia*) Sequutus sum Valesii emendationem, quum vulgo legatur: *qua lege civitas est sociis et Latinis data qui fundi populi* etc. Hotomannus post *data* aliquid deesse putabat, quod facile sic possit Ern. auctore suppleri: *ita data ut, qui fundi* etc

*In quo magna contentio Heracliensium, et Neapolitanorum fuit*) Quum lex Iulia Romae lata esset, qua civitas sociis in Italia et Latinis dabatur, Neapolitani et Heraclienses concionem populi advocarunt, ut in commune consulerent, quidnam facto opus esset: utrum beneficium sibi oblatum amplecterentur, an repudiarent. Multi in iis civitatibus reperti sunt, qui eum honorem civitatis romanae aspernarentur, mallentque foederati esse quam cives romani. H. VALES.

*Foederis sui libertatem civitati anteferret*) Foederati enim liberi erant, ut docet Proculus in leg. 7, ff. de capt. et postl. revers. Haec autem libertas foederis adimebatur civitate romana: populus enim, qui in civitatem romanam transierat, foederatus

sui libertatem civitati anteferret. Postremo haec vis est istius et iuris et verbi, ut fundi populi, beneficio nostro, non suo iure fiant. Quum aliquid populus romanus iussit, id si est eiusmodi, ut quibusdam populis, sive foederatis sive liberis, permittendum esse videatur, ut statuant ipsi non de nostra, sed de suis rebus, quo iure uti velint: tum, utrum fundi facti sint, an non, quaerendum esse videatur; de nostra vero republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt.

populi romani amplius esse non poterat. Consensum autem ipsorum populorum intercedere oportebat, ut civitatem romanam adipiscerentur. Invito quippe beneficium non datur. Hinc est quod Livius dicit, Praenestinos ob virtutem civitate donatos non mutavisse: quod idem est ac si diceret, fundos factos non fuisse. VALES. Vulgo *iuris sui libert.*

*Vt fundi populi* etc.) Non enim ius habent populi liberi ac foederati adsciscendi leges populi romani, easque sua sententia ac suffragio comprobandi, sed ut id faciant permittit populus romanus: nec leve illud erat beneficium populi romani, ut partem iuris sui cum sociis et Latinis communicaret. VALES.

*Id si est eiusmodi*) Non igitur omnia iussa et scita populi romani permittebantur adsciscere socii ac foederati, uti ex hoc loco liquet manifestissime. Quaenam autem essent illa, quae non permittebantur foederatis, docet mox Tullius: quae scilicet ad remp., ad imperium, et ad statum rei romanae pertinebant. ID.

*Permittendum esse videatur*) Haec permissio dupliciter intelligi potest, primo, ut Romani petentibus sociis ac foederatis id permiserint, ut leges suas adscriscerent, quemadmodum doctissimus Bullialdus censuit. Secundo, ut id fieri passi fuerint Romani, et dissimulaverint, quae tacita permissio dici potest. Certe Cicero id postulatum fuisse non dicit. ID.

*Vt statuant ipsi non de nostris, sed de suis rebus*) Hoc est, quod Cicero paulo post dicit: *Videbat enim populos de suo iure, non de nostro fundos fieri solere.* Ex quo patet, fundum fieri nihil aliud esse, quam statuere et velle, seu auctorem esse, et sententia atque auctoritate sua aliquid comprobare. Notandum porro discrimen est inter haec duo, *suo iure* et *de suo iure*. Populi non fiebant fundi suo iure, sed beneficio populi romani; fiebant autem fundi de suo iure, ut de suis rebus statuerent. ID.

*De nostra vero republica*) Id est, maiores nostri noluerunt, ut populi liberi foederati de republica nostra, de bellis ac victoriis quidquam statuerent, nempe ut eas leges quae ad statum rei Romanae pertinerent, sibi adsciscerent. Fere enim in eas leges, quae de iure civili latae essent, fundi populi fiebant, non vero in eas leges, quae ad ius publicum populi romani spectabant. ID.

IX. Atqui, si imperatoribus nostris, si senatui, si populo romano non licebit, propositis praemiis elicere ex civitatibus sociorum atque amicorum fortissimum atque optimum quemque ad subeunda pro salute nostra pericula: summa utilitate ac maximo saepe praesidio periculis atque asperis temporibus carendum erit. Sed, per deos immortales! quae est ista societas, quae amicitia, quod foedus, ut aut nostra civitas careat in suis periculis Massiliensi propugnatore, careat Gaditano, careat Saguntino; aut, si quis ex illis populis sit exortus, qui nostros duces auxilio laboris, commeatus, periculo suo iuverit, qui cum hoste nostro cominus in acie saepe pugnarit, qui se saepe telis hostium, qui dimicationi capitis, qui morti obiecerit, nulla conditione, huius civitatis praemiis affici possit? Etenim in populum romanum grave est, non posse uti sociis excellenti virtute praeditis, qui velint cum periculis nostris sua communicare: in socios vero ipsos, et in eos, de quibus agimus, foederatos, iniuriosum et contumeliosum est, his praemiis et honoribus exclusos esse fidelissimos et coniunctissimos socios, quae pateant stipendiariis, pateant hostibus, pateant saepe servis. Nam et stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris provinciis multos civitate donatos videmus; et, qui hostes ad nostros imperatores perfugissent, et magno usui reipublicae nostrae fuissent, scimus civitate esse dona-

*Atqui, si imperatoribus nostris*) Vt haec cum superioribus cohaereant, sic interpretari oportet. Atqui si imperatoribus nostris, et senatui, et populo non licebit fortissimum quemque ex foederatis et sociis civitate donare, nisi fundi, id est auctores facti fuerint foederati, statuentur de nostro imperio, de nostra republica, de nostro iure, de nostris bellis ac victoriis, atque ita in eorom potestate situm erit, an fortissimos viros in nostram civitatem adsciscamus, privabuntque nos, si voluerint, opera atque auxilio fortissimorum virorom. Id.

tos; servos denique, quorum ius et fortunae conditio infima est, bene de republica meritos, persaepe libertate, id est civitate, publice donari videmus.

X. Hanc tu igitur, patrone foederum ac foederatorum, conditionem statuis Gaditanis, tuis civibus, ut, quod iis, quos Gaditanis adiutoribus armis subegimus, atque in ditionem nostram redegimus, liceat, si populus romanus permiserit, ut ab senatu, ab imperatoribus nostris, civitate donentur, id ne liceat ipsis? Qui si suis decretis legibusve sanxissent, ne quis suorum civium castra imperatorum populi romani iniret; ne quis se pro nostro imperio in periculum capitis, atque in vitae discrimen inferret; Gaditanorum auxiliis, quum vellemus, uti nobis non liceret; privatim vero, ne quis vir et animo et virtute praecellens pro nostro imperio periculo suo dimicaret: graviter iure ferremus, minui auxilia populi romani, debilitari animos fortissimorum virorum, alienigenarum nos hominum studiis atque externa virtute privari. Atqui nihil interest, iudices, utrum haec foederati iura constituant, ut ne cui liceat ex his civitatibus ad nostrorum bellorum pericula accedere, an, quae nos eorum civibus, virtutis causa, tribuerimus, ea rata esse non possint. Nihil enim magis uteremur his adiutoribus, sublatis praemiis virtutis, quam si

*Ius et fortunae*) Copula *et* non est in plerisque MSS. ideo Gulielm. malebat: *quorum vi fortunae conditio infima est.* Gruterus malebat. e cod. S. Vict. *quorum vis, fortuna, conditio infima est.*

*Videmus*) Ita correxit Ern. vulg. *videbamus.* Vrsin. coniecit *indicamus*; mala.

*Privatim vero*) Ernestius putabat, ut essat quod huic *privatim vero* responderet, ante verba *ne quis suorum civium* praeponendum esse *publice quidem*, vel *publice* simpliciter. At enim hoc membrum *privatim vero*, non opponitur illi *ne quis suorum civium* etc., sed refertur ad proximum: *Gaditanorum auxiliis — non liceret*, hoc sensu: ut nec Gaditanis liceret omnibus auxilia urbi praestare, nec privatim unus aliquis Gaditanus posset pro imperio nostro dimicare.

*Graviter iure*) Vulgo *graviter id iure.* Pronomen Ernestius delevit.

omnino his versari in nostris bellis non liceret. Etenim, quum, pro sua patria, pauci, post genus hominum natum, reperti sint, qui, nullis praemiis propositis, vitam suam hostium telis obiecerint: pro aliena republica quemquam fore putatis, qui se opponat periculis, non modo nullo proposito praemio, sed etiam interdicto?

XI. Sed, quum est illud imperitissime dictum, de populis foederatis, quod commune est liberorum populorum, non proprium foederatorum; ex quo intelligi necesse est, aut neminem ex sociis civem fieri posse, aut etiam posse ex foederatis: tum vero ius omne noster iste magister mutandae civitatis ignorat; quod est, iudices, non solum in legibus publicis positum, sed etiam in privatorum voluntate. Iure enim nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque, si velit, mutare non potest, modo adsciscatur ab ea civitate, cuius esse se civitatis velit: ut, si Gaditani sciverint nominatim de aliquo cive romano, ut sit is civis gaditanus, magna potestas sit nostro civi mutandae civitatis, nec foedore impediatur, quo minus ex cive romano civis gaditanus possit esse. Duarum civitatum civis esse, nostro iure civili, nemo potest: non esse huius civitatis civis, qui se alii civitati dicarit, potest. Neque solum dicatione, quod in calamitate clarissimis viris Q. Maximo, C. Laenati, Q. Philippo Nuceriae, C. Catoni Tarracone, Q. Caepioni, P. Rutilio Smyrnae vidimus accidisse, ut earum civitatum fierent cives [hanc ante amittere

*De populis foederatis*) Vulgo erat *de populis fundis*; quod Ernestio de glossa suspectum erat, quia sic simpliciter non dicatur *populi fundi*, nisi addatur *fiunt*, vel simile aliquod verbum. Sed si totum hoc omittatur, oratio fit obscurior. Itaque rescripsi *foederatis*. Nempe accusator (quod dictum erat supra c. 8) de foederatis populis aliquid dixerat, quod esset commune omnium liberorum populorum, scil. eos fieri fundos oportere.

non potuissent, quam huius solum civitatis mutatione vertissent]: ¹ sed etiam postliminio potest civitatis fieri mutatio. Neque enim sine causa de Cn. Publicio Menandro, libertino homine, quem apud maiores legati nostri in Graeciam proficiscentes interpretem secum habere voluerunt, ad populum latum, ut is Publicius, si domum revenisset, et inde Romam rediisset, ne minus civis esset. Multi etiam superiore memoria cives romani sua voluntate, indemnati et incolumes, his rebus relictis, alias se in civitates contulerunt.

XII. Quod si civi romano licet esse Gaditanum, sive exsilio, sive postliminio, sive reiectione huius civitatis (*ut* iam ad foedus veniam, quod ad causam nihil pertinet; de civitatis enim iure, non de foederibus disceptamus); quid est, quamobrem civi gaditano in hanc civitatem venire non liceat? Equidem longe secus sentio. Nam quum ex omnibus civitatibus via sit in nostram, quumque nostris civibus pateat iter ad ceteras civitates: tum vero, ut quaeque nobiscum maxime societate, amicitia, sponsione, pactione, foedere coniuncta est, ita mihi maxime communionem

(1) Non sine causa in his verbis haesit Ernestius. Nam nec verborum constructio bene procedit, et sententia veritati repugnat. In orat. pro domo c. 30 diserte dicitur, *qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi* h. e. mutandi *soli causa venerant*. Itaque haec verba *hanc ante — vertissent* vel interpolata sunt, vel ità corrupta, ut sine melioribus libris corrigi non possint.

*Ne minus civis esset*) Res sic est intelligenda. Voluit cavere Menandro senatus, ne, si cum legatis in patriam suam profectus esset, ei civitatis Romanae ius dubium fieret, per calumniam, quod postliminio redisset in patriam, et civitatis prioris ius repetendo ius Romanum amisisset. Itaque lex lata est, per quam ius civitatis Rom. reciperet, si maxime in patriam redisset, quum primum Romam redisset. Ern.

*Reiectione*) *Relictione* coni. Manut.

*Vt iam ad foedus*) Alii *ne iam*.

*Ex omnibus civitatibus*) Praepositionem *ex* delevit Graevius auctoritate cod. Erf.

beneficiorum, praemiorum, civitatis, continere videtur. Atqui ceterae civitates non dubitarent nostros homines recipere in suam civitatem, si idem nos iuris haberemus, quod ceteri. Sed nos non possumus et huius esse civitatis, et cuiusvis praeterea: ceteris concessum est. Itaque in graecis civitatibus videmus, Athenis Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique adscribi, multarumque esse eosdem homines civitatum. Quo errore ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines, nostros cives, Athenis in numero iudicum atque areopagitarum, certa tribu, certo numero; quum ignorarent, si illam civitatem essent adepti, hanc se perdidisse, nisi postliminio recuperassent. Peritus vero nostri iuris ac moris nemo unquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam civitatem se dicavit.

XIII. Sed hic totus locus disputationis atque orationis meae, iudices, pertinet ad commune ius mutandarum civitatum: nihil habet, quod sit proprium religionis ac foederum. Defendo enim rem universam, nullam esse gentem ex omni regione terrarum, neque tam dissidentem a populo romano odio quodam atque discidio, neque tam fide benivolentiaque coniunctam, ex qua nobis interdictum sit, ut ne quem adsciscere civem, aut civitate donare possimus. O iura praeclara atque divinitus iam inde a principio romani nominis a maioribus nostris comparata! ne quis nostrum plus

*Atqui*) MS. Guelf. *Atque.*

*Nostros homines recipere*) Vulgo edebatur: *atqui ceterae civitates non dubitarent nostros omnes*, in quo Gulielm. lect. Plautin. p. 231 bene correxit *nostros homines*. Gruterus e codd. Pall. Erf. dedit *a. c. c. m. omnes non dubitarunt nostros recipere.* Pro *in suas civitates* dedi *in suam civitatem.*

*Certo numero*) *Numero* videtur temere ex versu superiore repetitum. Ernestius coni. *certa curia*, i. q. *φρατρίᾳ.*

*Discidio*) Sic MS. Guelf. Receperunt Graev. Ern. Vulg. *dissidio.*

*Vt ne quem adsciscere*) Ita primus edidit Graev. e cod. Erf. Idem habet Guelf. Vulgo *ut neque adsciscere.*

quam unius civitatis esse possit (dissimilitudo enim civitatum varietatem iuris habeat necesse est); ne quis invitus civitate mutetur; neve in civitate maneat invitus. Haec sunt enim fundamenta firmissima nostrae libertatis, sui quemque iuris et retinendi et dimittendi esse dominum. Illud vero sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, et populi romani nomen auxit, quod princeps ille, creator huius urbis, Romulus, foedere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cuius auctoritate et exemplo nunquam est intermissa a maioribus nostris largitio et communicatio civitatis. Itaque et ex Latio multi, et Tusculani, et Lanuvini, et ex ceteris generibus gentes universae in civitatem sunt receptae; ut Sabinorum, Volscorum, Hernicorum: quibus ex civitatibus nec coacti essent civitatem mutare, si qui noluissent, nec, si qui essent civitatem nostram beneficio populi romani consequuti, violatum foedus eorum videretur.

XIV. At enim quaedam foedera exstant, ut Germanorum, Insubrium, Helvetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in foederibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur. Quod si exceptio facit, ne liceat, ibi necesse est licere, ubi non est exceptum. Vbi est igitur exceptum foedere Gaditano, ne quem populus romanus Gaditanum recipiat civitate? nusquam. Ac sicubi esset,

*Vnius civitatis*) Manutius addendum putabat *civis*.

*Foedere Sabino docuit*) Cum Tatio regnum, Sabinis civitatem communicavit. Ferr.

*Civitatem mutare*) Cod. Erf. *civitate mutari*.

*Iapidum*) Iapidia incipiebat, ubi Carnorum desinebant una cum Ocra monte fines, idest, ad fontes Formionis fluvii. Inde a tergo Histriae in sinum protendebatur Hadriaticum, ad Liburniam usque. Cluv. Ital. antiqua, lib. I, cap. 19. Vide Plin. III, 18.

lex id Gellia et Cornelia, quae definite potestatem Pompeio civitatem donandi dederat, sustulisset. Exceptum est, inquit, si quid sacrosanctum esset. Ignosco tibi, si neque Poenorum iura calles; reliqueras enim civitatem tuam: neque nostras potuisti leges inspicere; ipsae enim te a cognitione sua iudicio publico repulerunt. Quid fuit in rogatione ea, quae de Pompeio a Gellio et a Lentulo, consulibus, lata est, in quo aliquid sacrosanctum exceptum videretur? Primum enim sacrosanctum esse nihil potest, nisi quod populus plebesve sanxerit; deinde sanctiones sacrosanctae sunt aut genere ipso, et obtestatione legis, aut consecratione et poena, quum caput eius, qui contra facit, consecratur. Quid habes igitur dicere de Gaditano foedere eiusmodi? Vtrum a capitis consecratione, an obtestatione legis sacrosanctum esse confirmas? Nihil omnino unquam de isto foedere ad populum, nihil ad plebem latum esse dico; neque legem, neque poenam latam esse, ne quem civem reciperemus: de quibus etiamsi latum esset, tamen

*Exceptum est, inquit, si quid sacrosanctum esset*) Recte sic edidit Ern. partim adiuvante MS. Guelf. Vulgo *exceptum est inquit foedus, siquidem sacrosanctum est.*

*Poenorum iura*) Quibus sc. Gaditani utebantur, qui eorum coloni essent. Ern.

*Iudicio publico*) Quo scilicet accusator ille damnatus erat.

*Populus plebesve sanxerit*) *Sanxerit* aptum est consecutioni temporum, non *sanxisset* ut vulgo editur. Vidit Ern.

*Sacrosanctae*) Sic Manut. et Vrsinus corrigendum esse censuerunt. Vulgo *sacrandae.* Ernestio venit in mentem *sacratae fiunt.*

*Genere ipso*) Verbis ipsis, quibus obtestaretur lex, ne quis contra faciat. Ferr.

*Deinde sanctiones -- et poena*) Vete sic h. l. emendavit Ern. qui vulgo sic legebatur: *Deinde sanctiones sacrosanctae sunt aut genere ipso aut obtestatione et consecratione legis, aut poenae.* Proxime accedit Manutii ratio: *D. sanctiones sacrosanctae sunt aut genere ipso, ut obtestatione legis, aut poena.*

*De quibus etiam si latum esset*) Verba haec auctore Ernestio huc transposui, quae vulgo leguntur post *latum esse dico*, ubi et nexum et sententiam turbant.

id esset, quod populus postea iussisset, ratum; neque quidquam illis verbis, *si quid sacrosanctum esset*, esse exceptum videretur. De his, quum populus romanus nihil unquam iusserit, quidquam audes dicere sacrosanctum fuisse?

XV. Nec vero haec oratio mea ad infirmandum foedus Gaditanorum, iudices, pertinet. Neque enim est meum, contra opinionem vetustatis, contra ius optime meritae civitatis, contra auctoritatem senatus dicere. Duris enim quondam temporibus reipublicae nostrae, quum praepotens terra marique Carthago, nixa duabus Hispaniis, huic imperio immineret, et quum duo fulmina nostri imperii, subito in Hispania, Cn. et P. Scipiones, exstincti occidissent: L. Mascius, primipili centurio, cum Gaditanis foedus icisse dicitur. Quod quum magis fide illius populi, iustitia nostra, vetustate denique ipsa, quam aliquo publico vinculo religionis teneretur; sapientes homines, et publici iuris periti, Gaditani, M. Lepido, Q. Catulo consulibus, a senatu de foedere postulaverunt. Tum est cum Gaditanis foedus vel renovatum, vel ictum. De quo foedere populus romanus sententiam non tulit; qui, iniussu suo, nullo pacto potest religione obligari. Ita Gaditana civitas quod beneficiis suis erga rempublicam nostram consequi potuit, quod imperatorum testimoniis, quod vetustate, quod Q. Catuli, summi viri, auctoritate, quod iudicio senatus, quod foedere, id

*Auctoritatem senatus*) Superiora, *contra opinionem vetustatis*, referuntur ad foedus L. Marcii: haec ad Catuli, qui ex S. C. foedus illud fecerat. FERR.

*Duo fulmina nostri imperii -- exstincti occidissent*) Ernestio placebat *lumina nostri imperii -- exstincta*. Mihi verum videtur *fulmina*, sed verba sic transponenda *et quum subito in Hispania duo fulmina nostri imperii Cn. et P. Scipiones exstincti occidissent.*

*Icisse*) Sic edd. vett. MSS. Lamb. et Graev. *fecisse*. MS. Erf. Guelf. *iecisse*.

*Iustitia nostra*) *Nostra* quod est in plerisque MSS. recte praelatum alteri lectioni *vestra*.

consequuta est; quod publica religione sanciri potuit, id abest. Populus enim se nusquam obligavit. Neque ideo est Gaditanorum causa deterior; gravissimis enim et plurimis rebus est fulta. Sed isti disputationi certe nihil est loci. Sacrosanctum enim nihil potest esse, nisi quod per populum plebemve sancitum est.

XVI. Quod si hoc foedus, quod populus romanus, auctore senatu, commendatione et iudicio vetustatis, voluntate et sententiis suis comprobat, idem suffragiis comprobasset: quid erat, cur ex ipso foedere Gaditanum in civitatem nostram recipi non liceret? Nihil est enim aliud in foedere, nisi, ut PIA ET AETERNA PAX sit. Quid id ad civitatem? Adiunctum illud etiam est, quod non est in omnibus foederibus: MAIESTATEM POPVLI ROMANI COMITER CONSERVATO. Id habet hanc vim, ut sit ille in foedere inferior. Primum verbi genus hoc, CONSERVATO, quo magis in legibus, quam in foederibus, uti solemus, imperantis est, non precantis. Deinde, quum alterius populi maiestas conservari iubetur, de altero siletur: certe ille populus in superiori conditione causaque ponitur, cuius maiestas foederis sanctione defenditur. In quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione, qui ita dicebat, *comiter* esse *communiter:* quasi vero priscum aliquod aut insolitum verbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur. *Qui erranti comiter monstrat viam;* [1] benigne et non gravate:

*COMITER CONSERVATO*) Lambinus, pro vulg. *conservent*, dedit *conservanto*. In MSS. erat partim *conservant*, partim *conservat*. Quia tamen sequitur *ut sit ille* scil. *populus*, Ernestius recepit *conservato*. Abramius contulit locum Livii lib. 38, c. 11: *imperium maiestatemque populi Romani gens Aetolorum conservato sine dolo malo.*

*CONSERVATO*) Vulgo *conservandi*. Recte autem imperativum praetulit Lambin. Non enim de verbo *conservare*, sed de genere huius verbi s. modo, i. e. imperativo in legibus usitato Cicero loquitur.

(1) Ennii verba; cf. de Off. I, 16.

*communiter* quidem certe non convenit. Et simul absurda res est, caveri foedere, ut maiestatem populi romani communiter conservent: id est, ut populus romanus suam maiestatem esse salvam velit. Quod si iam ita esset, ut esse non potest, tamen de nostra maiestate, nihil de illorum caveretur. Potestne igitur nostra maiestas a Gaditanis benigne conservari, si ad eam retinendam Gaditanos praemiis elicere non possumus? potest esse ulla denique maiestas, si impedimur, quo minus per populum romanum, beneficiorum, virtutis causa, tribuendorum potestatem imperatoribus nostris deferamus?

XVII. Sed quid ego disputo, quae mihi tum, si Gaditani contra me dicerent, vere posse dici viderentur? illis enim repetentibus L. Cornelium, responderem, legem populum romanum iussisse de civitate tribuenda; huic generi legum fundos populos fieri non solere; Cn. Pompeium de consilii sententia civitatem huic dedisse, nullum populi nostri iussum Gaditanos habere: itaque nihil esse sacrosanctum, quod lege exceptum videretur; si esset, tamen in foedere nihil esse cautum, praeter pacem; additum etiam esse illud, ut maiestatem illi nostram conservare deberent: quae certe minueretur, si aut adiutoribus illorum civibus uti in bellis nobis non liceret, aut praemii tribuendi potestatem nullam haberemus. Nunc vero quid ego contra Gaditanos loquar, quum id, quod defendo, voluntate eorum, auctoritate, legatione ipsa comprobetur? qui, a principio sui generis ac reipublicae, ab omni studio sensuque Poenorum mentes suas ad nostrum imperium nomenque flexerunt? quos, quum maxima bella nobis inferrent, moenibus excluserunt? classi-

*Vere posse dici*) Lambinus edidit *responderi*. Pro *vere* Ernest. malebat *recte*. — *Nobis inferrent*) Sic Ern. iuvante cod. Guelf., in quo est *ferrent*,

bus insequuti sunt? corporibus, copiis, opibus depulerunt? qui et veterem illam speciem foederis Marciani, semper omni ara duxerunt sanctiorem, et hoc foedere, Catuli senatusque auctoritate, se nobiscum coniunctissimos esse arbitrati sunt? quorum moenia, delubra, agros, ut ipse Hercules itinerum ac laborum suorum, sic maiores nostri, imperii ac nominis populi romani terminos esse voluerunt? Testantur et mortuos nostros imperatores, quorum vivit immortalis memoria et gloria, Scipiones, Brutos, Horatios, Cassios, Metellos, et hunc praesentem Cn. Pompeium, quem procul ab eorum moenibus, acre et magnum bellum gerentem, commeatu pecuniaque iuverunt; et hoc tempore ipso populum romanum, quem in caritate annonae, ut saepe ante fecerant, frumento suppeditato, levaverunt: se hoc ius esse velle, ut sibi, et liberis, si qui eximia virtute fuerint, sit in nostris castris, sit in imperatorum praetoriis, sit denique inter signa atque in acie locus; sit his gradibus adscensus etiam ad civitatem.

XVIII. Quod si Afris, si Sardis, si Hispanis, agris stipendioque multatis, virtute adipisci licet civitatem; Gaditanis autem, officiis, vetustate, fide, periculis, foedere coniunctis, hoc idem non licebit: non foedus sibi nobiscum, sed iniquissimas leges impositas a nobis esse arbitrabuntur. Atque hanc, iudices, non a me fingi orationem, sed me dicere, quae Gaditani iudicarint, res ipsa declarat. Hospitium, multis annis ante hoc tempus, cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice, dico. Proferam testes, proferam legatos; excitabo laudatores, quos ad hoc iudicium, summos homines ac no-

rescripsit pro vulg. *inferrentur.*

*Omni ara*) Edd. vett. *omni Marte*, vitiose. In cod. Vraini, Erf. S. Victor. a. m. pr. *omni arce.* At *omni ara* est e coniectura Lambini, quod ut aptissimum Ernestius probavit, etsi non recepit.

bilissimos, deprecatores huius periculi, missos videtis. Re denique multo ante Gadibus inaudita, fore, huic ut ab illo periculum crearetur, gravissima tum in istum civem suum Gaditani senatusconsulta fecerunt. Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri (quoniam hoc magnopere delectare verbo), si tum fit fundus, quum scita ac iussa nostra sua sententia comprobat, quam quum hospitium fecit, ut et civitate illum mutatum esse fateretur; et huius civitatis honore dignissimum iudicaret? potuit certius interponere iudicium voluntatis suae, quam quum etiam accusatorem huius multa et poena multavit? potuit magis de re iudicare, quam quum ad vestrum iudicium cives amplissimos legavit, testes huius iuris, vitae laudatores, periculi deprecatores? Etenim quis est tam demens, quin sentiat, ius hoc Gaditanis esse retinendum, ne interseptum sit iis iter perpetuo ad hoc amplissimum praemium civitatis; et magnopere iis esse laetandum, huius L. Cornelii benivolentiam erga suos remanere Gadibus; gratiam et facultatem commendandi in hac civitate versari? Quis enim nostrum est, cui non illa civitas sit huius studio, cura, diligentia, commendatior?

XIX. Omitto, quantis ornamentis populum istum C. Caesar, quum esset in Hispania praetor, affecerit, controversias sedarit, [1] iura, ipsorum permissu, statuerit; inveteratam quandam barbariam ex Gadi-

*Senatusconsulta*) Sic Victor. Manul. Olim *senatus convicia*.

*Dignissimum iudicaret?*) Sic recte Lambin. quem Ernestius secutus est. Vulg. *olim et ius civitatis honorem dignissimum*. In nonnullis MSS. *et ius civitatis honore dignissimum*, quod recepit Graevius.

(1) *Quod controversias sedarit*) Inserui *quod*, sublevandae constructionis causa. Sch. — Minus feliciter, ait Amar. Hoc quidem incommodum esse statim sensi; in mentem veniebat reponere *quot*. At, donec melioris aliquid afferatur, vulgatam servandam censeo. Ernestius vero arbitrabatur excidisse *qui*. Typ.

*Quandam barbariam*) *Quandam* e coniectura Lambini, Ernestio quoque probata, recepi, pro vulg. *quondam*. Significatur enim ritus barbarus hostiarum humanarum.

tanorum moribus disciplinaque delerit; summa in eam civitatem, huius rogatu, studia et beneficia contulerit. Multa praetereo, quae quotidie, labore huius et studio, aut omnino, aut certe facilius consequuntur. Itaque et adsunt principes civitatis, et defendunt: amore, ut suum civem; testimonio, ut nostrum; officio, ut ex nobilissimo civi sanctissimum hospitem; studio, ut diligentissimum defensorem commodorum suorum. Ac, ne ipsi Gaditani arbitrentur, quamquam nullo incommodo afficiantur, si liceat eorum cives virtutis causa in nostram civitatem venire, tamen hoc ipso inferius esse suum foedus, quam ceterorum: consolabor et hos praesentes, viros optimos, et illam fidelissimam atque amicissimam nobis civitatem; simul et vos, non ignorantes, iudices, admonebo, quo de iure hoc iudicium constitutum sit, de eo nunquam omnino esse dubitatum.

XX. Quos igitur prudentissimos interpretes foederum, quos peritissimos bellici iuris, quos diligentissimos in exquirendis conditionibus civitatum atque causis esse arbitremur? eos profecto, qui iam imperia ac bella gesserunt. Etenim, si Q. Scaevola ille augur, quum de iure praediatorio consuleretur, homo iuris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium et Cascellium, praediatores, reiiciebat; si nos

*Vt ex nobilissimo civi sanctissimum hospitem*) Sic MSS. aliquot Gruteri, ita Guelf. Recepit Lamb. Grut. Graev. Ern. Olim *ut nobilissimum et sanctissimum hospitem.*

*Arbitremur?*) Sic cod. Guelf. Vulgo *arbitramur.*

*Ad Furium et Cascellium praediatores reiiciebat*) Praediator, interprete Salmasio, est, qui praedia publico obligata et vendenda emit, adeoque, ut Gronovius interpretatur, pecuniam suam in praediis habet ...... Propria quidem verbi vis ea est, quam Salmasius tradit. Sed quoniam praediatores, qui praediis publico obligatis emendis quaestum faciebant, operam dabant, ut hanc partem iuris, quae est de praediis publico obligatis, commodi sui causa cognoscerent, ut sunt apud nos mercatores maiores iuris cambialis, quod vocant, plerum-

de aqua nostra Tusculana M. Tugionem potius, quam C. Aquillium consulebamus, quod assiduus usus uni rei deditus, et ingenium, et artem saepe vincit: quis dubitet de foederibus, et de toto iure pacis et belli, omnibus iuris peritissimis imperatores nostros anteferre? Possumusne igitur tibi probare auctorem exempli atque facti illius, quod a te reprehenditur, C. Marium? quaeris aliquem graviorem, constantiorem? praestantiorem virtute, prudentia, religione, aequitate? Is igitur M. Annium Appium, fortissimum virum, summa virtute praeditum, civitate donavit, quum Camertinum foedus, sanctissimum atque aequissimum sciret esse. Potest igitur, iudices, L. Cornelius condemnari, ut non C. Marii factum condemnetur? Exsistat ergo ille vir parumper cogitatione vestra, quoniam re non potest, ut conspiciatis eum mentibus, quem oculis non potestis: dicat, se non imperitum foederis, non rudem exemplorum, non ignarum belli fuisse; se P. Africani discipulum ac militem; se stipendiis, se legationibus bellicis eruditum; se, si tanta bella legisset, quanta et gessit et confecit, si tot consulibus meruisset, quoties ipse consul fuit, omnia iura belli perdiscere ac nosse potuisse; sibi non fuisse dubium, quin nullo foedere a republica bene gerenda impediretur; a se ex coniunctissima atque

que non minus, quam iurisconsulti, periti: propterea fieri potuit, ut *praediator* deinde etiam diceretur, qui iuris praediatorii peritus esset. ERN.

*Aqua nostra Tusculana*) Vide III Agrar. cap. 2.

*Legisset*) Sane mirum Ernestium hic pro lectione *legisset* revocasse ex edd. vett. *egisset*, qua sententia prorsus corrumpitur. Est vero eadem, qua usus est Cic. orat. pro lege Manilia, ubi de Pompeio dicit: *plura bella gessit, quam ceteri legerunt.* Cicero igitur sic argumentatur: Marium potuisse omnia iura belli perdiscere, si vel legisset tanta bella, quanta gessisset, et si sub tot consulibus miles gregarius fuisset, quoties ipse consul fuisset; nedum nunc aliquis dicere possit eum ignarum istius foederis fuisse, qui tanta bella ipse gesserit, totiesque consul fuerit. — Ernest. et Schütz. *gessisset* — *confecisset* — *fuisset.* Vulgatam cum aliis sequor. *T.*

amicissima civitate fortissimum quemque esse delectum; neque Iguvinatium, neque Camertium foedere esse exceptum, quo minus eorum civibus a populo romano praemia virtutis tribuerentur.

XXI. Itaque, quum paucis annis post hanc civitatis donationem acerrima de civitate quaestio, Licinia et Mucia lege, venisset: num quis eorum, qui de foederatis civitatibus esset civitate donatus, in iudicium est vocatus? Nam Spoletinus L. Matrinius unus ex iis, quos C. Marius civitate donasset, dixit causam ex colonia Latina, in primis firma et illustri. Quem quum disertus homo P. Antistius accusaret, istud ei non dixit, fundum populum spoletinum non esse factum. Videbat enim, populos de suo iure, non de nostro, fundos fieri solere; sed, quum lege Apuleia coloniae non essent deductae, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in singulas colonias ternos cives romanos facere posset, negabat hoc beneficium, re ipsa sublata, valere debere. Nihil habet similitudinis ista accusatio: sed tamen tanta auctoritas in C. Mario fuit, ut non per L. Crassum, affinem suum, hominem incredibili eloquentia, sed paucis ipse verbis causam illam gravitate sua defenderit et probarit. Quis enim esset, iudices, qui imperatoribus nostris, in bello, in acie, in exercitu, delectum virtutis; qui sociis, qui foederatis, in defendenda republica nostra spem praemiorum eripi vellet? Quod si vultus C. Marii, si vox, si ille imperatorius ardor oculorum, si recentes triumphi, si praesens valuit adspectus: valeat aucto-

*P. Antistius*) Manutio auctore sic edidi. Vulg. *L. Antistius*. Vix enim dubium est eundem esse, de quo Brut. c. 63 agitur.

*Istud ei non dixit*) Sic ingeniose correxit Pantagathus, probantibus Manutio, Lamb. Ursino, Ern. Vulgo inepte *Spoletinus dixit*.

*Causam illam -- defenderit et probarit*) Fortasse legendum *causam illam defenderit, gravitate sua probarit.*

ritas, valeant res gestae, valeat memoria, valeat fortissimi et clarissimi viri nomen aeternum. Sit hoc discrimen inter gratiosos cives atque fortes, ut illi vivi fruantur opibus suis; horum, etiam mortuorum (si quisquam huius imperii defensor mori potest), vivat auctoritas immortalis.

XXII. Quid? Cn. Pompeius, pater, rebus Italico bello maximis gestis, P. Caesium, equitem romanum, virum bonum, qui vivit Ravennae, foederato ex populo, nonne civitate donavit? [quid? cohortes duas universas Camertium?] [1] quid? Heracliensium legionem, P. Crassus, vir amplissimus, ex ea civitate, quacum prope singulare foedus Pyrrhi temporibus, C. Fabricio consule, ictum putatur? quid? Massiliensem Aristonem Sulla? quid? quoniam de Gaditanis agimus, idem heros novem Gaditanos? quid, vir sanctissimus, et summa religione ac modestia, Q. Metellus Pius, Q. Fabium Saguntinum? quid? hic, qui adest, a quo haec, quae ego nunc percurro, subtilissime sunt omnia perpolita, M. Crassus, non Alventicensem foederatum civitate donavit, homo tum gravitate et prudentia praestans, tum vel nimium parcus in lar-

(1) Vocis inclusa aliunde male adsuta indicat Garatonius; nam cohortes illas Camertium, inter Pompeium patrem et P. Crassum positas, uter eorum civitate donaverit, dubium relinquitur. Sed eam rem pertinere ad C. Marium affirmat idem V. Cl., prolatis Valerio Maximo V, 2, 8, et Plutarcho in Marii vita cap. 28. Testatur etiam in MSS. optimis ita legi: *quid? Heracliensem Alexam P. Crassus*: quod censet recipiendum. *Alexam* vero deminutum ex *Alexandro* est, atque contractum. Id in Aegypto maxime usitatum deminutionis genus dialecto Alexandrinae a Sturzio tribuitur p. 135. Ceterum ad probandam huius loci emendationem gravissimis utitur Garatonius argumentis, quae, si tanti putas, invenies in secundis curis ad Plancianam (Bonon. 1815, p. 148). Typ.

*Alventicensem*) Sic Iac. Gronovius e vestigiis MSS. in quibus legitur *Aveniensem*, vel *Avennensem* aut *Avernensem*, rescribendum censuit. Vulgo est *Aletrinensem*, quod iam Cluverio displicebat, quia ubique Cicero scribit *Aletrinatem*. Praeterea cetera oppida hic nominata remotiora sunt ab Roma, quam est Aletrium.

gienda civitate? Hic tu, Cn. Pompeii beneficium, vel potius iudicium, et factum infirmare conaris, qui fecit, quod C. Marium fecisse audierat; fecit, quod P. Crassum, quod L. Sullam, quod Q. Metellum, quod denique domesticum auctorem, patrem suum, facere viderat? Neque vero in uno Cornelio id fecit: nam et Gaditanum Hasdrubalem ex bello illo Africano, et Mamertinos Ovios, et quosdam Vticenses, et Saguntinos *fabros,* civitate donavit. Etenim, quum ceteris praemiis digni sunt, qui suo labore et periculo nostram rempublicam defenderunt: tum certe dignissimi sunt, qui civitate ea donentur, pro qua pericula ac tela subierunt. Atque utinam, qui ubique sunt propugnatores huius imperii, possent in hanc civitatem venire, et contra, oppugnatores reipublicae de civitate exterminari! Neque enim ille summus poëta noster, Hannibalis illam magis cohortationem, quam communem imperatorum, voluit esse, *Hostem qui feriet*, *erit*, inquit, *mihi Carthaginiensis*, *Quisquis erit*, *cuiatis*: [1] etsi id habent hoc leve, et semper habuerunt. Itaque et cives undique fortes viros adsciverunt, et hominum ignobilium virtutem persaepe nobilitatis inertiae praetulerunt.

XXIII. Habetis imperatorum summorum, et sapientissimorum hominum, clarissimorum virorum, interpretationem iuris ac foederum: dabo etiam iu-

*Mamertinos Ovios*) Ita correxit Lambinus ex emendatione Buchanani. Vulgo *Mamertinos obvios*, quod est ineptum. Guelf. plane omittit. Sed verisimilius est hic nomen proprium adiectum esse. Et *Oviorum* familia clara apud Campanos fuit.

*Saguntinos fabros*) Amar coniicit *Saguntinos Fabios*. T.

*Rempub. defenderunt*) Ita rescripsi Ernestii exemplo pro vulg. *defendunt*.

(1) Ennii sunt versus ex libro XII Annal. Schütz., metri ratione habita: *H. q. f.* inquit, *mihi erit C.* Typ.

*Etsi id habent — habuerunt*) Haec ita legenda sunt, ut opinor: *etsi illi* (imperatores) *id habent hodie leve* (i. e. parum referre existiment quo loco aliquis natus sit aut quo genere ortus) *et semper habuerunt.*

dicum, qui huic quaestioni praefuerunt; dabo universi populi romani; dabo sapientissimum iudicium senatus. Iudices quum prae se ferrent, palamque loquerentur, quid essent lege Papia de M. Crasso, Mamertinis repetentibus, iudicaturi: Mamertini, publice suscepta causa, destiterunt. Multi in civitatem recepti ex liberis foederatisque populis, sunt liberati; nemo unquam est de civitate accusatus, quod aut populus fundus factus non esset, aut quod foedere civitatis mutandae ius impediretur. Audebo etiam hoc contendere, nunquam esse condemnatum, quem constaret, ab imperatore nostro civitate donatum. Cognoscite nunc populi romani iudicium, multis rebus interpositum, atque in maximis causis re ipsa atque usu comprobatum. Cum Latinis omnibus foedus ictum, Sp. Cassio, Postumio Cominio consulibus, quis ignorat? quod quidem nuper in columna aenea meminimus post rostra incisum et perscriptum fuisse. Quomodo igitur L. Cossinius Tiburs, pater huius equitis romani, optimi atque ornatissimi viri, damnato T. Caelio, quomodo ex eadem civitate T. Coponius, civis item summa virtute et dignitate (nepotes T. et C. Coponius nostis) damnato C. Massone, civis romanus est factus? An lingua et ingenio patefieri aditus ad civitatem potuit; manu et virtute non potuit? anne de nobis trahere spolia foederatis licebit, de hostibus

*Sapientissimum*) Sic Graev. e cod. Erf. Vulgo *sanctissimum*. Ernestio placebat *sapientissimi iud. senatus*.

*M. Crasso*) Scil. Mamertino, qui beneficio M. Crassi, Romanam civitatem adeptus eius nomen assumpserat.

*Sunt liberati*) scil. *iudicio*. Verba *sunt liberati* primus addidit Gruterus e codd. Pal. 9, Erf. Eadem habet cod. Guelf.

*Civis Romanus est factus?*) Nempe ex lege Servilia Glauciae de civitate lata A. V. 653, si quis ex sociis Latinis senatorem Romanum accusasset isque damnatus esset, in eius locum civis Romanus fiebat.

*Lingua et ingenio*) H. e. eloquentia in accusando demonstrata.

*Trahere spolia*) Refertur ad civita-

non licebit? an, quod adipisci poterunt dicendo, id eis assequi pugnando non licebit? an accusatori maiores nostri maiora praemia, quam bellatori, esse voluerunt? Quod si acerbissima lege Servilia principes viri ac gravissimi, et sapientissimi cives, hanc Latinis, id est foederatis, viam ad civitatem populi iussu patere passi sunt; neque in his est hoc reprehensum Licinia et Mucia lege, quum praesertim genus ipsum accusationis et nomen, et eiusmodi praemium, quod nemo assequi posset nisi ex senatoris calamitate, neque senatori, neque bono cuiquam nimis iucundum esse posset: dubitandum fuit, quin, quo in genere iudicum praemia rata essent, in eodem iudicia imperatorum valerent? Num fundos igitur factos populos arbitramur aut Servilia lege, aut ceteris, quibus erat Latinis hominibus propositum aliqua ex re praemium civitatis?

XXIV. Cognoscite nunc iudicium senatus, quod semper est iudicio populi comprobatum. Sacra Cereris, iudices, summa maiores nostri religione confici caerimoniaque voluerunt: quae quum essent assumpta de Graecia, et per graecas semper curata sunt sacerdotes, et graeca omnia nominata. Sed quum illam, quae graecum illud sacrum monstraret et

tem, quam damnato senatore is ex sociis, qui eum accusaverat, adipiscebatur.

*Iudicum praemia* ) I. e. civitas per iudices Latino homini data, qui accusaverat senatorem, et ut hic iudicio damnaretur effecerat.

*Quibus erat Latinis hominibus propositum* ) Sic levi transpositione vitavi ingratum quatuor vocum litera *S* finitarum concursum. Vulgo enim legitur, *aut ceteris quibus Latinis hominibus erat propositum.*

*Sacra Cereris* ) Horum sacrorum originem ad Evandrum refert Halicarnassens lib. I: *Constituerunt et Cereris templum, et sacrificia ipsi more Graeco ieiuniaque celebrarunt, in quibus nihil praesens tempus mutavit.* His festis duo videntur fuisse celebrata, Orci nuptiae, et inventio Proserpinae. In Orci nuptiis vino abstinebant, in sacrificio Cereris, ob inventionem Proserpinae, favos lacte et vino diluebant, ut notat Servius ad librum I Georg. vers. 343. Abr.

faceret, ex Graecia deligerent: tamen sacra pro civibus civem facere voluerunt, ut deos immortales scientia peregrina et externa, mente domestica et civili precaretur. Has sacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienses fuisse, foederatarum sine dubio civitatum. Mitto vetera; proxima dico: ante civitatem Veliensibus datam, de senatus sententia C. Valerium Flaccum, praetorem urbanum, nominatim ad populum de Calliphana Veliense, ut ea civis romana esset, tulisse. Num igitur aut fundos factos Velienses, aut sacerdotem illam, civem romanam factam non esse, aut foedus et a senatu et a populo romano violatum arbitrabimur?

XXV. Intelligo, iudices, in causa aperta minimeque dubia, multo et plura et a pluribus peritissimis esse dicta, quam res postularet. Sed id factum est, non ut vobis rem tam perspicuam dicendo probaremus, verum ut omnium malivolorum, iniquorum, invidorum animos frangeremus: quos ut accusator incenderet, ut maligni sermones hominum, alienis bonis moerentium, etiam ad vestras aures permanarent, et in iudicio ipso redundarent, idcirco illa in omni parte orationis summa arte adspergi videbatis: tum pecuniam L. Cornelii, quae neque invidiosa est, et, quantacumque est, eiusmodi est, ut conservata magis, quam correpta esse videatur; tum luxuriam, quae non crimine aliquo libidinis, sed communi maledicto notabatur; tum Tusculanum, quod Q. Metelli fuisse

*Vt maligni*) Ita corrigendum censuit Ernest. probante Weiskio. V. *aliqui*.

*Orationis summa arte*) Cod. Erf. ed. Victor. Graev. *orationis suae arte*. Ernestius eos sequebatur qui *arte* nutum esse putabant e *parte*; malebatque legi: *in omni parte orationis suae adspergi*; neque enim, inquit, in eo arte opus erat. Attamen erat artificium oratoris huiusmodi opprobria callide diversis orationis locis intexere.

*Pecuniam — luxuriam — Tusculanum*) Pendent hi accusativi ex *adsper-*

meminerat, et L. Crassi Crassum emisse de libertino homine, Soterico Marcio, ad Metellum pervenisse de Venonii Vindicii bonis, non tenebat: simul illud nesciebat, praediorum nullam esse gentem; emptionibus ea solere saepe ad alienos homines, saepe ad infimos, non legibus, tanquam tutelas, ad agnatos pervenire. Obiectum est etiam, quod in tribum Crustuminiam pervenerit; quod hic assequutus est legis de ambitu praemio, minus invidioso, quam qui legum praemiis praetoriam sententiam, et praetextam togam consequuntur. Et adoptio Theophani agitata est: per quam Cornelius nihil est, praeterquam propinquorum suorum hereditates, assequutus.

*gi videbatis.* Errabat Ernestius quum *Tusculanum* e *non tenebat* pendere putabat.

*Non tenebat*) H. e. Tusculanum meminerat quidem olim Q. Metelli et L. Crassi fuisse, sed illud memoria *non tenebat* Crassum illud emisse de libertino homine etc.

*Ad agnatos*) Hoc inserui ex certissima Hotomanni coniectura, Ernestio quoque probata.

*In tribum Crustuminiam*) Balbus scil. aliquem de ambitu accusaverat, qui quum esset damnatus legis praemio, in eam tribum venit, in qua fuerat ille, quem accusarat.

*Praetorium sententiam*) I. e. antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum, inter praetorios; quem legis praemio is obtinebat, qui aliquem de ambitu accusaverat, si reus damnatus esset, qui in senatu istum locum sententiae dicendae obtinuerat.

*Praetextam togam*) I. e. magistratum eum, quem suffragiis populi adeptus esset is qui postea damnatus esset, ut P. Sulla P. Autronio consulibus designatis de ambitu damnatis accusatores eorum L. Cotta, L. Torquatus in eorum locum legis praemio successerunt; similiter quum C. Curio Servium tribunum plebis designatum accusasset, et damnasset, eius locum obtinuit, ut est in epistola Caelii Fam. VIII, 4. MANVT.

*Agitata est*) Eam ipse improbat Epp. ad Att. VII, 7, inter alia Caesaris acta. Hic autem causae servit.

*Adoptio Theophanis agitata est*) Vt ex opibus invidia concitaretur. Hic Theophanes Mytilenaeus fuit libertus Pompeii Magni, apud quem gratia plurimum valuit. Adoptavit Balbum, heredemque fecit. Ideoque Cornelius Balbus Theophanes appellatus est, auctore Capitolino in Balbino. MAN.

*Propinquorum suorum hereditates*) Manutius hoc sic intelligebat: Balbum quae ex Theophanis adoptione ad eum pervenerant, ea quum ipse non egeret, propinquis suis distribuisse, ut non suam, sed propinquorum hereditates assequutus esse videretur. At verba nihil aliud significare possunt, quam quum adoptione transiisset Bal-

XXVI. Quamquam istorum animos, qui ipsi Cornelio invident, non est difficillimum mitigare. More hominum invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant; non illo inimico, sed hoc maledico dente carpunt. Qui amicis L. Cornelii aut inimici sunt, aut invident, hi sunt huic multo vehementius pertimescendi. Nam huic quidem ipsi quis est unquam inventus inimicus? aut quis iure esse potuit? Quem bonum non coluit? Cuius fortunae dignitatique non concessit? Versatus in intima familiaritate hominis potentissimi, in maximis nostris malis atque discordiis neminem unquam alterius rationis ac partis, non re, non verbo, non vultu denique offendit. Fuit hoc sive meum, sive reipublicae fatum, ut in me unum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. Non modo non exsultavit in ruinis nostris Cornelius; sed omni officio, lacrymis, opera, consolatione, omnes, me absente, meos sublevavit. Quorum ego testimonio ac precibus munus hoc merito huic, et, ut a principio dixi, iustam et debitam gratiam refero: speroque, iudices, ut eos, qui principes fuerunt conservandae salutis aut dignitatis meae, diligitis et caros habetis, sic, quae ab hoc pro facultate huius, pro loco facta sunt, et grata esse vobis, et probata.

bus in Theophanis familiam, ab eius propinquis, qui nunc etiam erant Balbi propinqui, hereditates aliquot ei *venisse*.

*Non illo inimico*) Lambinus corrigebat *mimico*. Sed recte Graevius defendit lectionem *inimico*. *Inimicus dens*, inquit, eorum est, qui hostili in nos sunt animo, ut velint nos perdere, si possint. Maledicus dens est invidorum, qui nos rodunt et vellicant et obliquo oculo nostra limant commoda, eaque vellent imminui..

*Concessit?*) Sic cod. Guelf. edd. pr. alii *cessit*.

*Hominis potentissimi*) C. Caesaris.

*In ruinis nostris*) Vulgo addebatur *nostrisque discordiis*, quod Ernestius recte vidit e superioribus temere repetitum, ideoque uncis inclusit. Hic est prorsus alienum, ubi tantum de exsilio suo Cicero loquitur.

*Merito huic*) Sic Lamb. e coniectura. Vulgo *meritum huic*.

Non igitur a suis, quos nullos habet, sed a suorum, qui et multi et potentes sunt, urgetur inimicis: quos quidem hesterno die Cn. Pompeius copiosa oratione et gravi, secum, si vellent, contendere iubebat: ab hoc impari certamine, atque iniusta contentione avocabat.

XXVII. Et erat aequa lex, et nobis, iudices, atque omnibus, qui nostris familiaritatibus implicantur, vehementer utilis, ut nostras inimicitias ipsi inter nos geramus, amicis nostrorum inimicorum temperemus. Ac, si mea auctoritas satis apud illos in hac re ponderis haberet, quum me praesertim rerum varietate atque usu ipso iam perdoctum viderent; etiam ab illis eos maioribus discordiis avocarem. Ita enim contendere de republica, ut id defendas, quod esse optimum sentias, et fortium virorum et magnorum hominum semper putavi; neque huic unquam labori, officio, muneri defui. Sed contentio tamdiu sapiens est, quamdiu aut proficit aliquid, aut, si non proficit, non obest civitati. Voluimus quaedam, contendimus, experti sumus; obtenta non sunt: dolorem alii, nos luctum moeroremque suscepimus. Cur ea, quae mutare non possumus, convellere malumus, quam tueri? C. Caesarem senatus et genere supplicationum amplissimo ornavit, et numero dierum novo. Idem, in angustiis aerarii, victorem exer-

*Ab hoc impari certamine*) Sic Lamb. e coniectura Gruter. e Pall. Olim *imperito* vel *improbo*.

*Ita enim contendere — id defendas*) Hanc lectionem, optimam sane, Vrsinus in MSS. invenit. Vulgo edebatur *id enim contendere mihi videtur e republica quum id defendas, quod* etc. Abramio placebat *Etenim contendere de republica, quum id defendas, quod* etc. Graevius Vrsini lectionem sequutus est, nisi quod *quum id defendas* servavit. Gruterus c. aliis, *id enim contendere mihi de republica, quum id defendas*.

*Voluimus quaedam*) Tacite significat optimatum, et popularium civium dissensionem. Popularium autem principem Caesarem designat. MAN.

citum stipendio affecit: imperatori decem legatos decrevit, lege Sempronia succedendum non censuit. Harum ego sententiarum et princeps et auctor fui; neque me dissensioni meae pristinae putavi potius assentiri, quam praesentibus reipublicae temporibus et concordiae convenire. Non idem aliis videtur. Sunt fortasse in sententia firmiores. Reprehendo neminem; sed assentior non omnibus: neque esse inconstantis puto, sententiam aliquam, tanquam aliquod navigium atque cursum, ex reipublicae tempestate moderari. Sed si qui sunt, quibus infinitum sit odium, in quos semel susceptum sit; quos video esse nonnullos: cum ducibus ipsis, non cum comitatu assectatoribusque confligant. Illam enim fortasse pertinaciam nonnulli, virtutem alii putabunt: hanc vero iniquitatem omnes, cum aliqua crudelitate coniunctam. Sed, si certorum hominum mentes nulla ratione placare, iudices, possumus, vestros quidem animos certe confidimus, non oratione nostra, sed humanitate vestra esse placatos.

XXVIII. Quid enim est, cur non potius ad summam laudem huic, quam ad minimam fraudem, Caesaris familiaritas valere debeat? Cognovit adolescens; placuit homini prudentissimo; in summa amicorum copia cum familiarissimis eius est adaequatus. In praetura, in consulatu praefectum fabrum detulit; consilium

*Convenire*) Ernestius putabat vitiosum esse *convenire*, quia hoc de rebus dicatur, non de personis. Recte, si *convenire* construatur cum dativis *temporibus et concordiae*. At si verba sic construantur: *neque putavi convenire me dissensioni meae pristinae potius assentiri, quam praesentibus reipublicae temporibus et concordiae*, nihil est quod *convenire* mutetur. Graevius tamen malebat *inservire*.

*Placuit*) Hoc sensu: Caesar corroborata iam aetate Cornelium probavit, quem cognoverat adulescens; itaque sibi Praefectum fabrum eum esse iussit tum in praetura, tum deinde in consulatu. Ferr.

*Praefectum fabrum detulit*) Nempe in beneficiis ad aerarium cum Caesar detulit praefectum fabrum, quod fieri

hominis probavit, fidem est complexus; officia observantiamque dilexit. Fuit hic multorum illi laborum socius aliquando: est fortasse nunc nonnullorum particeps commodorum. Quae quidem si huic obfuerint apud vos, non intelligo, quod bonum cuiquam sit apud tales viros profuturum. Sed, quoniam C. Caesar abest longissime, atque in iis est nunc locis, quae regione orbem terrarum, rebus illius gestis imperium populi romani definiunt: nolite, per deos immortales! iudices, hunc illi acerbum nuntium velle perferri, ut suum praefectum fabrum, ut hominem sibi carissimum et familiarissimum, non ob ipsius aliquod delictum, sed ob suam familiaritatem vestris oppressum sententiis audiat. Misereminі eius, qui non de suo peccato, sed de huius summi et clarissimi viri facto; non de aliquo crimine, sed, periculo suo, de publico iure disceptat. Quod ius si Cn. Pompeius ignoravit, si M. Crassus. si Q. Metellus, si Cn. Pompeius pater, si L. Sulla, si L. Crassus, si C. Marius, si senatus, si populus romanus, si, qui de re simili iudicarunt, si foederati populi, si socii, si illi antiqui Latini: videte, ne utilius vobis et honestius sit, illis ducibus errare, quam hoc magistro erudiri. Sed, si de certo, de perspicuo, de utili, de probato, de iudicato vobis iure esse constituendum videtis, nolite committere, ut in re tam inveterata quidquam novi sentiatis. Simul et illa, iudices, omnia ante oculos vestros proponite: primum, esse omnes etiam post mortem reos, clarissimos illos viros, qui foederatos civitate donarunt; deinde senatum, qui persaepe hoc iudicavit; populum,

solebat honoris et commendationis causa. Itaque non est admittenda lectio *praefecturam fabrum*, quam Vrsinus e vetere libro excitavit.

*Perferri*) Sic codd. S. Victor. Gembl. Erf. Olim edebatur ante Grut. *deferri*.

qui iussit; iudices, qui approbarunt. Tum etiam illud cogitatote: sic vivere ac vixisse Cornelium, ut quum omnium peccatorum quaestiones sint, non de vitiorum suorum poena, sed de virtutis praemio in iudicium vocetur. Accedat etiam illud, ut statuatis hoc iudicio, utrum posthac amicitias clarorum virorum calamitati hominibus, an ornamento esse malitis. Postremo illud, iudices, fixum in animis vestris tenetote, vos in hac causa non de maleficio L. Cornelii, sed de beneficio Cn. Pompeii iudicaturos.

# ORATIO

IN

# L. CALPVRNIVM PISONEM

# ORATIO

IN

# L. CALPVRNIVM PISONEM

## SVMMARIVM

L. Calpurnius Piso et A. Gabinius consules A. V. C. 695 non modo P. Clodio tribuno plebis rogationem in Ciceronem iniquissimam ferenti non obstiterunt, verum etiam nefarios eius conatus et exitiosa reipublicae consilia vehementer adiuverunt. Itaque Cicero quum esset ab exsilio revocatus, tum aliis locis acerbe eos accusavit, tum A. V. C. 697 quum Marcellinus et Philippus coss. de provinciis consularibus lege Sempronia decernendis referrent, summo studio, in oratione de provinciis consularibus quam habuit in senatu, egit, ut Piso e Macedonia, Gabinius e Syria revocaretur. Quam in sententiam SCto facto prior Piso e provincia rediit, et quum in senatu graviter de sententia Ciceronis questus esset, Cicero ei hac oratione respondit, et acerbissime in eum invectus est.

Eius orationis principium, praeter aliquot fragmenta ab Asconio servata, nondum est in codd. Mss. repertum. In qua postquam de Pisonis genere et maioribus dixerat, exagitat honores ab eo impetratos, in primis autem suum consulatum c. 1-3 cum Pisonis consulatu c. 4-13, suum discessum in exsilium suamque absentiam c. 14 15 cum Pisonis discessu in provinciam eiusque absentia c. 16-21, deinde reditum suum c. 22 cum Pisonis reditu c. 23-26 comparat.

Tum vitam eius urbanam exagitat; ostenditque eum senatui, equitibus, plebi Romanae, odio esse c. 27: deinde luxuriam eius notat, quam Philodemus, poëta Graecus, ab eo ipso rogatus delicatissimis versibus expresserit c. 28 29. Deinde quod Piso dixerat, Ciceroni non invidiam, sed versus aliquot nocuisse;

primum ostendit, eum inepte hos versus male intellectos reprehendisse c. 30: deinde refutat, quae ille de Pompeii et Caesaris cum Cicerone inimicitiis dixerat c. 31–33.

Postremo res Pisonis in provincia gestas, labes imperii, strages provinciae, avaritiae, iniustitiae, crudelitatis crimina perstringit, eumque ob haec scelera gravissimis poenis dignum ab omnibus iudicari demonstrat; c. 34–41.

## I.

### *Fragmenta principii ab Asconio servata.*

*Circa vers. a primo .....*

..... Quod minimum specimen in te ingenii, ingenii autem? immo ingenui hominis, ac liberi; qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen.

*Circa vers. a primo LXXX*

Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet,

#### ASCONII PEDIANI COMMENTATIONES

Cap. I. Tametsi haec oratio sic inscribitur *in L. Pisonem*: tamen non p[illegible]to vos ignorare, hunc Pisonem ex ea familia esse, quae *frugi* appellata sit, et ideo dicit aspernari eum moribus nomen. — *Ad contemnendam Placentiam*) Magnopere me haesitare confiteor, quid sit, quare Cicero Placentiam municipium esse dicat. Video enim in annalibus eorum, qui Punicum bellum secundum scripserunt, tradi, Placentiam coloniam deductam pridie kal. ian. primo anno eius belli, P. Cornelio Scipione patre Africani, Tib. Sempronio Longo coss. Neque illud dici potest, sic eam coloniam esse deductam, quemadmodum post plures aetates Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompeii Magni, Transpadanas colonias deduxerat. Pompeius enim non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus ius dedit Latii, ut possent habere ius, quod ceterae Latinae coloniae, id est, ut petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur. Placentiam autem sex millia hominum novi coloni deducti sunt; in quibus equites deducendi fuit causa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiae tenebant. Deduxerunt triumviri P. Cornelius Asina, P. Papirius Maso, Cn. Pompeius sive Cn. Cornelius Scipio. Eamque coloniam IV deductam esse invenimus. Deducta est autem Latina. Duo porro genera earum coloniarum, quae a populo Romano deductae sunt, fuerunt.

unde se is ortum gloriari solet; neque enim hoc mea natura fert; nec municipii, praesertim de me optime meriti, dignitas patitur.

*Paulo post.*

Insuber quidam fuit, idem mercator et praeco, is quum Romam cum filia venisset, adolescentem nobilem Caesonium, hominis furacissimi filium, ausus est appellare, si filiam collocavit.

*Paulo post.*

..... Hic quum ad Padum Placentiae forte consedisset, paucis post annis in eam civitatem (nam tum erat civitas) ascendit. Prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo Semiplacentinus haberi coeptus est.

*Circa vers. a primo .....*

Lautiorem pater tuus socerum, quam C. Piso ..... in illo luctu: non ei filiam meam collocavi, quem ego, potestas quum omnium fuisset, unum potissimum delegissem.

Erant enim aliae, quibus ius Italiae dabatur; aliae item quae Latinorum essent. De se autem optime meritos Placentinos ait, quod illi quoque honoratissima decreta erga Ciceronem fecerant, certaverantque in ea re cum tota Italia, quum de eius reditu actum est. — *Paucis post annis in eam civitatem*) Hic quoque dicit civitatem fuisse. Ab eadem persuasione ponit Placentiam municipium fuisse. Avum autem Pisonis *Gallum* fuisse ideo ait, quod venisse eum in Italiam dicit trans Alpes; *Gallicanum*, quod in Italia consederit; *Semiplacentinum* postquam ascitus sit a Placentinis; quod multo post ea tempora fuit, quibus Placentia colonia deducta est. — *Lautiorem pater tuus socerum*) Quis fuerit socer Pisonis patris supra dixit his verbis: *Insuber quidam fuit, idem mercator et praeco. Is quum Romam cum filia venisset, adolescentem nobilem Caesonium, hominis furacissimi filium, ausus est appellare, si filiam collocavit.* Calventium aiunt eum appellatum, patris Pisonis, contra quem haec oratio est, socerum. Rutilium Atilium Nudum Fenestella tradit. — *Non ei filiam meam collocavi*) Cicero filiam post mortem Pisonis generi P. Lentulo collocavit, apud quem illa ex partu decessit.

*Quintilian. VIII*, 3.

..... Quum tibi tota cognatio sarraco advehatur.
..... Caput opponis, cum eo coniscans.

..... Iamne vides, bellua, iamne sentis, quae sit hominum querela frontis tuae? Nemo queritur, Syrum, nescio quem, de grege noviciorum, factum esse consulem. Non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt; oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit; hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. Pauci ista tua lutulenta vitia noveramus; pauci tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguae. Nunquam erat audita vox in foro, nunquam periculum factum consilii; nullum non modo illustre, sed ne notum quidem factum aut militiae, aut domi. Obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habes nihil, praeter colorem. Is mihi etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsa assequutum? Mihi ista licet de me, vera cum gloria, praedicare. Omnes enim honores populus romanus mihi ipsi, homini novo detulit. Nam, tu quum quaestor es factus, etiam qui te nunquam viderant, tamen illum honorem nomini

*Syrum*) Hoc est, servum. Eodem sensu dixit in orat. post reditum in senatu: *Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.* AB.

*Novitiorum*) Novitius venalitius dicitur, qui recens alicunde advenerit. Qualis a Iuvenali Sat. I describitur vers. 96: *Nuper in hanc urbem, pedibus qui venerat albis.* ABR.

*Induxit*) Olim in edd. sic legebatur: *hic in errorem homines impulit, hic — in fraudem induxit.* Melior lectio codd. MSS. debetur a Faërno, Lambino, Grutero, Graevio adhibitis.

*Mihi ipsi, homini novo*) Vrsino placebat veteris libri scriptura *mihi ipsi, non nomini.*

mandabant tuo. Aedilis es factus. Piso est a populo romano factus, non iste Piso. Praetura item maioribus delata est tuis. Noti erant illi mortui: te vivum nondum noverat quisquam. Me quum quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum cunctis suffragiis populus romanus faciebat: homini ille honorem, non generi; moribus, non maioribus meis, virtuti perspectae, non auditae nobilitati deferebat. Nam quid ego de consulatu loquar? parto vis, anne gesto? Miserum me! cum hac me nunc peste atque labe confero? Sed nihil comparandi causa loquar: attamen ea, quae sunt longissime disiuncta, comprehendam. Tu consul es renuntiatus (nihil dicam gravius, quam quod omnes fatentur), impeditis reipublicae temporibus, dissidentibus consulibus Caesare et Bibulo, quum hoc non recusares, quin ii, a quibus dicebare consul, te luce dignum non putarent, nisi nequior, quam Gabinius, exstitisses. Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella, quam voce priorem consulem declaravit.

II. Sed omitto, ut sit factus uterque nostrum. Sit sane Fors domina campi. Magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum, quam, quemadmodum ceperimus. Ego Kalendis Ian. senatum, et bonos omnes, legis agrariae, maximarumque largitionum metu liberavi. Ego agrum Campanum, si dividi non oportuit, conservavi: si oportuit, melioribus auctoribus reservavi. Ego in C. Rabirio, perduellionis reo,

Cap. II. *Ego in C. Rabirio perduellionis reo* etc.) Possit aliquis credere, lapsum memoria Ciceronem, qui dicat, XL annis ante se consulem factum esse S. C. adversus L. Apuleium Saturninum tribunum plebis, quum XXXVI anni a C. Mario et L. Valerio Flacco consulibus numerentur. Sed hic non subtilis computatio annorum facta est. Verum summatim tempus compre-

*Attamen*) Sic edd. pr. idque placuit Turnebo: Lambino; Ernestio. Vulgo *ac tamen*.

XL annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra invidiam atque defendi. Ego adolescentes bonos et fortes, sed usos ea conditione fortunae, ut, si essent magistratus adepti, reipublicae statum convulsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi. Ego Antonium collegam, cupidum provinciae, multa in republica molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi. Ego provinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu et pecunia instructam et ornatam, quam cum Antonio commutavi, quod ita existimabam tempora reipublicae ferre, in concione deposui, reclamante populo romano. Ego L. Catilinam, caedem senatus, interitum urbis, non obscure, sed palam

hensum est; et perinde accipiendum, ac si dixerit, *prope XL annis.* Haec enim consuetudo est ipsius Ciceronis; itaque idem in ea quoque quam habuit in Catilinam in senatu (I. 2) quum octavus decimus dies esset, posteaquam factum S. C. *ut viderent consules ne quid respublica detrimenti caperet*, dixit: *Vigesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis; habemus enim S. C. verumtamen inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum.*

*Adolescentes bonos*) Significat proscriptorum liberos. L. Sulla eos lege lata petendorum honorum potestate privarat. Quum nihilominus petere vellent, Cicero contra eos orationem habuit, cuius extat fragmentum. HOT.

*Comitiorum ratione privavi*) Intelligit eorum qui a Sulla proscripti erant, filios, lege Cornelia petendorum honorum potestate privatos, qui quum peterent ut illa lex abrogaretur, Cicero oratione de proscriptorum liberis iis restitit. cf. Quintilian. XI, 1, 85. Plin. hist. nat. VII, 30.

*Ego Provinciam Galliam*) Consules solebant provincias sortiri, vel inter se comparare, id est, extra sortem convenire inter se, quam quisque provinciam in annum sequentem obtineret. Cicero quum Antonium Macedoniae cupidum videret, eam ultro ipsi sine sorte concessit, ut collegam hoc obsequio mitigatum ad reipublicae partes adduceret. Ac ne Galliam quidem, quam in illa provinciarum comparatione obtinuerat, retinuit, sed eam deinde in concione deposuit, quod id putaret reipublicae rationibus expedire. ABR.

*Quam cum Antonio commutavi*) Ciceroni sorte obtigerat Macedonia, Antonio Gallia, ille autem Macedoniam Antonio concessit, Galliam hac commutatione acceptam paullo post deposuit, quae deinde Q. Metello Celeri obvenit. Itaque recte Lamb. Hotom. Ern. *commutavi* dederunt, pro vulg. *communicavi*, quod tamen Gruter. et Graev. retinuerunt.

molientem, egredi ex urbe iussi: ut, a quo legibus non poteramus, moenibus tuti esse possemus. Ego tela extremo mense consulatus mei intenta iugulis civitatis, de coniuratorum nefariis manibus extorsi. Ego faces iam accensas ad huius urbis incendium, comprehendi, protuli, exstinxi.

III. Me Q. Catulus, princeps huius ordinis, et auctor publici consilii, frequentissimo senatu, parentem patriae nominavit. Mihi hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius, his audientibus, civicam coronam deberi a republica dixit. Mihi togato senatus, non, ut multis, bene gesta, sed, ut nemini, conservata republica, singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit. Ego quum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno plebis prohiberer, quae constitueram; quumque is mihi tantummodo, ut iurarem, permitteret: sine ulla dubitatione iuravi, rempublicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. Mihi populus romanus universus illa in concione non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit, quum meum iusiurandum tale atque tantum, iuratus ipse, una voce et consensu approbavit. Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur. Atque ita est a me consulatus peractus, ut nihil sine consilio senatus, nihil non approbante populo

Cap. III. *Ego quum in concione abiens magistratu* etc.) Diximus iam antea, a Q. Metello Nepote tribuno pl. Ciceronem consulatu abeuntem prohibitum esse concionari de rebus, quas in eo magistratu gessit.

*Bene gesta — conservata republica*) Vulgo *bene gestae — conservatae reipublicae*; in quo quum constructio verborum non constrt, Lambinus, incertum qua auctoritate, addidit: *testimonium dedit, et* —. Mihi tutius visum ablativos reponere, ut Fam. Epp. XIV, 4.

romano egerim; ut semper in rostris curiam, in senatu populum defenderim; ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniunxerim. Exposui breviter consulatum meum.

IV. Aude nunc, o furia, de tuo dicere: cuius fuit initium ludi Compitalitii, tum primum facti post L. Metellum et Q. Marcium, consules, contra auctoritatem huius ordinis: quos Q. Metellus (facio iniuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares haec civitas tulit, cum hac importuna bellua conferam), sed ille designatus consul, quum quidam tribunus plebis suo auxilio magistros vicorum ludos

Cap. IV. *Cuius fuit initium ludi Compitalitii*) Dicit de ludis Compitalitiis, quos Q. Metellus fieri vetuit. — *Quos Q. Metellus (facio iniuriam — conferam) sed ille designatus consul* etc.) L. Caecilio, Q. Marcio coss. quos et ipse Cicero supra memoravit, S. C. collegia sublata sunt, quae adversus rempubl. videbantur esse. Solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant Compitalitios praetextati; qui ludi sublatis collegiis discussi sunt. Post novem deinde annos, quam sublata erant, P. Clodius tribunus pl. lege lata restituit collegia. Invidiam ergo et crimen restitutorum confert in Pisonem, quod, quum consul esset, passus sit, antequam lex ferretur, facere praetextatum ludos Sex. Clodium. Is fuit familiarissimus Clodii, et operarum Clodianarum dux; quo auctore postea illato ab iis corpore Clodii, curia cum eo incensa est. Quos ludos tunc quoque fieri prohibere tentavit L. Memmius trib. pl. Ante biennium autem quam restituerentur collegia, Q. Metellus Celer consul designatus magistros vicorum ludos Compitalitios facere prohibuerat, ut Cicero tradit, quamvis auctore trib. pl. fierent, quis is fuerit non constat. Mirus error Ernestii, qui in notis ad h. l. nominat L. Ninnium Quadratum, qui trib. pl. fuit A. V. 695.

*Compitalitii*) Compitalia erant festa Diis viarum praesidibus sacra, in compitis celebrari solita a mortuorum affinibus. Anon.

*L. Metellum et Q. Marcium*) L. Caecilium Metellum et Q. Marcium Regem coss. A. V. 685, quibus consulibus ex *SCto* sublata sunt collegia, quae contra rempublicam inita videbantur; ideoque etiam ludi Compitalitii intermissi.

*Q. Metellus*) Q. Metellus Celer cos. cum L. Afranio A. V. 693.

*Quid cum tribunus plebis*) Quis ille fuerit non constat. Mirus error Ernestii, qui in notis ad h. l. nominat L. Ninnium Quadratum, qui trib. pl. fuit A. V. 695.

*Vicorum ludos*) Olim edebatur *magnos ludos*. Perperam; nam *ludi compitalitii* non sunt *magni*. Sed cod. Erf. Pall. 1, 2, recte *magistros ludos*; quod receperunt Grut. Graev. Ern. (et nuperrimi editores Parisienses. T.) Sed post *magistros* addendum esse *vicorum* viderunt Pighius et Abramius, auctoritate etiam Asconii ad h. l.

contra senatusconsultum facere iussisset, privatus fieri vetuit; atque id, quod nondum potestate poterat, obtinuit auctoritate. Tu quum in III Kalendas Ian. Compitaliorum dies incidissent, Sex. Clodium, qui nunquam antea praetextatus fuisset, ludos facere, et praetextatum volitare passus es, hominem impurum, atque non modo facie, sed etiam oculo tuo dignissimum. Ergo his fundamentis positis consulatus tui, triduo post, inspectante et tacente te, a P. Clodio, fatali portento prodigioque reipublicae, leges Aelia et Fufia eversae, propugnacula murique tranquillitatis atque otii: collegia, non ea solum, quae senatus sustulerat, restituta, sed inumerabilia quaedam nova ex omni fece urbis ac servitio concitata. Ab eodem homine, in stupris inauditis nefariisque versato, vetus illa magistra pudoris et modestiae, severitas censoria, sublata est: quum tu interim, bustum reipublicae, qui te consulem tum Romae dicis fuisse, verbo nunquam significaris sententiam tuam tantis in naufragiis civitatis.

cuius tribuni nomen adhuc non inveni. — *Ergo his fundamentis — collegia non ea solum quae senatus sustulerat restituta* etc.) Diximus L. Pisone et A. Gabinio coss. P. Clodium tribunum pl. quatuor leges perniciosas tulisse. Anonariam, de qua Cicero hoc loco mentionem non facit (fuit enim summe popularis), ut frumentum populo quod antea semissibus aeris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur. Alteram, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de caelo servaret; propter quam rogationem ait legem Fufiam et Aeliam, propugnacula et muros tranquillitatis atque otii, eversam esse; obnuntiatio enim, qua perniciosis legibus resistebatur, quam Aelia lex confirmaverat, erat sublata. Tertiam de collegiis restituendis novisque instituendis; quae ait ex servitiorum faece constituta. Quartam, ne quem censores in senatu legendo praeterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, et utriusque censoris sententia damnatus esset. Hanc ergo eius lege censuram, quae magistra pudoris et modestiae est, sublatam ait.

*Eversae*) Sic legendum esse vidit Pighius. Pluralis enim requiritur. Vulgo *eversa est.*

*Concitata*) Sic Ern. et MSS. et edd. pr. Inde a Manutio a. 1540 editum *constituta.*

V. Nondum, quae feceris, sed quae fieri passus sis, dico. Neque vero multum interest, praesertim in consule, utrum ipse perniciosis legibus, improbis concionibus rempublicam vexet, an alios vexare patiatur. An potest ulla esse excusatio non dicam male sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo reipublicae motu consuli? Centum prope annos legem Aeliam et Fufiam tenueramus; quadringentos iudicium notionemque censoriam: quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo convellere: quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quinto quoque anno iudicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est. [1] Haec sunt, o carnifex! in gremio sepulta consulatus tui. Persequere connexos his funeribus dies. Pro Aurelio tribunali, ne connivente quidem te, quod ipsum esset scelus, sed etiam hilarioribus oculis, quam solitus eras, intuente, delectus servorum habebatur ab eo, qui nihil sibi unquam nec facere, nec pati turpe duxit. Arma in templo Castoris (o proditor templorum omnium!) vidente te, constituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit, te consule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinae militum, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum. Erat non solum domus mea, sed totum Palatium, senatu, equitibus romanis, civitate omni, Italia cuncta, refertum, quum tu non modo ad eum Ciceronem,

Cap. V. *Nec pati turpe duxit*) Profecto intelligitur, P. Clodium significari.

(1) Hunc ordinem omnes editores servarunt. Schutzius novissime suspicatus, haec verba *Quadringentos iudicium notionemque censoriam* casu quodam sede sua exturbata fuisse, ea cum sequentibus *quam potestatem* etc. coniunxit. Vulgata praeferenda, ut quidem sentio. Typ.

*Non nemo improbus*) Vatinium designare videtur.

(mitto enim domestica, quae negari possunt; haec commemoro, quae sunt palam), non modo, inquam, ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogativae, quem in senatu sententiam rogabas tertium, nunquam adspirasti, sed omnibus consiliis, quae ad me opprimendum parabantur, non interfuisti solum, verum etiam crudelissime praefuisti.

VI. Mihi vero ipsi, coram genero meo, propinquo tuo, quae dicere ausus es? Egere, foris esse Gabinium; sine provincia stare non posse; spem habere a tribuno plebis, si tua consilia cum illo coniunxisses; a senatu quidem desperasse; huius te cupiditati obsequi, sicuti ego fecissem in collega meo; nihil esse, quod praesidium consulum implorarem; sibi quemque consulere oportere. Atque haec dicere vix audeo. Vereor, ne qui sit, qui istius insignem nequitiam, frontis involutam integumentis; nondum cernat: dicam tamen. Ipse certe agnoscet, et cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur. Meministine, coenum, quum ad te quinta fere hora cum C. Pisone venissem, nescio quo e gurgustio te prodire, involuto capite, soleatum? et, quum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasses, excusatione te uti valitudinis, quod diceres, vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari? quam nos causam quum accepissemus (quid enim facere poteramus?), paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque

*Cui primam*) Vt ego primus comitiis tuis consularibus in prima centuria primae classis suffragium ferrem. In quo multum benevolentiae erga te meae, multum fidei tribuere visus est. MAN.

*Rogabas*) Consul. ID.

*Nunquam adspirasti*) Nunquam accedere conatus, ut amico iniquissime vexato opera ferres. ID.

*Foris esse*) Hoc interpretantur *in aere alieno esse*. Sed de veritate lectionis dubitat Manutius.

*Coniunxisses*) Ita Hotom. Graev. al. e MSS. Olim *coniurasses*.

fumo: unde tu nos, quum improbissime respondendo, tum turpissime eructando eiecisti.

VII. Idem illo fere biduo productus in concionem ab eo, cui sic aequatum praebebas consulatum tuum, quum esses interrogatus, quid sentires de consulatu meo: gravis auctor, Calatinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, et non Caesoninus semiplacentinus Calventius, respondes, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, crudelitatem tibi non placere. Hic te ille homo, dignissimus tuis laudibus, collaudavit. Crudelitatis tu, furcifer, senatum consul in concione condemnas? non enim me, qui senatui parui. Nam relatio illa salutaris et diligens fuerat consulis; animadversio quidem et iudicium, senatus. Quae quum reprehendis, ostendis, qualis tu, si ita forte accidisset, fueris illo tempore consul futurus. Stipendio, mehercule, et frumento Catilinam esse putasses iuvandum. Quid enim interfuit inter Catilinam, et eum, cui tu senatus auctoritatem, salutem civitatis, totam rempublicam, provinciae praemio vendidisti? Quae enim L. Catilinam conantem consul prohibui, ea P. Clodium facientem consules adiuverunt. Voluit ille senatum interficere; vos sustulistis: leges incendere, vos abrogastis: interire patriam; vos adiuvistis. Quid est, vobis consulibus,

*Productus in concionem ab eo*) Scil. a Clodio tribuno plebis.

*Sic aequatum praebebas consulatum tuum*) Abramius interp. *cui ad vexandam rempublicam totam tui consulatus vim potestatemque tribuebas, ut aequalis tibi in potestate videretur*; ad sensum recte. Sed vitiosum tamen puto *sic aequatum*. Fortasse leg. *succenturiatum*.

*Semiplacentinus*) Propter maternum avum, qui trans alpes in Italiam profectus, Placentiae consedit. Calpurnius autem paterni generis est; Calventius materni. MAX.

*Crudelitatem tibi non placere*) Crudelitatis notam inurebat Ciceroni: cuius consulis iussu, auctore tamen senatu, quinque cives romani, coniurationis principes, in carcere essent interfecti. ID.

*Illo tempore*) scil. Catilinario.

*Adiuvistis*) Non sine causa hoc Ernestio suspectum fuit. Verbo opus

gestum sine armis? Incendere illa coniuratorum manus voluit urbem; vos eius domum, quem propter urbs incensa non est. Ac ne illi quidem, si habuissent vestri similem consulem, de urbis incendio cogitassent. Non enim se tectis privare voluerunt; sed his stantibus nullum domicilium sceleri suo fore putaverunt. Caedem illi civium, vos servitutem expetistis. Hic vos etiam crudeliores. Huic enim populo ita fuerat, ante vos consules, libertas insita, ut emori potius, quam servire praestaret. Illud vero geminum consiliis Catilinae et Lentuli, quod me domo mea expulistis, Cn. Pompeium domum suam compulistis. Neque enim, me stante, et manente in urbis vigilia, neque resistente Cn. Pompeio, omnium gentium victore, unquam se illi rempublicam delere posse duxerunt. A me quidem etiam poenas expetistis, quibus coniuratorum manes mortuorum expiaretis; omne odium, inclusum nefariis sensibus impiorum, in me profudistis. Quorum ego furori nisi cessissem, in Catilinae busto, vobis ducibus, mactatus essem. Quod autem maius iudicium exspectatis, nihil inter vos et Catilinam interfuisse, quam quod eandem illam manum ex intermortuis Catilinae reliquiis concitastis? quod omnes undique perditos collegistis? quod in me carcerem effudistis? quod coniuratos armastis? quod eorum ferro ac furori meum corpus, atque omnium bonorum vitam obiicere voluistis?

VIII. Sed iam redeo ad praeclaram illam concionem tuam. Tu es ille, cui crudelitas displicet? qui quum

est, quod ad patriam non ad Clodium referatur. Si tamen verum est, intelligitur: *vos adussistis Clodium, qui patriam interire voluit.* Sed aptius esset *afflixistis* (*scil.* patriam) vel simile quid.

*Praestaret*) Frustra hoc Ernestio corruptum esse visum est. Plane sic dicitur ut pro Sextio c. 69, *multo mihi praestat in eandem recidere fortunam quam* —

*Qui quum*) *Qui* restituit Ern. ex

senatus luctum ac dolorem suum vestis mutatione declarandum censuisset, quum videres moerere rempublicam amplissimi ordinis luctu, o noster misericors! quid facis? quod nulla in barbaria quisquam tyrannus. Omitto enim illud, consulem edicere, ut senatus senatusconsulto ne obtemperet; quo foedius nec fieri, nec cogitari quidquam potest: ad misericordiam redeo eius, cui nimis videtur senatus in conservanda patria fuisse crudelis. Edicere est ausus cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitiis superare cupiebat, ut senatus, contra quam ipse censuisset, ad vestitum rediret. Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non sineret? Moerorem relinquis, moeroris aufers insignia. Eripis lacrymas, non consolando, sed minando. Quod si vestem non publico consilio patres conscripti, sed privato officio, aut misericordia mutavissent, tamen, id iis non licere per interdicta crudelitatis tuae, potestatis erat non ferendae: quum vero id senatus frequens censuisset, ordines reliqui iam ante fecissent; tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice tonsa, senatum populi romani occasum atque interitum reipublicae lugere vetuisti.

edd. pr. ut Wald. 1480, Iunt. In multis est *cui*.

*Vt senatus senatuscons.*) Palimps. Taur. *ut senatusconsulto ne obtemperetur.*

*Cum illo suo pari*) Gabinio in consulatu collega.

*Id iis non licere*) Palimps. Taur. *id his non licere.*

*Per interdicta crudelitatis tuae, potestatis erat non ferendae*) Palimps. Taur. *per interdicta potestatis tuae, crudelitatis erat non ferendae.* Vulgatam probabiliorem credo; nunquam enim crudelitas est ferenda. Peyr.

*Ordines reliqui*) Palimps. Taur. *et omnes ordines reliqui.*

*Cum illa saltatrice tonsa*) Eundem Gabinium significat, quem alibi *c. saltatorem* appellat. Hic autem *saltatricem*, notans impudicitiam eius et animum effeminatum; *tonsam*, ut virum designet.

IX. At quaerebat etiam paulo ante de me, quid suo mihi opus fuisset auxilio; cur non meis inimicis, meis copiis restitissem. Quasi vero non modo ego, qui multis saepe auxilio fuissem, sed quisquam tam inops fuerit unquam, qui, isto non modo propugnatore, tutiorem se, sed advocato, aut adstipulatore, paratiorem fore putaret. Ego istius pecudis ac putidae carnis consilio scilicet, aut praesidio niti volebam? ab hoc eiecto cadavere quidquam mihi aut opis aut ornamenti expetebam? Consulem ego tum requirebam, consulem, inquam, non illum quidem (quem in hoc maiali invenire non possem), qui tantum reipublicae causam gravitate et consilio suo tueretur, sed qui, tanquam truncus atque stipes, si stetisset modo, posset sustinere tamen titulum consulatus. Quum enim esset omnis causa illa mea consularis et senatoria, auxilio mihi opus fuerat et consulis et senatus: quorum alterum etiam ad perniciem meam erat a vobis consulibus conversum; alterum reipublicae penitus ereptum. Attamen, si consilium exquiris meum, neque ego cessissem, et me ipsa suo complexu patria tenuisset, si mihi cum illo bustuario gladiatore, et tecum,

*At quaerebat*) Palimps. Taur. *atq. arebat*, litera *D* suprascripta literae *R*. Peyronus Vir Cl. coniicit *atque addebat*. Typ.

*Fuissem, sed*) Palimps. Taur. *fuerim sed*.

*Advocato*) Neque orando tueri aliquem Piso potest, neque iuvare praesentia, aut testimonio suo, in iudicio. Ferr.

*Istius pecudis ac putidae carnis*) Gravi tum animi tum corporis vitiorum exprobratione Pisonem insectans, a stoliditate pecudem, a valetudine et forma putidam carnem appellat. Abram.

*Requirebam*) Pal. T. *quaerebam*.

*In hoc Maiali*) Ita probatiores editiones ex Isidoro, consentiente Palimps. Taur. Vulgo *animali*. Typ.

*Consularis, et senatoria*) Mihi enim crimini dabatur, quod consul feceram, ex auctoritate senatus. Ferr.

*Opus fuerat*) Ita vulgo et Palimps. Taur. Schützius, Ernestio auctore, reposuit *erat*. T.

*Bustuario gladiatore*) P. Clodio. *Bustum*, locus dicebatur, ubi mortuorum corpora comburerentur. Hinc *bustuarius gladiator*, qui solitus esset homines interimere; quasi per quem multi cremarentur. Man.

et cum collega tuo decertandum fuisset. Alia enim causa praestantissimi viri, Q. Metelli, fuit; quem ego civem, meo iudicio, cum deorum immortalium laude coniungo; qui C. illi Mario, fortissimo viro, et consuli, et sextum consuli, et eius invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit. Quod mihi igitur certamen esset huiusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero, barbaro Epicureo, cum altero, Catilinae lanternario? neque ego hercule supercilium tuum, neque collegae tui cymbala ac crotala fugi: neque tam fui timidus, ut, qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipublicae navem gubernassem salvamque in portu collocassem, frontis tuae nubeculam, aut collegae tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos; alias prospexi animo procellas; aliis impendentibus tempestatibus non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli. Itaque discessu tum meo omnes illi nefarii gladii de manibus crudelissimis exciderunt: quum quidem tu, o vecors et amens, quum omnes boni abditi inclusique moererent, templa gemerent, tecta ipsa urbis lugerent, complexus es funestum illud animal ex nefariis stupris, ex civili cruore, ex

*Et cum collega tuo*) Palimps. Taur. *et cum Gabinio collega tuo.*

*Catilinae lanternario consule*) Gabinio, comite nocturno Catilinae ad stupra eunti. Hot. Sic etiam Lambin.

*Catilinae lanternario consule? neque ego hercule supercilium*) Egregia lectio Palimpsesti Taur. Vulgo corrupte: *C. laternario? quos neque hercule ego, neque supercilium.* Incommodum esse *quos neque* iam senserat Schützius, et concinnius putabat: *At hercule ego.* Typ.

*Cymbala ac crotala*) Quorum ad concentum saltaret. Cymbala vulgo nota: de crotalis, obscoeni carminis poëta, *Crispum sub crotalo docta movere latus.* Manut. Vide Scaliger. ad Copam.

*Cymbala ac crotala fugi*) Palimps. Taur. *cinbala fugi.*

*Aut collegae tui*) Sic Palimps. Taur. Iam divinando viderat Schützius. Vulgo *tum collegae tui.* T.

*Funestum illud animal*) Ita Palimps.; scil. Clodium. Vulgo *illud funestum animal.* T.

omnium scelerum importunitate, et flagitiorum impunitate concretum, atque eodem in templo, eodem et loci vestigio et temporis, arbitria non mei solum, sed patriae funeris abstulisti.

X. Quid ego illorum dierum epulas, quid laetitiam et gratulationem tuam, quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperantissimas perpotationes praedicem? quis te illis diebus sobrium, quis agentem aliquid, quod esset libero dignum, quis denique in publico vidit? quum collegae tui domus cantu et cymbalis personaret, quumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, quum illum suum saltatorium

*Ex omnium scelerum importunitate et flagitiorum impunitate concretum*) Palimps. Taur. *ex omni scelerum importunitate conceptum.*

*Eodem in templo*) Vbi Clodius de me rogationem ferebat. Man.

*Eodem et loci*) Palimps. *eodem loci.*

*Patriae funeris*) *Arbitria funeris* sunt omnes impensae in funus erogandae, inprimis merces quae datur libitioariis, desigoatoribus, vespillooibus etc.

*Quumque ipse*) Palimps. Taur. *cum quidem ipse.*

*In quo ne tum quidem* etc) Palimps. Taor. *in quo, quum illum saltatorium versaret orbem, ne tum quidem f. r. p.*

*Saltatorium versaret orbem*) Non ut Manut. aliique putabant *quum se in orbem saltando converteret*, sed *quum orbem saltatorium* (τρόχον *qualis erat saltatriculae ap. Xenophontem in Symposio c.* 2) manibus artificiose versaret.

*Quum illum suum saltatorium versaret orbem etc.*) Choream Homerus, Iliad. XVIII, 599 cum rota comparat, quam experitur figulus, an sit bene ad motum expedita. Id facit autem versando nunc dextrorsum, *nunc* sinistrorsum. Ita qui choreis indulgeot, *simul implicitis manibus*, in orbem compositi, *alios, aliosque reflexus inter se repetunt*, ut describit Actius Sanuazarius, *Eclog.* VI, 60. Illam saltantium coronam vocat *saltatorium orbem* Cicero. Vt enim pugna gladiatoria *ea est*, quam gladiatores committunt, sic *orbis saltatorius*, quem cooficiunt saltatores. Versabat *orbem saltatorium* Gabinios, quoniam ducebat choream, uti princeps et choragus. Iam rota, globus, sphaera, saxum rotuodum, pila, eius generis alia, Fortunae simulacro adiuncta, illius designaot instabilitatem. At hanc non melius adumbrat curulis rota, quam figularis. Si rotae curuli Fortuua insidet, per vices assurgit et deprimitur; si figulari, nunc vultum obvertit, nunc tergum. Satis haec esse arbitror explicandae huius loci sententiae. Velim tam facile mihi sit, frigidum, quem continet, iocum excussre. Vide Dialogum *de oratoribus*,

versaret orbem, fortunae rotam pertimescebat. Hic autem non tam concinnus helluo, nec tam musicus, iacebat in suorum Graecorum foetore atque vino. Quod quidem istius, in illis reipublicae luctibus, quasi aliquod Lapitharum aut Centaurorum convivium ferebatur: in quo nemo potest dicere, utrum iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit. Tune etiam mentionem facies consulatus, aut te fuisse Romae consulem dicere audebis? Quid? tu in lictoribus, in toga praetexta esse consulatum putas? quae ornamenta etiam in Sex. Clodio, te consule, esse voluisti. Huius tu Clodiani canis insignibus consulatum declarari putas? Animo consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura; toto denique munere consulatus omni officio tuendo; maximeque, id quod vis nominis praescribit, reipublicae consulendo. Ego consulem esse putem, qui senatum esse in republica non putavit? et sine eo consilio consulem numerem, sine quo Romae ne reges quidem esse potuerunt? Etenim illa iam omitto: quum servorum delectus haberetur in foro; arma in templum Castoris luce et palam comportarentur; id autem templum, sublato aditu, revulsis gradibus, a coniuratorum reliquiis, atque a Catilinae praevaricatore quondam, tum ultore, armis

CAP. X. *Atque a Catilinae* etc.) Catilinam lege repetundarum absolutum sive *de causis corruptae eloquentiae*, cap. 18 et 23. OLIV.

*In suorum Graecorum*) Ita scripsi ex optima Vrsini correctione, confirmata a Taurinensi Palimps. Schützius edidit *in suo et Graecorum*. TYP.

*Tune etiam mentionem facies consulatus, aut te fuisse Romae consulem dicere audebis*) Ita Palimps. Vulgo: *Tu etiam mentionem facies consulatus tui? aut te fuisse* etc.

*In sex. Clodio*) Quum eum magistrum ludorum Compitalibus esse voluisti. MAN. Vide supra, cap. 4.

*Sine eo consilio*) Sine senatu: quod summum consilium vocabatur. GAVT.

*Praevaricatore*) Clodius de repetundis Catilinam accusaverat redeuntem ex Africa, a quo deinde pecuniam accepit, ut turpissime praevaricaretur. FERR.

teneretur; quum equites romani relegarentur, viri boni lapidibus e foro pellerentur, senatui non solum iuvare rempublicam, sed ne lugere quidem liceret; quum civis is, quem hic ordo, assentiente Italia cunctisque gentibus, conservatorem patriae iudicarat, nullo iudicio, nulla lege, nullo more, servitio atque armis pelleretur, non dicam auxilio vestro, quod vere licet dicere, sed certe silentio: tum Romae fuisse consules quisquam existimabit? Qui latrones igitur, si quidem vos consules? qui praedones, qui hostes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur?

XI. Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas consulis: non capiunt angustiae pectoris tui, non recipit levitas ista, non egestas animi; non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam, tam gravem, tam severam. Seplasia mehercle, ut dici audiebam, te, ut primum adspexit, Campanum consulem repudiavit. Audierat Decios, Magios, et de Taurea illo Iubellio aliquid acceperat: in quibus si moderatio illa, quae in nostris solet esse consulibus, non fuit; at fuit pompa, fuit species, fuit incessus saltem Seplasia dignus et Capua. Gabinium denique si vidissent duumvirum vestri illi unguentarii, citius agnovissent. Erant illi compti capilli, et madentes cincinnorum

esse, accusante P. Clodio, iam dictum est. — *Quum equites romani relegarentur*) L. Lamiam a Gabinio consule edicto relegatum esse, iam diximus.

Cap. XI. *Seplasia mehercule* etc.) Dictum est in dissuasione legis agrariae ad populum, plateam esse Capuae, quae *Seplasia* appellatur, in qua unguentarii negotiari sint soliti. Ergo eos quoque, qui in ea platea negotiarentur, dici invitos Pisonem vidisse, quum Capuam consul venit, quod eos, a quibus

*Campanum consulem*) Per irrisionem pro *duumvirum*; qui factus erat L. Piso a Caesare cum Cn. Pompeio, deducta Capuam colonia: de quo et in orat. pro Sextio est c. Ern.

fimbriae, et fluentes cerussataeque buccae, dignae Capua, sed illa vetere. Nam haec quidem, quae nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum civium, mihique amicissimorum multitudine redundat: quorum Capuae te praetextatum nemo adspexit, qui non gemeret desiderio mei; cuius consilio quum universam rempublicam, tum illam ipsam urbem meminerant esse servatam. Me inaurata statua donarant; me patronum unum adsciverant; a me se habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur; me et praesentem contra latrocinium tuum suis decretis legatisque defenderunt, et absentem, principe Cn. Pompeio referente, et de corpore reipublicae tuorum scelerum tela revellente, revocarunt. An tu eras consul, quum in Palatio mea domus ardebat, non casu aliquo, sed ignibus iniectis, instigante te? Ecquod in hac urbe maius unquam incendium fuit, cui non consul subvenerit? At tu illo ipso tempore, apud socrum tuam prope a meis aedibus, cuius domum ad meam exhauriendam patefeceras, sedebas, non exstinctor, sed auctor incendii, et ardentes faces furiis Clodianis paene ipse consul ministrabas. An vero reliquo tempore consulem te quisquam duxit? quisquam tibi paruit? quisquam in curiam venienti assurrexit? quisquam consulenti respondendum putavit? Numerandus est ille annus denique in republica, quum obmutuisset senatus, iudicia conticuissent, moererent boni, vis latrocinii vestri tota urbe

ille expulsus erat, adiuvisset. — *At tu illo ipso tempore* etc.) Post profectionem ex urbe Ciceronis bona eius P. Clodius publicavit. Postea direpta sunt omnia, quae aut in domo, aut in villis fuerunt, et ex eis ad ipsos consules lata complura. Domus direpta primum, deinde inflammata, ac diruta est. Socrus Pisonis quae fuerit, invenire non potui, videlicet, quod auctores rerum non perinde in domibus ac familiis feminarum, nisi illustrium, ac virorum nomina tradiderunt.

volitaret, neque civis unus ex civitate, sed ipsa civitas tuo et Gabinii sceleri furorique cessisset?

XII. At ne tum quidem emersisti, lutulente Caesonine, ex miserrimis naturae tuae sordibus, quum experrecta tandem virtus clarissimi viri, celeriter et verum amicum, et optime meritum civem, et suum pristinum morem requisivit: neque est ille vir passus, in ea republica, quam ipse decorarat atque auxerat, diutius vestrorum scelerum pestem morari: quum tamen ille, qualiscumque est, qui est ab uno te improbitate victus, Gabinius, collegit ipse se, vix, sed collegit tamen, et contra suum Clodium, primum simulate, deinde non libenter, ad extremum tamen pro Cn. Pompeio vere vehementerque pugnavit. Quo quidem in spectaculo mira populi romani aequitas erat. Vter eorum perisset, tanquam lanista, in eiusmodi pari lucrum fieri putabat; immortalem vero quaestum, si uterque cecidisset. Sed ille tamen agebat aliquid: tuebatur auctoritatem summi viri. Erat ipse sceleratus, erat gladiator: cum scelerato tamen, et cum pari gladiatore pugnabat. Tu, scilicet homo religiosus et sanctus, foedus, quod meo sanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluisti. Caverat enim sibi ille sororius adulter, ut, si tibi provinciam, si exer-

Cap. XII. *Experrecta tandem virtus clarissimi viri*) Profecto Cn. Pompeium significari intelligitur.

*Mira populi romani aequitas erat*) Olim legebatur *mira rei publicae aequitas erat*. Correxerunt Faërnus et Lambinus.

*Tumquam lanista*) Vt lanista, qui par gladiatorum e ludo in certamen adducit, qui forte ob scelera et furores ipsi molesti fuerint, lucrum sibi fieri putat, si alterutet in certamine perierit, aut si uterque ceciderit, ita pugnam Gabinii cum Clodio aequo animo spectabat populus romanus, atque uter eorum perisset, lucrum, si uterque cecidisset, immortalem quaestum sibi fieri putabat.

*Cum pari gladiatore pugnabat*) P. Clodio.

citum, si pecuniam ereptam ex reipublicae visceribus dedisset, omnium suorum scelerum socium te adiutoremque praeberes. Itaque in illo tumultu fracti fasces; ictus ipse; quotidie tela, lapides, fugae, deprehensus denique cum ferro ad senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuisse constabat.

XIII. Et quis audivit non modo actionem aliquam, aut relationem, sed vocem omnino, aut querelam tuam? Consulem tum te fuisse putas, cuius in imperio, qui rempublicam, senatus auctoritatem servarat, qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat, is se in publico tuto statuit esse non posse? An tum eratis consules, quum, quacumque de re verbum facere coeperatis, aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamabat, ostendebatque, nihil esse vos acturos, nisi prius de me retulissetis? quum vos, quamquam foedere obstricti tenebamini, tamen cupere vos diceretis, sed lege impediri? Quae lex privatis hominibus non videbatur, inusta per servos,

*In illo tumultu*) In pugna quam cum Gabinio Clodiani commiserant: ictus est enim ipse consul, fractique eius fasces. FERR.

*Deprehensus*) Clodii libertus Damio. *Ascon.* pro Milone. MAN.

*Et quis audivit*) Ecquis vidit te resistentem non dicam potestate consulari, sed vel privato consilio? Actio enim et relatio videtur esse consularis, vox et querela privati officii, ut relatio sit consultatio Senatus, actio ipsius senatusconsulti conclusio. ABR.

*Senatus auctoritatem servarat*) Vulgo additur *idemque in Italia*, quod corruptum esse omnes fatentur; Ernestius uncis inclusit. Lambinus legendum coniiciebat *itemque in Italia*, quo nihil proficitur. Gulielmius emendabat *fidemque in Italia*, probante Grutero. Manut. vero et Lallem. *is neque in Italia*. Sed errabant viri docti qui hic de Cicerone agi putabant. Totus locus pertinet ad Pompeium.

*Foedere obstricti*) Foederis quod meo sanguine iu pactione provinciarum iceratis, religione devincti. ABR.

*Sed lege impediri*) Nempe lege Clodia prohibitum erat, ne quis de Cicerone revocando mentionem neque in senatu neque ad populum faceret. Itaque Gabinius et Piso dicebant se cupere quidem ad Senatum de Cicerone referre, sed lege impediri.

*Inusta per servos*) Hoc displicebat Ernestio, ita ut *iussa* praeferendum putaret. Post *hominibus* vulgo additur *esse lex*, quod auctore Goerenzio ad Acad. I, 49, delevi.

incisa per vim, imposita per latrocinium, sublato senatu, pulsis e foro bonis omnibus, capta republica contra omnes leges, nullo scripta more: hanc qui se metuere dicerent, hos consules, non dicam animi hominum, sed fasti ulli ferre possunt? Nam, si illam legem non putabatis, quae erat contra omnes leges, indemnati civis atque integri capitis bonorumque tribunicia proscriptio; hac tamen obstricti pactione tenebamini: quis vos non modo consules, sed liberos fuisse putet, quorum mens fuerit oppressa praemio, lingua adstricta mercede? Sin illam vos soli legem putabatis: quisquam vos consules tunc fuisse, aut nunc esse consulares putet, qui eius civitatis, in qua in principum numero vultis esse, non leges, non instituta, non mores, non iura noritis? An, quum proficiscebamini paludati in provincias vel emptas, vel ereptas, consules vos quisquam putavit? Itaque, credo, si minus frequentia sua vestrum egressum ornando atque celebrando, at ominibus saltem bonis, ut consules, non tristissimis, ut hostes, aut proditores prosequebantur.

XIV. Tune etiam, immanissimum ac foedissimum monstrum, ausus es meum discessum illum, testem sceleris et crudelitatis tuae, maledicti et contumeliae loco ponere? Quo quidem tempore cepi, Patres conscripti, fructum immortalem vestri in me et amoris et iudicii; qui non admurmuratione, sed voce et clamore, abiecti hominis et semivivi furorem petulantiamque fregistis. Tu luctum senatus, tu desiderium equestris ordinis, tu squalorem Italiae, tu curiae taciturnitatem annuam, tu silentium perpetuum iudiciorum ac fori, tu cetera illa in maledicti loco pones,

*Quisquam putavit?*) Ernestius rectius opinabatur esse *putabat*.

quae meus discessus reipublicae vulnera inflixit? Qui si calamitosissimus fuisset, tamen misericordia dignior, quam contumelia, et cum gloria potius esse coniunctus, quam cum probro putaretur, atque ille, dolor meus dumtaxat, vestrum quidem scelus ac dedecus haberetur. Quum vero (forsitan hoc, quod dicturus sum, mirabile auditu esse videatur, sed certe id dicam, quod sentio), quum tantis a vobis, Patres conscripti, beneficiis affectus sim, tantis honoribus: non modo illam calamitatem esse non duco, sed, si quid mihi potest a republica esse seiunctum, quod vix potest; privatim, ad meum nomen augendum, optandam duco mihi fuisse illam expetendamque fortunam. Atque, ut tuum laetissimum diem cum tristissimo meo conferam, utrum tandem bono viro et sapienti optabilius putas, sic exire a patria, ut omnes sui cives salutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit: an, quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes exsecrarentur, male precarentur, unam tibi illam viam et perpetuam esse vellent? Mihi, medius fidius, in tanto omnium mortalium odio, iusto praesertim et debito, quaevis fuga, quam ulla provincia esset optatior.

XV. Sed perge porro. Nam si illud meum turbulentissimum tempus profectionis, tuo tranquillissimo praestat, quid conferam reliqua, quae in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis? Me Kalendis Ian. qui dies post obitum occasumque vestrum reipublicae

*Quaevis fuga, quam*) Ita Palimps. Taur. omisso pleonasticum *potius*, quod iam Faërnus expungebat, non repertum in MS. antiquo. Peyronus quoque opinatur esse glossema interlineare. Typ.

*Turbulentissimum tempus profectionis*) Abest *profectionis* a Palimpsesto Taur. Glossema ne sapit vox ista? Peyr.

*Post obitum occasumque vestrum*) Ita Palimps. Taur. verius quam *nostrum*. Peyr.

primus illuxit, frequentissimus senatus, concursu Italiae, referente clarissimo atque fortissimo viro, P. Lentulo, consentiente populo romano, atque una voce revocavit. Me idem senatus exteris nationibus, me legatis magistratibusque nostris auctoritate sua, consularibus literis, non, ut tu Insuber dicere ausus es, orbatum patria, sed ut senatus illo ipso tempore appellavit, civem conservatorem reipublicae, commendavit. Ad meam unius hominis salutem senatus auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui rempublicam salvam esse vellent, consulis voce et literis implorandum putavit. Mei capitis servandi causa Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota convenit. De mea salute, P. Lentuli, praestantissimi viri, atque optimi consulis, Cn. Pompeii, clarissimi atque invictissimi civis, ceterorumque principum, celeberrimae et gratissimae conciones fuerunt. De me senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore, et eius sententiae principe, ut, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur: iisque verbis ea de me

*Clarissimo atque fortissimo*) Palimps. Taur. *clarissimo ac fortissimo.*

*Non ut tu Insuber dicere ausus es*) Palimps. Taur. *non ut tu insuper dicere ausus es.*

*Conservatorem*) Palimps. Taur. *servatorem.*

*Ad meam unius hominis salutem*) Addidi *hominis* e Palimpsesto, quod acutissime coniecerat Faërnus. Typ.

*Auxilium omnium civium*) Faërnus post *unius* addere volebat *hominis*; post delere *civium*. Illud probem si servetur *civium*, ut aequalior sit oratio. At ego malim eius aequalitatis causa *civium* deleri; praesertim quum non modo civium ex Italia omni auxilium requisitum esset, sed universae Italiae, etiam sociorum etc. ut alibi tradit Cicero et hic statim post. Ern. At Cicero hic tantum loquitur de comitiis, quibus lex de eo revocando ferebatur, ad quae cives ex tota Italia confluebant. His nemo interesse poterat, nisi qui ius suffragii habebant. Itaque *Italia tota convenit* idem est ac *cives ex tota Italia*. Ergo nihil est h. l. mutandum.

*Servandi causa*) Palimps. Taur. *conservandi causa.*

*Principum celeberrimae*) Palimps. Taur. *principum civitatis celeberrimae.*

*Gratissimae*) Sic MSS. meliores in primis Erf. et edd. pr. pleraeque; aliae nonnullae *gravissimae.*

*Iisque verbis*) Palimps. Taur. *hisque verbis.*

senatus auctoritas declarata est, ut nemini sit triumphus honorificentius, quam mihi salus restitutioque perscripta. De me, quum omnes magistratus promulgassent, praeter unum praetorem, a quo non fuit postulandum, fratrem inimici mei, praeterque duo de lapide emptos tribunos plebis, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegae Q. Metelli sententia: quem mecum eadem respublica, quae in tribunatu eius disiunxerat, in consulatu, virtute optimi ac iustissimi viri, sapientiaque, coniunxit. Quae lex quemadmodum accepta sit, quid me attinet dicere? Ex vobis audio, nemini civi ullam, quo minus adesset, satis iustam excusationem esse visam; nullis comitiis unquam, neque multitudinem hominum tantam, neque splendidiorem fuisse: hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum: et, quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis, vel aetatis excusatione, vel honoris, id in salute mea, nullo rogante, vos vestra sponte fecistis.

XVI. Confer nunc, Epicure noster, ex hara pro-

Cap. XV. *De me quum omnes magistratus pronuntiassent* etc.) P. Clodii App. Claudius, sicut iam saepe significavimus, fuit frater. Duos tribunos, de quibus ipsis saepe iam diximus, quos de lapide emptos ait, quia mercede id faciebant, Sex. Atilium Serranum et Q. Numerium significat (quem irridendi causa Gracchum vocabant. *T.*)

*Fratrem inimici mei*) Appium Claudium.

*De lapide emptos*) Significat, non liberorum modo, sed etiam servorum nequissimos, vilissimos, pecunia corruptos et emptos, non secus ac servos venales, qui de lapide comparabantur. Lapis enim κατ' ἐξοχὴν in foro Romano lapis erat eminens viliorum servorum venalium, in quo stans praeco et mancipium, quod veniebat, manu tenens pronuntiabat, venale esse et quanti, et emptores invitabat. I. F. Gron. lection. Plautin. 184.

*Tribunos plebis legem*) Palimps. T. *tribunos legem.*

*Accepta sit*) Palimps. Taur. *decepta sit.*

*Diribitores*) Ita Vict. P. Maunt. Lamb. etc. Edd. pr. *distributores* scil. e glossa, quod male revocavit Grut.

ducte, non ex schola, confer, si audes, absentiam tuam cum mea. Obtinuisti provinciam consularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pepigerat. Nam, lege Caesaris iustissima atque optima, populi liberi, plane et vere erant liberi: lege autem ea, quam nemo legem praeter te et collegam tuum, putavit, omnis erat tibi Achaia, Thessalia, Athenae, cuncta Graecia addicta. Habebas exercitum tantum, quantum tibi non senatus aut populus romanus dederat, sed quantum tua libido conscripserat; aerarium exhauseras. Quas res gessisti in imperio, exercitu, provincia consulari? Quas res gesserit, quaero [qui, ut venit, statim]. Nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces sociorum, non caedem hospitum, non perfidiam, non immanitatem, non scelera praedico: mox, si videbitur, ut cum fure, ut cum sacrilego, ut cum sicario, disputabo: nunc meam spoliatam fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris. Quis unquam provinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad senatum literas miserit? tantam vero provinciam cum tanto exercitu, Macedoniam praesertim, quae tantis barbarorum gentibus attingitur, ut semper Macedonicis imperatoribus iidem fines provinciae fuerint, qui gladiorum atque pilorum; ex qua aliquot praetorio imperio, consulari

*Iustissima atque optima*) Lege Iulia de provinciis ordinandis

*Qui, ut venit, statim*) Post haec verba plerisque lacuna esse videtur. Nam Graevii ratio qui hic ἀνανταπόδοτον statuebat, durior est, quam ut admitti possit. Equidem illa verba quae uncis inclusi vel temere hic inculcata esse opinor; vel saltem transponenda post verba *fortuna imperatoris*, ita ut deinde ante verba *Quis unquam* lacunae signa ponantur. Nam illa verba *nondum commemoro — imperatoris*, optime cohaerent cum verbis *quas res gesserit quaero.*

*Nondum commemoro rapinas*) incipit id facere c. 34. Ern.

*Praetorio imperio*) Scil. triumphantis redierunt, ut T. Didius, Macedoniae propraetor qui A. V. 640, e

quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit, qui non triumpharit.

XVII. Est hoc novum; multo illud magis: appellatus est hic vulturius illius provinciae (si diis placet) imperator. Ne tum quidem, Paulle noster, tabulas Romam cum laurea mittere audebas? Misi, inquit. Quis unquam recitavit? quis, ut recitarentur, postulavit? Nihil enim mea refert, utrum tu, conscientia oppressus scelerum tuorum, nihil unquam ausus sis scribere ad eum ordinem, quem despexeras, quem afflixeras, quem deleveras, an amici tui tabulas abdiderint, iidemque silentio suo temeritatem atque audaciam tuam condemnarint. Atque haud scio, an malim te videri nullo pudore fuisse in literis mittendis, [1] amicos tuos plus habuisse et pudoris et consilii, quam aut te videri pudentiorem fuisse, quam soles,

**Cap. XVII.** *Appellatus est hic vulturius illius provinciae* etc.) Confido vos intelligere, L. Paullum hunc significari, qui fuit pater naturalis Africani posterioris, quique de Macedonia, atque ultimo eius de rege triumphavit. Macedoniam autem Piso, in quem haec oratio est, obtinuit, propter quod Paullum eum appellat, irridens eum, quod ibi se non prospere gessit.

provincia redux de Scordiscis triumphavit. Ernestius suspicabatur post imperio excidisse *triumpharunt*.

*Qui incolumis fuerit*) Recte Graevius intpr. qui ex Macedonia salva et integra existimatione redierunt.

*Qui non triumpharit*) Infra tamen ipse L. Torquatum consularem nominat, qui ex Macedonia, quamvis imperator appellatus, tamen non triumphavit. An igitur hic scripsit *nemo fere rediit*?

*Si diis placet*) His verbis antiqui, rei, de qua loquebantur, indignitatem exprimebant. Livius libro 38, in oratione Manlii: *Ex decem legatis, si diis placet, quod concilium dispensandae, cohonestandaeque victoriae, Imperatoribus maiores dederunt nostri*, *adversarios habeo.* Libro IV, in oratione Canuleii: *Quin etiam, si diis placet, nefas esse aiunt consulem plebeium fieri.* Abr.

*Paulle noster*) Acerba irrisione Paullum appellat, velut compararet cum Aemilio Paullo, qui Macedoniam superavit. Ern.

*Tabulas — cum laurea*) Literas lauro mittebant involutas ad indicium victoriae, ut ex sexcentis locis compertum est. Hanc porro lauream in gremio Iovis Capitolini collocabant. Vide Plinium lib. XV Historiae naturalis cap. 30; et Plinium in Panegyrico cap. 8. Abr.

(1) Vulgo *an amicos*, Graev. et *amicos*.

*Pudentiorem*) In literis non mit-

aut tuum factum non esse condemnatum iudicio amicorum. Quod si non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis in perpetuum tibi curiam praeclusisses: quid tandem erat actum, aut gestum in illa provincia, de quo ad senatum cum gratulatione aliqua scribi abs te oporteret? vexatio Macedoniae? an oppidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Thessalonicae? an obsessio militaris viae? an exercitus nostri interitus, ferro, fame, frigore, pestilentia? Tu vero, qui ad senatum nihil scripseris, ut in urbe nequior inventus es, quam Gabinius, sic in provincia paulo tamen, quam ille, demissior. Nam ille gurges atque helluo, natus abdomini suo, non laudi atque gloriae, quum equites romanos in provincia, quum publicanos, nobiscum et voluntate et dignitate coniunctos, omnes fortunis, multos fama vitaque privasset, quum egisset aliud nihil in illo exercitu, nisi ut urbes depopularetur, agros vastaret, exhauriret domos, ausus est (quid enim ille non auderet?) a senatu supplicationem per literas postulare.

XVIII. O dii immortales! tune etiam, atque adeo vos, geminae voragines scopulique reipublicae, vos meam fortunam deprimitis? vestram extollitis? quum

tendis. Duas partes habet haec sententia, priorem de missis a Pisone literis ad senatum, sed abditis consilio amicorum; posteriorem, de non missis, nec abditis. Prior habet Pisonis impudentiam amicorum silentio condemnatam: posterior Pisonis conscientiam notat, qui quum sciret a se consule senatus auctoritatem prorsus esse contemptam, scribere ad eum de re gesta, et supplicationis honorem postulare merito non auderet: quod eius factum amici non condemnarunt, nullis ab eo ad senatum literis acceptis. *Vtrum*, inquit, *malim nescio.* Si literas misisti, impudentiam ostendisti; si non misisti, male te de senatu meritum esse confiteris. MAN.

*An munitio Thessalonicae?*) *Arcis Thessalonicensis, quod incolae urbi non confiderent, in eamque se recipere necesse esset.* Vid. cap. 34. Idem dixit in Or. de prov. cons. c. 2. Hotomannus *arcis* verbum deesse putabat. Potest intelligi munitio quae Thessalonicae facta est. ERN.

de me ea senatusconsulta absente facta sint, eae conciones habitae, his motus fuerit municipiorum et coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea denique generum ordinumque omnium, quae ego non modo optare nunquam auderem, sed cogitare non possem? vos autem sempiternas foedissimae turpitudinis notas subieritis? An ego, si te et Gabinium cruci suffixos viderem, maiore afficerer laetitia ex corporis vestri laceratione, quam afficior ex famae? Nullum est supplicium putandum, quo affici casu aliquo etiam boni viri fortesque possunt. Atque hoc quidem etiam isti tui dicunt voluptarii, Graeci: quos utinam ita audires, ut erant audiendi! nunquam te in tot flagitia ingurgitasses. Verum audis in praesepibus; audis in stupris; audis in cibo et vino. Sed dicunt isti ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, sapientem, etiamsi in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur, dicturum tamen, suave illud esse, seque ne tantulum quidem commoveri. Tantam virtutis esse vim voluerunt, ut non posset unquam esse vir bonus non beatus.

XIX. Quae est igitur poena? quod supplicium? Id mea sententia, quod accidere nemini potest, nisi nocenti, suscepta fraus, impedita et oppressa mens conscientia, bonorum omnium odium, nota iusta senatus, amissio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienses, resectis palpebris, illigatum in ma-

*Afficior ex famae*) Hoc in libro antiquo Faërni repertum receperunt Manut. Lamb. Graev. Ern. Olim *afficiar infamia.*

*In praesepibus*) Hotomannus aliquando suspicatus legendum *paropsidibus*, postea vidit nihil mutandum esse. *Praesepia* enim, inquit Nonius, *omnia loca clausa et recondita.* Itaque hic intelliguntur lustra et popinae.

*Nota iusta senatus*) Sic cod. antiquus Faërni, idque probaverunt Graev. Ern. Lambinus recepit Faërni coniecturam *nota inusta a senatu.* Vulgo autem edebatur *nota iusti Senatus.*

china, vigilando necaverunt, supplicio videtur affectus; nec C. Marius, quem Italia servata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus, Africa devicta ab eodem, expulsum et naufragum vidit. Fortunae enim ista tela sunt, non culpae; supplicium autem est poena peccati. Neque vero ego, si unquam vobis mala precarer, quod saepe feci (in quo dii immortales meus preces audiverunt), morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. Thyestea ista exsecratio est, poëtae, vulgi animos, non sapientum, moventis:

*Vt tu naufragio expulsus uspiam saxis fixus asperis,*
*Evisceratus latere penderes, saxa spargens tabo,*
*Sanie, sanguine atro........*

Non ferrem omnino moleste, si ita accidisset; sed id tamen esset humanum. M. Marcellus, qui ter consul fuit, summa virtute, pietate, gloria militari, periit in mari; qui tamen ob virtutem gloria et laude vivit. In fortuna quadam est illa mors, non in poena, putanda. Quae est igitur poena? quod supplicium? quae saxa?

Cap. XIX. *M. Marcellus, qui ter consul fuit*) Fortasse quaeratis, quem dicat Marcellum. Fuit autem nepos Marcelli eius, qui bello Punico secundo Syracusas vicit, et quinque consulatus adeptus est. Hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit paulo ante coeptum bellum Punicum tertium. Idem, quum statuas sibi ac patri, itemque avo poneret, in monumentis avi sui, ad Honoris et Virtutis aedem subscripsit *III Marcelli novies coss.* Fuerat autem avus quinquies, pater semel, ipse ter. Itaque neque mentitus et apud imperitiores patris sui splendorem auxit.

*Thyestea*) Thyestis contra Atreum fratrem. Max.

*Poëtae*) Ennii, in tragoedia Thyeste. Plenius hi versiculi laudantur Tusc. I, 44.

*Latere penderes*) Vulgo hic inculcatur *ut ait ille*, quae verba hic prorsus superflua delevi. Nam antea iam dictum erat *Thyestea ista exsecratio est poëtae* etc. Ceterum *penderes* scripsit Cicero, pro Enniano *pendens*, ut ad Pisonem accommodaret.

*Gloria et laude*) Ita codd. dum apud Garaton. in Planc. Supra cap. 17, *natus laudi atque gloriae.* Vulgo *gloriae laude.* Vid. pro Plancio cap. 36. Typ.

quae cruces? Ecce, duo duces in provinciis populi romani habere exercitus, appellari imperatores; horum alterum sic fuisse infirmatum conscientia scelerum et fraudum suarum, ut ex ea provincia, quae fuerit ex omnibus una maxime triumphalis, nullas sit ad senatum literas mittere ausus. Ex qua provincia modo vir omni dignitate ornatissimus, L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente, ab senatu imperator est appellatus: unde his paucis annis Cn. Dolabellae, C. Curionis, M. Luculli iustissimos triumphos vidimus, ex ea, te imperatore, nuntius ad senatum allatus est nullus. Ab altero allatae literae, recitatae, relatum ad senatum. Dii immortales! idne ego optarem, ut inimicus meus, ea, qua nemo unquam, ignominia notaretur? ut senatus is, qui in eam iam benignitatis consuetudinem venit, ut eos, qui bene rempublicam gesserint, novis honoribus afficiat, et numero dierum, et genere verborum; huius unius literis nuntiantibus non crederet? postulantibus denegaret?

XX. His ego rebus pascor, his delector, his per-

*Me referente*) Me consule referente A. V. 690.

*Ab senatu*) Vere sic correxit Manutius, probante Graevio. At recepit Ern. Vulgo *absens imperator est appellatus*.

*Cn. Dolabellae*) Qui cos. fuit A. V. 672, anno sequente Macedoniam obtinuit, ex qua A. V. 674 triumphavit.

*C. Curionis*) C. Scribonius Curio cos. A. V. 677, Macedoniam provinciam sortitus, ex ea rediens A. V. 682, de Dardanis triumphavit.

*M. Luculli*) M. Terentius Varro Lucullus (L. Luculli frater in Terentiorum familiam adoptatus) cos. fuit A. 680, deinde Macedoniae procos. de Dardanis triumphavit.

*Ab altero*) Gabinio Syriae proconsule.

*Idne ego optarem.*) Ernestius hoc verum esse posse negabat; quia in sequentibus clare dicat, haec se semper optasse. At enim verba *his ego rebus pascor*, non ad antecedentia, sed ad ea quae sequuntur pertinent: *quod de vobis — quod vos equites Romani — quod nemo bonus* — Illa autem *ignominia* est in iis, de quibus paulo post ait: *Plura etiam acciderunt quam vellem.* Itaque frustra Ernestius corrigendum opinabatur: *quidni ego optarem.*

*Postulantibus denegaret?* scil. *supplicationem.*

fruor: quod de vobis hic ordo opinatur non secus, ac de teterrimis hostibus; quod vos equites romani, quod ceteri ordines, quod cuncta civitas odit; quod nemo bonus, nemo denique civis est, qui modo se civem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa consulatus vestri perhorrescat. Haec ego semper de vobis expetivi, haec optavi, haec precatus sum. Plura etiam acciderunt, quam vellem. Nam, ut amitteretis exercitum, nunquam mehercule optavi. Illud etiam accidit praeter optatum meum, sed valde ex voluntate. Mihi enim non venerat in mentem, furorem et insaniam optare vobis, in quam incidistis. Atqui fuit optandum. Me tamen fugerat, deorum immortalium has esse in impios et consceleratos poenas certissimas constitutas. Nolite enim putare, Patres conscripti, ut in scena videtis, homines consceleratos impulsu deorum terreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hae sunt impiorum furiae, hae flammae, hae faces. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste aut Athamante dementiorem putem, qui sis ausus primum facere (nam id est caput);

*Me tamen fugerat*) Ernestius quaerit, quomodo dici possit hoc eum fugisse, qui idem iam dixisset in orat. pro Roscio Amerino c. 24. At *me fugerat* h. l. nihil aliud est, quam *mihi non venerat in mentem*. Sic ad Att. VII, 17, *fugerat me rescribere*. Vt autem inserta negandi particula scribatur: *tamen me non fugerat*, quod Ernestio in mentem venit, propterea fieri non potest, quod praecedit: *Atqui fuit optandum*.

*Oreste*) Clytemnestra Agamemnonem e Troiae excidio redeuntem adulterii cum Aegistho perpetrati conscia occiderat. Eam patris ulciscendi causa filius Orestes interemit; matris interemptae umbram identidem ob ora se filii obtrusisse, et parricidam serpentibus et taedis ardentibus vexasse fabulantur. Aeneid. IV, 471. Ann.

*Athamante*) Aeoli filio, Thebarum rege, in eum furorem Iunonis ira compulso, ut filios occideret. Exstat apud Ovidium fabula. Met. lib. IV. Max.

deinde paulo ante, Torquato, gravissimo et sanctissimo viro, premente, confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine ullo milite reliquisse? Mitto de amissa maxima parte exercitus. Sit hoc infelicitatis tuae. Dimittendi vero exercitus quam potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod senatusconsultum? quod ius? quod exemplum? Quid est aliud furere, nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges, non senatum, non civitatem? Cruentare corpus suum, leve est. Maior haec est vitae, famae, salutis suae vulneratio. Si familiam tuam dimisisses, quod ad neminem, nisi ad ipsum te, pertineret, amici te tui constringendum putarent. Praesidium tu populi romani, custodiam provinciae, iniussu populi senatusque dimisisses, si tuae mentis compos fuisses?

XXI. Ecce tibi alter, effusa iam maxima praeda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris urbibusque sociorum exhauserat, quum partim eius praedae profundae libidines devorassent, partim nova quaedam et inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, ubi

*Nisi non cognoscere homines*) *Nisi non* recte defendit Ern. quum particulam *nisi* Lambinus, Gruterus, Graevius delevissent. Est enim forma verborum similis huic Verr. III, 30: *quid est aliud capere et conciliare pecunias* — si hoc non est, *vi atque imperio cogere* — *pecuniam dare*. Item Cat. Mai. c. 2: *quid est aliud cum diis* — *bellare*, nisi *naturae repugnare?*

*Leve est*) Hoc addidit Faërnus, probante Lambino. Et sane hoc ad sententiae integritatem requiritur, vel simile aliquid, ut *levior insania est.* Vulgo *cruentare corpus suum?* editur, cum interrogandi signo.

*Amici te tui constringendum putarent*) Scil. ut furiosum. Palimps. T. omittit *tui*. T.

*Iniussu populi senatusque*) Palimps. Taur. *iniussu P. R. senatusque*. Scil. *populi romani*.

*Ecce tibi alter*) Insurgit nunc in Gabinium.

*Ex agris*) Pal. T. *quam ex agris*.

*In illis locis, ubi omnia diripuit*) Puto deesse negationem, ut sit, *ubi non omnia diripuit*, alioqui quorsum vox *emptiones* pertineret? Hot. Hic locus obscurus est. Enumerat rationes, quibus praeda illa fuerit dissipata. Prima ratio est libido; 2. luxuries; 3. emptiones, quia licet omnia diriperet, tamen ut latrocinia sua te-

omnia diripuit, emptiones, partim permutationes ad hunc Tusculanum in monte montem exstruendum; quum iam egeret, quum illa eius immensa et intolerabilis aedificatio constitisset; se ipsum, fasces suos, exercitum populi romani, numen interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus, iussa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Aegyptio vendidit. Quum fines provinciae tantos haberet, quantos voluerat, quantos optaverat, quantos mei capitis pretio periculoque emerat: his se tenere non potuit; exercitum eduxit ex Syria. Qui licuit extra provinciam? Praebuit se mercenarium comitem regi Alexandrino. Quid hoc turpius? In Aegyptum venit; signa contulit cum Alexandrinis. Quando hoc bellum, aut hic ordo, aut populus susceperat? Cepit Alexandriam. Quid aliud exspectamus a furore eius, nisi ut ad senatum tantis de rebus gestis literas mittat? Hic si mentis esset suae, nisi poenas patriae diisque immortalibus eas, quae gravissimae sunt, furore

geret, saepe statuas, columnas, tabulas etc. immani pretio comparabat. Abr. MS. *ubi omnes diripuit.*

*Partim permutationes*) Desunt haec verba in Palimpsesto.

*Hunc Tusculanum in monte montem extruendum*) Vulgo *ad hunc Tusculanum montem exstruendum.* Sed praetuli lectionem in codd. Manut. et Pith. obviam ut significetur *Gabinium in editiore colle, quem vocat montem, suam villam quasi alterum montem exstruxisse.* Hanc lectionem a Manutio probatam, confirmat cod. Erf. in quo est *in montem montem.* (Pal. Taur. *ad hunc Tusculani montem.*)

*Quum illa eius immensa et intolerabilis aedificatio*) Palimps. T. *intermissa et intolerabilis aedif.*

*Aedificatio constitisset*) Id est haesisset, nec propter nimios sumptus potuisset absolvi. Abr.

*Regi Aegyptio vendid.*) Scil. Ptolemaeum Auletem Aegypti regem regno expulsum Gabinius Syriae proconsul mercede decem millium talentorum restituit.

*Deorum immortalium*) Quia Sibyllina carmina regem cum exercitu reducere vetare dicebantur, quod Cicero vocat *religionis calumniam* Fam. I, 1.

*Iussa populi*) Palimps. Taur. *iussa P. R.*

*Praebuit se*) Ita Palimps. Taur. quod praetulit Lambinus, probante Graevio. Vulgo *tribuit se;* et ita Schützius. Typ.

atque insania penderet: ausus esset (mitto exire de provincia) educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum iniussu populi aut senatus accedere? quae quum plurimae leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis, Iulia de pecuniis repetundis, planissime vetant. Sed haec omitto. Ille, si non acerrime fureret, auderet, quam provinciam P. Lentulus amicissimus huic ordini, quum et auctoritate senatus, et sorte haberet, interposita religione, sine ulla dubitatione deposuisset, eam sibi adsciscere, quum, etiam si religio non impediret, mos maiorum tamen, et exempla, et gravissimae legum poenae vetarent?

XXII. Sed, quoniam fortunarum contentionem facere cepimus, de reditu Gabinii omittamus: quem etsi sibi ipse praecidit, ego tamen, os ut videam hominis, exspecto. Tuum, si placet, reditum cum meo conferamus. Ac meus quidem is fuit, ut a Brundisio usque Romam agmen perpetuum totius Italiae viderem. Neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque praefectura, aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum. Quid dicam adventus meos? quid effusiones hominum ex oppidis? quid concursum ex agris patrum familias cum coniugibus ac liberis? quid eos dies, qui, quasi deorum immortalium festi atque solemnes, sunt apud omnes adventu meo redituque celebrati? Vnus ille dies mihi quidem im-

*Iniussu populi aut senatus*) Palimps. Taur. *iniussu P. R. aut s.*

*Cornelia maiestatis*) Palimps. T. *maiestatis Cornelia.*

*Planissime*) *Plenissime* edd. Waldarf. Iunt. Sed *planissime* est i. q. disertis vobis.

*Quam provinciam*) Scil. reductionem Ptolemaei regis.

*Sibi ipse praecidit*) Effecit ipse suis sceleribus, ne redire possit. MAN. Veritus poenas legum *maiestatis* et *de pecuniis repetundis*. HOT.

*Os ut videam hominis*) Impudentiam eius, qui redire audeat. MAN.

*Apud omnes*) Hoc a Manut. Lamb. Graev. insertum, auctoritate MSS. Erf. Franc. a Grutero et Ern. omissum revocavi.

mortalitatis instar fuit, quo in patriam redii, quum senatum egressum vidi, populumque romanum universum, quum mihi ipsa Roma prope convulsa sedibus suis, ad complectendum conservatorem suum procedere visa est. Quae me ita accepit, ut non modo omnium generum, aetatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunae ac loci, sed etiam moenia ipsa viderentur et tecta urbis ac templa laetari. Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, pontifices, consules, patres conscripti collocarunt, mihique, quod ante me nemini, pecunia publica aedificandam domum censuerunt.

XXIII. Habes reditum meum. Confer nunc vicissim tuum, quandoquidem, amisso exercitu, nihil inco-

Cap. XXII. *Me consequentibus diebus* etc.) Haec Cicero oratorio more, non historico, videtur posuisse. Nam multis aetatibus ante Ciceronem nulli id contigisse verum est. Nemini vero unquam antea, videamus, ne parum caute dicamus. Antiquis enim temporibus, pluribus idem contigit. Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores, domus quoque publice aedificata est in Palatio; cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est, extra privatum aperiretur. Varronem autem tradere M. Valerio, quia saepius vicerat, aedes in Palatio tributas, L. Hyginius dicit in libro primo de viris claris; P. Valerio, Volesi filio, Publicolae, aedes publicas sub Velia, ubi nunc aedes Victoriae est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse tradunt, et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam; inter quos Atticus in annalibus, quae postea dicitur Lucilii poëtae fuisse. Varro quoque in libro III de vita populi Romani, quo loco refert, quam gratus fuerit erga bene meritos, dicit, Mutini, quod in Sicilia cum equitatu suo transierat ad nos, civitatem Romae datam aedesque et pecuniam ex aerario. Videamus tamen, num ideo Cicero dicat, sibi, quod antea nulli, domum pecunia publica ex aerario aedificatam, quia illis aut locus publice datus sit, aut domus, quae non fuerat eorum, neque propter illos publico sumptu aedificata; Ciceroni domus, quae fuerat ipsius, et diruta atque incensa erat et consecrata, publico sumptu aedificata sit, quod novum et huic primo, et adhuc etiam soli contigit.

*Procedere*) Faërno placebat *progredi*, ut vitaretur clausula hexametri. Nec abnuit Ern.

*Collocarunt*) Sic Ascon. Vulgo *collocaverunt*.

*Aedificandam domum*) *Domum* melius abfuerit, Ernestio iudice, cui facile assentior.

lume domum, praeter os illud pristinum tuum retulisti: qui primum, qua veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis scit? quos tum Maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae diverticula flexionesque quaesisti? quod te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hospes adspexit? Nonne tibi nox erat pro die? non solitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non ut redire ex Macedonia nobilis imperator, sed ut mortuus infamis referri videretur? Romam vero ipsam foedavit adventus tuus. O familiae, non non dicam Calpurniae, sed Calventiae; neque huius urbis, sed Placentini municipii; neque paterni generis, sed braccatae cognationis dedecus! quemadmodum venisti? quis tibi non dicam horum, aut civium ceterorum, sed tuorum legatorum obviam venit? Mecum enim L. Flaccus, vir tua legatione indignissimus, atque iis consiliis, quibus mecum in consulatu meo coniunctus fuit ad conservandam rempublicam, dignior, mecum fuit tum, quum te quidam non longe a porta cum lictoribus errantem visum esse narrabat. Scio item virum fortem in primis, belli ac rei militaris peritum, familiarem meum, Q. Marcium, quorum tu legatorum proelio imperator appellatus eras, quum non longe afuisses, adventu isto tuo domi fuisse otiosum. Sed quid ego enumero, qui tibi obviam non venerint? Dico venisse paene neminem, ne de officio-

*Braccatae*) Sic dicta est Gallia, quod braccis uteretur, quas nos *Brayes* appellamus. Germani *Brach* vel *Broch*. Gallorum autem nomine Germanos plerumque veteres comprehendebant. Hot.

*Narrabat*) Faërno ex antiquo libro affert *narraret*. Hoc dicit Ern. postulante latinitate a se receptum. At in significatione temporis particula *quum* aeque bene cum indicativo construitur.

*Quorum tu legatorum — appellatus eras*) Vrsinus testatur in libro Vaticano legi: *quorum tu legatorum opera in proelio imperator appellatus eras*. Non male.

*Afuisses*) Ernestius putabat legendum esse *abesses*. Sed plusquamperfectum mutare, nihil opus est.

*Dico*) Vulgo *qui dico*. Sed pronomen recte delevit Ern.

sissima quidem natione candidatorum, quum vulgo essent, et illo ipso, et multis ante diebus, admoniti et rogati. Togulae lictoribus ad portam praesto fuerunt: quibus illi acceptis, sagula reiecerunt, et catervam imperatori suo novam praebuerunt. Sic iste, tanto exercitu, tanta provincia, triennio post, Macedonicus imperator, in urbem se intulit, ut nullius negotiatoris obscurissimi reditus unquam fuerit desertior. In quo me tamen, qui esset paratus ad se defendendum, reprehendit. Quum ego Caelimontana porta introisse dixissem, sponsione me, ni Esquilina introisset, homo promptissimus lacessivit: quasi vero id aut ego scire debuerim, aut vestrum quisquam, [1] aut quidquam ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali: quae porta Macedonicis semper proconsulibus ante te patuit. Tu inventus es, qui consulari imperio praeditus ex Macedonia non triumphares.

XXIV. At audistis, Patres conscripti, philosophi vocem. Negavit, se triumphi cupidum unquam fuisse. O scelus, o pestis, o labes! Quum exstinguebas senatum, vendebas auctoritatem huius ordinis, addicebas tribuno plebis consulatum tuum, rempublicam evertebas, prodebas caput et salutem meam una mercede provinciae: si triumphum non cupiebas, cuius tandem rei te cupiditate arsisse defendes? Saepe enim vidi, qui et mihi et ceteris cupidiores provinciae

(1) *Aut vestrum quisquam*) *Audierit* auctoribus Faërno et Lambino delevi. Gruterus et Ern. dederunt *aut vestrum quispiam audierit*. Sed melius ex antecedentibus intelligitur *scire debuerit*.

*Triumphali*) locatur in ambiguo. Nam triumphalis porta Romae erat, qua proconsules Macedonici triumphantes introibant, unde nomen: et eam, qua introivit Piso, ideo negat esse triumphalem, quia consulari praeditus imperio ex Macedonia non triumphavit. MAN.

*Et salutem meam una*) *Una*, quod aberat uno cod. Faerni, est in plerisque MSS. nec opus est quod illi et Ernestio placuit deleri.

viderentur, triumphi nomine tegere atque velare cupiditatem suam. Hoc modo D. Silanus consul in hoc ordine, hoc meus etiam collega dicebat. Neque enim quisquam potest exercitum cupere, aperteque petere, ut non praetexat cupiditatem triumphi. Quod si te senatus populusque romanus aut non appetentem, aut etiam recusantem, bellum suscipere, exercitum ducere coëgisset: tamen erat angusti animi atque demissi, iusti triumphi honorem atque dignitatem contemnere. Nam, ut levitatis est, inanem aucupari rumorem, *ut*, omnes umbras etiam falsae gloriae consectari: sic levis est animi, lucem splendoremque fugientis, iustam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus, repudiare. Quum vero non modo non postulante atque cogente, sed invito atque oppresso senatu, non modo nullo populi romani studio, sed nullo ferente suffragium libero, provincia tibi ista manupretium fuerit eversae per te, et perditae civitatis; quumque omnium tuorum scelerum haec pactio exstiterit, ut, si tu totam rempublicam nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, redderetur; quum exhauriebas aerarium; quum orbabas Italiam iuventute; quum mare vastissimum hieme transibas: si triumphum contemnebas, quae te, praedo amentissime, nisi praedae ac rapinarum cupiditas tam caeca rapiebat? Non est integrum Cn. Pompeio, consilio iam uti tuo; erravit enim. Non gustarat istam tuam philosophiam. Ter iam homo stultus triumphavit. Crasse, pudet me tui! Quid est, quod, confecto per te

*Velare*) MS. Faërn. *celare*.

*Ut*) Ita recentiores, tacite. Alii *et*.

*Eversae per te, et perditae civitatis*) Sequutus sum Faërni emendationem iam Ernestio probatam. Vulgo *non eversae per te sed perditae civitatis*. At inter *evertere* et *perdere* nihil interest. Turnebus malebat, *non eversae per te, sed proditae*; sed hoc non melius est vulgato.

formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a senatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum, prius quam in istum errorem induceremini? C. Pomptinio, necessario meo, iam non est integrum; religionibus enim susceptis impeditur. O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! o amentem Paullum! rusticum Marium! nullius consilii patres horum amborum consulum, qui triumpharunt!

XXV. Sed, quoniam praeterita mutare non possumus, quid cessat hic homullus, ex argilla et luto fictus Epicurus, dare haec praeclara praecepta sapientiae clarissimo et summo imperatori, genero suo? Fertur ille vir, mihi crede, gloria; flagrat, ardet cupiditate iusti et magni triumphi. Non didicit eadem ista, quae tu. Mitte ad eum libellum. Sed iam si ipse coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas atque restinguas.

Cap. XXIV. *Nullius consilii patres horum consulum, qui triumpharunt*) Diximus hanc orationem esse dictam Cn. Pompeio Magno II, M. Crasso II coss. Pompeii pater bello Italico de Picentibus, M. Crassi pater P. Crassus ante bellum Italicum de Hispanis triumphavit.

*C. Pomptinio*) Vulgo *C. ipsi Pomptinio.* Sed *ipsi* h. l. alienum esse vidit Ern. Neque, quod illi in mentem venit reponere, placet *isti.*

*Religionibus enim susceptis*) Vel quod toto illo tempore, ut auctor est Dio, remansisset extra pomoerium, vel quod Senatum iam in aedem Bellonae convocarat, vel fortasse quod iuraverat, se sine triumpho in urbem non esse rediturum, vel quod iam preces quasdam et vota conceperat. Abr.

*Qui triumpharunt!*) Pompeii pater Strabo de Picentibus, Crassi pater de Lusitanis triumphaverat.

*Praeclara praecepta*) In MSS. aliquot inventum *paratae clare.* Unde Graevius coniiciebat versus hic trimetros alicuius poëtae latere, ita quidem distinguendos — *quid cessat hic homullus ex Argilla et luto fictus Epicurus, dare haec Parat. e clara praecepta sapientiae.*

*Genero suo?*) C. Iulio Caesari.

Valebis apud hominem volitantem gloriae cupiditate, vir moderatus et constans; apud indoctum, eruditus; apud generum, socer. Dices enim, ut es homo facetus, ad persuadendum concinnus, perfectus, politus e schola: «Quid est, Caesar, quod te supplicationes toties decretae, tot dierum, tantopere delectent? in quibus homines errore ducuntur; quas dii negligunt; qui, ut noster ille divinus dixit Epicurus, neque propitii cuiquam esse solent, neque irati.» Non facies fidem scilicet, quum haec disputabis. Tibi enim et esse et fuisse deos videbit iratos. Vertes te ad alteram scholam; disseres de triumpho: «Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis, et tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta paene puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle. Quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, nihil quod referre ad voluptatem corporis possit. Quin tu me vides, qui, ex qua provincia T. Flamininus, L. Paullus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alii, levi cupiditate commoti, triumpharunt, ex ea sic redii, ut ad portam Esquilinam, Macedonicam lauream conculcarim; ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Caelimontanam sitiens pervenerim: quo in loco mihi libertus, praeclaro imperatori, domum ex hac die biduo ante conduxerat; quae vacua si non fuisset, in

*Vt es homo facetus, ad persuadendum concinnus*) Vulgatam sequor cum Ernest. Le-Clerc et Amar. Schütz. probantibus Ant. Augustino, Lamb. et Vrsino, edidit: *ut es homo factus ad persuadendum*. Recte, ait Vrsinus, nam facetiae non obtinent primas partes in persuadendo, ut eas ante omnia praeponere debuerit. Typ.

*Vertes te ad alteram scholam*) H. e. ut recte Graevius interpr. ad alteram disputationem; non ut Manutius, ad alteram sectam. Nam hic quoque loqui fingitur ut Epicureus.

campo Martio mihi tabernaculum collocassem. Nummus interea mihi, Caesar, neglectis ferculis triumphalibus, domi manet, et manebit. Rationes ad aerarium retuli continuo, sicut tua lex iubebat: neque alia ulla in re legi tuae parui. Quas rationes si cognoris, intelliges, nemini plus, quam mihi, literas profuisse. Ita enim sunt perscriptae scite et literate, ut scriba, ad aerarium qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse, caput sinistra manu perfricans, commurmuratus sit, *Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται.* Hac tu oratione, non dubito, quin illum iam adscendentem in currum possis revocare.

XXVI. O tenebrae, o lutum, o sordes, o paterni generis oblite, materni vix memor! Ita nescio quid istuc fractum, humile, demissum, sordidum, inferius etiam est, quam ut Mediolanensi praecone, avo tuo, dignum esse videatur. L. Crassus, homo sapientissimus nostrae civitatis, spiculis prope scrutatus est Alpes, ut, ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quaereret: eadem cupiditate vir summo ingenio prae-

Cap. XXVI. *Eadem cupiditate vir summo ingenio praeditus, C. Cotta etc.*) Credo vos quaerere, et quis hic Cotta, et quis ille collega Crassi fuerit. Fuit autem C. Cotta orator ille compar P. Sulpicii, qui est in dialogis Ciceronis de Oratore scriptis, qui quum decretus illi esset triumphus, mortuus est ante diem triumphi, quum cicatrix vulneris eius, quod ante plures annos in proelio acceperat, rescissa esset repente. Crasso autem collega fuit Q. Scaevola pon-

*Mihi, Caesar, neglectis ferculis*) Volgo *vehiculis*. At *ferculis* habent Palimps. Taur. Edd. Ald. inn. Lamb. Graev. probante Abramio, qui notat, ferculorum nomine contineri non vehicula solum, sed etiam simulacra oppidorum, spolia hostium, et quaecumque in triumphali pompa deferuntur. Typ.

*Rationes ad aerarium retuli*) Statim atque in urbem me recepi, administratae provinciae et acceptae ex publico pecuniae reddidi rationem. Abr. Vulg. *rationes ad aerarium continuo, sicut tua lex iubebat, detuli.*

*Alia ulla in re*) Palimps. Taur. omittit *ulla*.

*Argentum οἴχεται*) periit, abiit, evanuit. Versus ex Plauti Trinummo II, 6, 17.

*Illum iam adscendentem*) Palimps. Taur. *illum escendentem*.

*Possis revocare*) Palimps. Taur. *revocare possis*.

*Mediolanensi praecone*) Eius avus Placentiae quidem civis, at Mediolani praeco fuerat. Ferr.

ditus, C. Cotta, nullo certo hoste, flagravit. Eorum neuter triumphavit; quod alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irrisa est abs te paulo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, a qua te longe dixisti abhorrere: qui etiamsi minus magnum bellum gesserat, ut abs te dictum est, tamen istum honorem contemnendum non putavit. Tu eruditior, quam Piso; prudentior, quam Cotta; abundantior consilio, ingenio, sapientia, quam Crassus, ea contemnis, quae illi idiotae, ut tu appellas, praeclara duxerunt. Quod si reprehendis, quod cupidi laureae fuerint, quum bella aut parva aut nulla gessissent: tu, tantis nationibus subactis, tantis rebus gestis, minime fructum laborum tuorum, praemia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti. Neque vero contempsisti, licet Themista sapientior, sed os tuum ferreum senatus convicio verberari noluisti.

tifex, qui quum animadverteret, Crassu propter summam eius in republica potentiam ac dignitatem, senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitavit reipubl. magis quam collegae habere rationem; ac, ne fieret S. C. intercessit. Sed idem provinciam, cuius cupiditate plerique etiam boni viri delinquebant, deposuerat, ne sumptui esset aerario. — *Irrisa est a te paullo ante M. Pisonis* etc.) Quis hic M. Piso fuerit, credo vos ignorare. Fuit autem, ut puto iam nos dixisse, Pupius Piso eisdem temporibus, quibus Cicero, sed tanto aetate maior, ut adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in ea et antiquae vitae similitudo, et multae erant literae. Orator quoque melior, quam frequentior habitus est. Biennio tamen serius quam Cicero consul fuit. Triumphavit proconsule de Hispanis Q. Hortensio, Q. Metello Cretico coss. ante Ciceronis consulatum.

*Mors ademit. Irrisa est abs te*) Palimps. Taur. *Mors praeripuit. Irrisa est abs te.* In textum revocavi τὸ *est* a recentioribus editoribus omissum. TYP.

*Licet Themista sapientior*) Palimps. *sis licet T. sap.* Vulgo *licet sis T. sap.*

*Themista*) Themista mulier fuit, Epicuri aetate, Philosophiae Epicureae dedita, Leontis, seu Leontei cuiusdam uxor, ad quam scripsit non semel Epicuros: ut refert Laërtius. Est autem iocus Ciceronis in Pisonem amarus, eum cum muliere Epicurea comparantis, et eius sapientiam sapientiae muliebri anteponentis. LAMB.

*Sed os tuum*) Sic Lamb. Ald. iun. (et Palimps. Taur.). Vulgo *si os tuum.*

XXVII. Iam vides, quandoquidem ita mihimet fui inimicus, ut me tecum compararem, et degressum meum, et absentiam, et reditum ita longe tuo praestitisse, ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi sempiternam turpitudinem inflixerint. Nunc etiam in hac quotidiana, assidua, urbanaque vita splendorem tuum, gratiam, celebritatem, modestiam domesticam, operam forensem, consilium, auxilium, auctoritatem, sententiam senatoriam nobis, aut, ut verius dicam, cuiquam es infimo ac despicatissimo antelaturus? Age, senatus odit te, quod eum tu facere iure concedis, afflictorem et perditorem non modo dignitatis et auctoritatis, sed omnino ordinis ac nominis sui; videre equites romani non possunt, quo ex ordine vir praestantissimus et ornatissimus L. Aelius est, te consule, relegatus; plebs romana perditum cupit, in cuius tu infamiam ea, quae per latrones et per servos de me egeras, contulisti; Italia cuncta exsecratur, cuius idem tu superbissime decreta et preces repudiasti. Fac huius odii tanti ac tam universi periculum, si audes. Instant post hominum memoriam apparatissimi, magnificentissimique ludi, quales non modo nunquam fuerunt, sed ne quomodo fieri qui-

Cap. XXVII. *Instant post hominum memoriam* etc.) Cn. Pompeii ludos significat, quibus theatrum a se factum dedicavit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in circo.

*Iam vides, quandoquidem*) Palimps. Taur. *iam vides quo*.... In his verbis desinit folium cultro defectum; fortasse codex legebat *quoniam*. Peyr.

*Nunc etiam in hac*) Palimps. Taur. *Num etiam in hac*.

*Celebritatem, modestiam domesticam*) Ita Palimps. Taur., probante Peyrono V. Cl. Vulgo *celebritatem domesticam*. Typ.

*Operam forensem, consilium*) Palimps. Taur. *operam, forense consilium*.

*Infimo ac despicatissimo*) Sic Lamb. (et Palimps. Taur.). Vulgo *infirmissimo ac desperatissimo*.

*Et ornatissimus*) addidit Graev. e MSS. Pith. Franc. Reperit idem Ern. in ed. Wald. et 1480.

dem posthac possint, possum ullo pacto suspicari. Da te populo, committe te ludis. Sibilum metuis? ubi sunt vestrae scholae? Ne acclametur? ne id quidem est curare philosophi. Manus tibi ne afferantur, times. Dolor enim est malum, ut disputas; existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba sunt atque ineptiae. Sed de hoc non dubito. Non audebit accedere ad ludos. Convivium publicum non dignitatis gratia inibit (nisi forte ut cum *Patribus conscriptis*, hoc est, cum *maioribus* suis coenet), sed plane animi sui causa: ludos nobis idiotis relinquet. Solet enim in disputationibus suis oculorum et aurium delectationi abdominis voluptates anteferre. Nam, quod vobis iste tantummodo improbus, crudelis olim furunculus, nunc vero etiam rapax, quod sordidus, quod contumax, quod superbus, quod fallax, quod perfidiosus, quod impudens, quod audax esse videatur: nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil posterius, nihil nequius. Luxuriam autem in isto nolite hanc cogitare. Est enim quaedam, quamquam

*Committe te ludis*) Ernestio auctore addidi *te*.

*Malum, ut disputas*) Palimps. T. *malum, ut tu disputas*.

*Verba sunt atque ineptiae*) Deest *sunt* in Palimpsesto.

*Convivium publicum non dignitatis gratia inibit*) Quod Cn. Pompeius ad dedicationem sui theatri publice exhibebit, non inibit ad honorandum Cn. Pompeium exhibitorem convivii. Dignitatis autem causa dicitur iniri convivium, quia Senatores epulabantur ab aliis ordinibus separati. Ann.

*Dignitatis gratia*) Palimps. Taur. *dignitatis causa*.

*Nisi forte ut cum Patribus conscriptis, hoc est, cum maioribus suis coenet*) Ita legit Palimps. Quum in aliquo ex antiquis codicibus esset *VTCVMP. C.*, amanuensis initiales literas interpretatus est *Publio Clodio*. Lectionem quae erat in communibus libris *cum compotoribus suis* primus emendavit Manutius scribens *cum amoribus suis*. Nostra melior. Peyr. Vulgo: *nisi forte ut cum P. Clodio, hoc est, cum amoribus suis*.

*Luxuriam autem in isto nolite*) Palimps. Taur. *luxuriem autem nolite in isto*. Et ita Fuërnus verba collocabat.

*Hanc cogitare*) Vt vulgo homines luxuriosi esse solent, cum lautitia quadam, atque elegantia. Ferr.

omnis est vitiosa atque turpis, tamen ingenuo ac libero dignior. Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum; laudabo inimicum: ne magnopere quidem quidquam, praeter libidines, sumptuosum. Toreuma nullum; maximi calices, et hi, ne contemnere suos videatur, Placentini; exstructa mensa, non conchyliis aut piscibus, sed multa carne subrancida. Servi sordidati ministrant; nonnulli etiam senes; idem coquus, idem atriensis; pistor domi nullus, nulla cella; panis et vinum a propola atque de cupa; Graeci stipati, quini in lectulis, saepe plures; ipse solus, bibiturus, quae eodem de dolio ministrentur. Vbi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat: mensam tolli iubet.

XXVIII. Dicet aliquis, unde tibi haec nota sunt? non mehercule contumeliae causa describam quemquam, praesertim ingeniosum hominem atque eruditum, cui generi esse ego iratus, ne si cupiam quidem, possum. Est quidam Graecus, qui cum isto vivit, homo, vere ut dicam (sic enim cognovi) humanus,

Cap. XXVIII. *Est quidam Graecus* etc.) Philodemum significat, qui fuit Epicureus illa aetate nobilissimus, cuius et poëmata sunt lasciva.

*Placentini*) Ex vili nimirum materia. Fuerat autem avus eius Placentinus. Vide supra. Id.

*A propola atque de cupa*) Propola est qui res emit, ut rursus cum aliquo quaestu statim vendat: cupa autem erat vas vinarium magnum, quo utebantur in vendendo vino caupones. Idem.

*Quini in lectulis*) Quum tres, ut summum quatuor solerent esse.

*Bibiturus, quae eodem de dolio ministrentur*) Vulgo *bibiturus quae eodem de solio ministrentur.* Graevius e MS. Faërn. *bibitur usque eo dum de solio ministretur.* Anton. Augustinus recte emendavit *de dolio.*

*Avum suum*) Qui Gallus fuerat. Iocatur in ambigua vocabuli significatione. Man.

*Ne si cupiam quidem, possum*) Vulgo *ne si cupiam quidem, non possum.* Alteram negandi particulam hic delendam esse Goërenzius vidit ad Cic. de Fin. V, 2, quam etiam in cod. Erl. abesse vidit.

*Humanus*) Politiore literatura, et liberalibus studiis eruditus. Paulo

sed tamdiu, quamdiu cum aliis est, aut ipse secum. Is quum istum adolescentem, iam tum cum hac diis irata fronte, vidisset, non fugit eius amicitiam, quum esset praesertim appetitus: dedit se in consuetudinem, sic ut prorsus una viveret, nec fere ab isto unquam discederet. Non apud indoctos, sed, ut ego arbitror, in hominum eruditissimorum et humanissimorum coetu loquor. Audistis profecto dici, philosophos Epicureos, omnes res, quae sunt homini expetendae, voluptate metiri. Recte, an secus, nihil ad nos: aut, si ad nos, nihil ad hoc tempus. Sed tamen lubricum genus orationis adolescenti, non acriter intelligenti, saepe praeceps. Itaque admissarius iste, simul atque audivit, a philosopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiscatus est: sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius hanc orationem adhinniit, ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inventum arbitraretur. Graecus primo distinguere atque dividere illa, quemadmodum dicerentur: iste, claudos quomodo aiunt pilam, retinere quod

post: *In hominum eruditissimorum, et humanissimorum coetu loquor.* Vide Gellium, lib. XIII noct. Attic. cap. 16. Abr.

*Quamdiu cum aliis est*) Quam cum Pisone: in eius enim consuetudine ita se gerere cogitur, ut sui ipsius eruditionisque suae oblitus esse videatur. Id.

*Cum hac diis irata fronte*) Vel in adolescentia fronte et supercilio ita severus erat Piso, non modo, ut hominibus, sed ut diis ipsis iratus esse videretur. Man.

*Lubricum genus orationis*) Lubricum sua sponte, quia voluptas duplex: animi, ex virtute; corporis, ex vitio; sed adolescenti, propter aetatem incauto, non modo lubricum, verum etiam saepe praeceps: quia neutram voluptatem Epicurei philosophi nominabant. Id.

*Admissarius iste*) Tanquam equus, qui rationis expers, unam corporis voluptatem novit. Ideo tanquam de equo, sequitur *adhinniit.* Id.

*Iste, claudos quomodo*) Sic Vrsin. Vulgo *iste claudus, quomodo aiunt;* et est proverbium in eos, qui quae a magistro audierunt, tenent, sed neque recte intelligunt, neque eo recte uti possunt. Nam claudus in pilae ludo, nihil potest nisi pilam sibi traditam retinere, non ea ex regulis ludi uti, propterea quod currere celeriter non potest. Ern.

acceperat, testificari, tabulas obsignare velle, Epicurum disertim dicere (et tamen dicit, ut opinor), se nullum bonum intelligere posse, demptis corporis voluptatibus.

XXIX. Quid multa? Graecus facilis et valde venustus, nimis pugnax contra senatorem populi romani esse noluit. (Est autem hic, de quo loquor, non philosophia solum, sed etiam literis, quod fere ceteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poëma porro facit ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius). In quo reprehendat eum licet, si qui volet; modo leviter, non ut impurum, non ut improbum, non ut audacem, sed ut Graeculum, ut assentatorem, ut poëtam. Devenit, aut potius incidit in istum, eodem deceptus supercilio, Graecus atque advena, quo tam sapiens et tanta civitas. Revocare se non poterat, familiaritate implicatus; et simul inconstantiae famam verebatur. Rogatus, invitatus, coactus, ita multa ad istum de isto scripsit, ut omnes hominis libidines, omnia coenarum genera conviviorumque, adulteria denique eius, delicatissimis versibus expresserit. In quibus, si quis velit, possit istius tanquam in speculo vitam intueri: ex quibus multa, a multis lecta et audita, recitarem, nisi vererer, ne hoc ipsum genus orationis, quo nunc utor, ab huius loci more abhorreret: et simul de ipso,

*Epicurum disertim*) Recte Graevius hanc lectionem vestigiis cod. Faërn. insistens praetulit vulgatae *Epicurum disertum dicere et tamen dictum opinor.*

*Sed etiam literis*) Olim passim edebatur: *sed etiam veteris studiis, quae fere —*

*Vt assentatorem, ut poetam*) Verba *in quo reprehendat — ut poetam* transposita mihi videntur, et post illa *Graecus facilis — nimis pugnax contra senatorem populi romani esse noluit*, reponenda. Nam cum proxime antecedentibus nullo modo cohaerent. Interim haec parentheseos saltem signis inclusi. Porro verba *non ut audacem* vel corrupta sunt, vel temere inculcata. Nullus enim hic est audaciae locus.

qui scripsit, detrahi nolo. Qui si fuisset in discipulo comparando meliore fortuna, fortasse austerior et gravior esse potuisset: sed eum casus in hanc consuetudinem scribendi induxit, philosopho valde indignam; siquidem philosophia, ut fertur, virtutis continet, et officii, et bene vivendi disciplinam; quam qui profitetur, gravissimam mihi sustinere personam videtur. Sed idem casus illum ignarum, quid profiteretur, quum se philosophum esse diceret, istius impurissimae atque intemperantissimae pecudis coeno et sordibus inquinavit.

XXX. Qui modo quum res gestas consulatus mei collaudasset; quae quidem laudatio hominis turpissimi, mihi ipsi erat paene turpis: « Non illa tibi, inquit, invidia nocuit, sed versus tui. » Nimis magna poena, te consule, constituta est, sive malo poëtae, sive libero. « Scripsisti enim, CEDANT ARMA TOGAE. » Quid tum? « Haec res tibi fluctus illos excitavit. » At hoc nusquam opinor scriptum fuisse in illo elogio, quod, te consule, in sepulcro reipublicae incisum est, *Velitis, iubeatis, ut, quod M. Cicero versum fecerit:* sed *quod vindicarit.*

Verumtamen, quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poëtam armis persequare: scire cupio, qui tandem isto in versu reprehendas, CEDANT ARMA TOGAE. « Tuae dicis, inquit, togae summum imperatorem esse cessurum. » Quid nunc te,

*In illo elogio*) In lege Clodia, quae ipsa fuit sepulcrum reip.

*Sed quod vindicarit*) Haec glossatoris esse puto, qui vellet id quod revera a Clodio scriptum esset supplere. At in lege Clodia potius scriptum erat *velitis iubeatis, ut quod Cicero cives romanos indicta causa condemnavit, ei aqua et igni interdicatur.* Et iam Manutius dubitabat an Clodius in lege verbum *vindicarit* posuerit.

*Summum imperatorem*) Innuebat scilicet Ciceronem isto versiculo

asine, literas doceam? Non opus est verbis, sed fustibus. Non dixi hanc togam, quam sum amictus; nec arma, scutum et gladium unius imperatoris: sed, quod pacis est insigne et otii, toga, contra autem arma tumultus atque belli; more poëtarum loquutus, hoc intelligi volui, bellum ac tumultum paci atque otio concessurum. Quaere ex familiari tuo, Graeco illo poëta: probabit genus ipsum, et agnoscet, neque te nihil sapere mirabitur. «At in illo altero, inquit, haeres, CONCEDAT LAVREA LAVDI.» Immo mehercule, habeo tibi gratiam. Haercrem enim, nisi tu me expedisses. Nam quum tu timidus ac tremens, tuis ipse furacissimis manibus detractam e cruentis fascibus lauream ad portam Esquilinam abiecisti; indicasti, non modo amplissimae, sed etiam minimae laudi lauream concessisse. Atque ista ratione hoc tamen intelligi, scelerate, vis, Pompeium inimicum mihi isto versu esse factum: ut, si versus mihi nocuerit, ab eo, quem is versus offenderit, videatur mihi pernicies esse quaesita. Omitto, nihil istum versum pertinuisse ad illum; non fuisse meum, quem, quantum potuissem, multis saepe orationibus scriptisque decorassem, hunc uno violare versu. Sed sit offensus. Primo nonne compensabit cum uno versiculo tot mea volumina laudum suarum? Quod si esset commotus, ad perniciem, non dicam

Pompeium petere voluisse; quod perspicitur ex iis quae postea dicuntur.

*Concedat laurea laudi*) Hanc lectionem optimorum MSS. et edd. pr. recte defenderunt Gronovius, Graevius, Ern. Eamque tota quae sequitur orationis perpetuitas confirmat. Primus Lambinus *linguae* substituit e Quintiliano XI, 1.

*Compensabit*) Suspicor scribendum esse *compensarit*, vel *compensaret*.

*Quod si esset*) Rescripsi *esset* pro vulgato *est*; sequitur enim *fuisset*.

*Ad perniciem*) Vulgo *ad perniciemne*. Delevi particulam *ne*, quae in uno MS. Faërni melius aberat. Totum vero locum sic legendum arbitror: *quod si esset commotus, ad perniciem non dicam amicissimi, non ita de sua laude, non ita de republica meriti: in consularis, in senatoris, in civis, in liberi, in hominis caput ille tam crudelis propter versum fuisset?*

amicissimi, non ita de sua laude meriti, non ita de republica, non consularis, non senatoris, non civis, non liberi: in hominis caput ille tam crudelis propter versum fuisset?

XXXI. Tu quid, tu apud quos, tu de quo dicas, intelligis? Complecteris amplissimos viros ad tuum et Gabinii scelus: neque id occulte. Nam paulo ante dixisti, me cum iis confligere, quos despicerem; non attingere eos, qui plus possent, quibus iratus esse deberem. Quorum quidem (quis enim non intelligit, quos dicas?) quamquam non est una causa omnium, tamen est omnium mihi probata. Me Cn. Pompeius, multis obsistentibus eius erga me studio atque amori, semper dilexit, semper sua coniunctione dignissimum indicavit, semper non modo incolumem, sed etiam amplissimum atque ornatissimum voluit esse. Vestrae fraudes, vestrum scelus, vestrae criminationes insidiarum mearum, illius periculorum, nefarie fictae, simul eorum, qui familiaritatis licentia, suorum improbissimorum sermonum domicilium in auribus eius, impulsu vestro, collocaverunt, vestrae cupiditates provinciarum, effecerunt, ut ego excluderer, omnesque, qui me, qui illius gloriam, qui rempublicam salvam esse cupiebant, sermone atque aditu prohiberentur. Quibus rebus est perfectum, ut illi plane suo stare iudicio non liceret, quum certi homines non studium eius a me alienassent, sed auxilium retardas-

*Insidiarum mearum*) Quum insidiari me Pompeio diceretis. MAN. Vide *pro domo*, cap. II.

*Collocaverunt — ut ego excluderer*) Palimps. Taur. *collocarant ut ego excluderer*, omissis intermediis.

*Vt ego excluderer*) Scil. *quum vellem in periculo meo eum convenire.* Nempe Pompeius erat in Albano suo, et Ciceronis eum quaerentis conspectum vitavit, teste Plutarcho in Cicerone.

*Vt illi plane suo stare iudicio*) Palimps. Taur. *ut illi plane stare in suo iudicio.*

sent. Nonne ad te L. Lentulus, qui tum erat praetor, non Q. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum, multique mortales oratum in Albanum obsecratumque venerant, ne meas fortunas desereret, cum reipublicae salute coniunctas. Quos ille ad te, et ad tuum collegam remisit, ut causam publicam susciperetis, ut ad senatum referretis: se contra armatum tribunum plebis sine consilio publico decertare nolle: consulibus ex senatusconsulto rempublicam defendentibus, se arma sumpturum. Ecquid, infelix, recordaris, quid responderis? in quo illi omnes quidem, sed Torquatus praeter ceteros, furebat contumacia responsi tui: te non esse tam fortem, quam ipse in consulatu fuisset, aut ego; nihil opus esse armis, nihil contentione; me posse iterum rempublicam servare, si cessissem; infinitam caedem fore, si restitissem; deinde ad extremum, neque se, neque generum, neque collegam suum, tribuno plebis defuturum. Hic tu hostis ac proditor, aliis me inimiciorem, quam tibi debere esse dicis?

XXXII. Ego C. Caesarem non eadem de republica sensisse, quae me, scio: sed tamen, quod iam de eo, his audientibus, saepe dixi, me ille sui totius consulatus, eorumque honorum, quos cum proximis communicavit, socium esse voluit; detulit, invitavit, rogavit. Non sum ego, propter nimiam fortasse con-

*Venerant, ne meas fortunas*) Palimps. Taur. *venerant, ut ne meas fortunas.*

*Nolle consulibus*) Palimpsestus *nolle se consulibus.*

*Quam ipse*) Vulgo additur *Torquatus*, quod manifeste per glossam additum est; vidit Ern. et uncis inclusit.

*Nihil opus esse armis, nihil contentione*) Palimps. Taur. *nihil opus esset armis, nihil contione.* Iam vero codex *contione* saepe scribit pro *concione.* Peyr.

*Iterum rempublicam*) Palimps. T. *remp. iterum.*

*Tribuno plebis defuturum*) Palimps. *tribunum plebis defuturum.*

*Non sum ego propter*) Abest *ego* a Palimps.

stantiae cupiditatem, adductus ad causam; non postulabam, ut ei carissimus essem, cuius ego ne beneficiis quidem sententiam meam tradidissem. Adducta res in certamen, te consule, putabatur, utrum, quae superiore anno ille gessisset, manerent, an rescinderentur. Quid loquar plura? si tantum ille in me esse uno roboris et virtutis putavit, ut ea, quae ipse gesserat, conciderent, si ego restitissem: cur ei non ignoscam, si anteposuit suam salutem meae? Sed praeterita omitto. Me ut Cn. Pompeius omnibus suis studiis, laboribus, vitae periculis complexus est, quum municipia pro me adiret, Italiae fidem imploraret, P. Lentulo consuli, auctori salutis meae, frequens assideret, senatui sententiam praestaret, in concionibus non modo se defensorem salutis meae, sed etiam supplicem pro me profiteretur: huius voluntatis eum, quem multum posse intelligebat, mihi non inimicum esse cognorat, socium sibi et adiutorem C. Caesarem adiunxit. Iam vides, me tibi non inimicum, sed hostem; illis, quos describis, non modo non iratum, sed etiam amicum esse debere. Quorum alter, id quod meminero semper, aeque mihi fuit amicus, ac sibi: alter, id quod obliviscar aliquando, sibi amicior, quam mihi. Deinde hoc ita fit, ut viri fortes, etiam si ferro inter se cominus decertarint, tamen illud contentionis odium simul cum ipsa pugna

*Cuius ego ne beneficiis quidem*) Vulgo *cuius ego beneficiis quidem*. F. Vrsinus corrigebat *cuius ego beneficiis, pridem*. Sed melius Lambinus, quem deinde fere omnes sequuti sint, *cuius ego ne beneficiis quidem*.

*Vt ea quae ipse*) Palimps. Taur. *ut quae ipse*.

*Cur ei non ignoscam*) Palimpsest. *cur ego non ignoscam*.

*Sed praeterita omitto*) Palimpsest. *sed praeterita mitto*.

*Omnibus suis studiis*) Palimpsest. *omnibus studiis suis*.

*Aeque mihi fuit amicus*) Palimps. *neque mihi amicus fuit*.

*Aliquando, sibi amicior*) Palimps. *sibi aliquando amicior*.

armisque ponant. Neque me ille odisse potuit unquam, ne tum quidem, quum dissidebamus. Habet hoc virtus, quam tu ne de facie quidem nosti, ut viros fortes species eius et pulcritudo etiam in hoste posita delectet.

XXXIII. Equidem dicam ex animo, Patres conscripti, quod sentio, et quod vobis audientibus saepe iam dixi. Si mihi nunquam amicus C. Caesar fuisset; si semper iratus; si aspernaretur amicitiam meam, seseque mihi implacabilem inexpiabilemque praeberet: tamen ei, quum tantas res gessisset, gereretque quotidie, non amicus esse non possem. Cuius ego imperio non Alpium vallum contra adscensum transgressionemque Gallorum, non Rheni fossam, gurgitibus illis redundantem, Germanorum immanissimis gentibus obiicio et oppono. Perfecit ille, ut, si montes residissent, amnes exaruissent, non naturae praesidio, sed victoria sua, rebusque gestis, Italiam munitam haberemus. Sed quum me expetat, diligat, omni laude dignum putet, tu me a tuis inimicitiis ad simultatem revocabis? tu tuis sceleribus reipublicae praeterita fata refricabis? Quod quidem tu, qui bene nosses coniunctionem meam et Caesaris, eludebas,

*Armisque ponant*) Palimps. Taur. *armisque deponant.*

*Neque me ille odisse potuit unquam*) Sic Palimps. Taur. cum cod. Erfurtensi. Vulgo *Atqui me ille odisse nunquam potuit.*

*Si semper iratus*) Ita Schütz. cum Palimps. Taur. Vulgo, *sed semper iratus.* Typ.

*Si aspernaretur*) Palimps. Taur. *si semper aspernaretur.*

*Seseque mihi*) Idem Palimps. *seque mihi.*

*Residissent*) Vulgo *resedissent.* Meliorem lectionem Acad. Erl. recte commendavit Goërenzius ad Cic. de Fin. III, 3.

*Tu tuis*) Vulgo *sic tuis.* Merito *sic* suspectum fuit Ernestio.

*Quod quidem tu*) Haec ut vulgo leguntur, obscurius dicta sunt, nec satis cum antecedentibus cohaerent. Suspicior legendum: *Quam quidem tu, qui bene nosses, coniunctionem meam et Caesaris eludebas*, h. e. irridebas.

*Eludebas*) Non serio me provocabas ad te accusandum; sciebas enim id me non facturum propter Caesarem. Ferr.

quum a me trementibus omnino labris, sed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas. Quamquam, quod ad me attinet,

*nunquam istam imminuam curam infitiando tibi:*

tamen est mihi considerandum, quantum illi, tantis reipublicae negotiis, tantoque bello impedito, ego homo amicissimus, sollicitudinis atque oneris imponam. Nec despero tamen, quamquam languet iuventus, nec perinde, atque debebat, in laudis et gloriae cupiditate versatur, futuros aliquos, qui abiectum hoc cadaver, consularibus spoliis nudare non nolint, praesertim tam afflicto, tam infirmo, tam enervato reo; qui te ita gesseris, ut timeres, ne indignus beneficio videreris, nisi eius, a quo missus eras, simillimus exstitisses.

XXXIV. An vero tu parum putas investigatas esse a nobis labes imperii tui, stragesque provinciae? quas quidem nos non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis et cubilibus persequuti sumus. Notata a nobis sunt et prima illa scelera in adventu, quum accepta pecunia a Dyrrhachinis ob necem hospitis tui Platoris, eius ipsius domum evertisti, cuius sanguinem addixeras, eumque, servis

Cap. XXXIII. *Nunquam istam* etc.) Prope notius est, quam ut indicandum sit, hunc versum esse L. Attii poëtae et dici a Thyeste in Atreo.

*Cur tibi nomen non deferrem*) Pro *cur tuum nomen non deferrem*, nempe de repetundis, si ista vera essent quae obiicerem. Ern.

*Quantum illi*) Iul. Caesari genero Pisonis, qui, si accusaretur socer, pro eo laborare deberet. Ern.

*Atque debebat*) Sic Graev. Ern. e MS. Erf. Pith. Vulgo *debeat*.

*Consularibus spoliis*) Intelligit pecunias, quas in consulari imperio contra leges fecerat in provincia, detrahendas Pisoni per accusationem de repetundis. Ern.

*Eius*) P. Clodii.

*Non vestigiis*) Allegoria. Non per coniecturas tua scelera novimus, sed ubi cubaveris, et vocatus fueris, scimus. Ferr.

*Evertisti*) Manutius malebat *everristi*, ut ad rapinas Pisonis in Platoris domo pertineat. Sane placet.

symphoniacis et aliis muneribus acceptis, timentem, multumque dubitantem confirmasti, et Thessalonicam fide tua venire iussisti. Quem ne maiorum quidem more supplicio affecisti, quum miser ille securibus hospitis sui cervices subiicere gestiret; sed ei medico, quem tecum eduxeras, imperasti, ut venas hominis incideret: quum quidem tibi etiam accessio fuit ad necem Platoris, Pleuratus eius comes, quem necasti verberibus, summa senectute confectum. Idemque tu Rabocentum, Bessicae gentis principem, quum te trecentis talentis regi Cotto vendidisses, securi percussisti; quum ille ad te legatus in castra venisset, et tibi magna praesidia et auxilia a Bessis peditum equitumque polliceretur. Neque eum solum, sed etiam ceteros legatos, qui simul venerant; quorum omnium capita regi Cotto vendidisti. Denseletis, quae natio, semper obediens huic imperio, etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedonica, C. Sentium praetorem tutata est, nefarium bellum et crudele intulisti: eisque quum fidelissimis sociis uti posses, hostibus uti acerrimis maluisti. Ita perpetuos defensores Macedoniae, vexatores ac perditores effecisti. Vectigalia nostra perturbarunt, urbes ceperunt, vastarunt agros, socios nostros in servitutem abduxerunt, familias abripuerunt, pecus abegerunt; Thessalonicenses, quum oppido desperassent, munire ar-

*Quum quidem*) Sic ed. Waldarf. 1480, Iunt. recte. Aliae *quum equidem*, quod revocavit Gruterus; male. Aldus coepit edere *tum quidem*, quod alii sequuti sunt. Ern.

*Quum te*) Sic edd. pr. quod et e MSS. Pall. restituit Gruterus. Eadem phrasis est de Har. Resp. c. 22, hoc sensu. Faërnus coepit edere *quum te*, quod Lambinus aliique sequuti sunt; non bene tam prope post *idem tu* et sine *eum*. Id.

*Denseletis*) Thraciae populis.

*C. Sentium*) Sic recte Gruterus primus edidit e cod. Erf. Pal. 2. Vulgo olim corrupte *Sextium*. Nam C. Sextius Saturninus Macedoniam provinciam propraetor obtinuit A. V. 667-671.

cem coëgerunt. A te Iovis Vrii fanum antiquissimum barbarorum sanctissimumque direptum est. Haec tua scelera, dii immortales! in nostros milites expetiverunt: qui quum uno genere morbi affligerentur, neque se recreare quisquam posset, qui semel incidisset; dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, pacati atque socii nefario bello lacessiti, fana vexata, hanc tantam efficerent vastitatem. Cognoscis ex particula parva scelerum et crudelitatis tuae genus universum.

XXXV. Quid avaritiae, quae criminibus infinitis implicata est, summam nunc explicem? Generatim ea, quae maxime nota sunt, dicam. Nonne sestertium centies et octogies, quod, quasi vasarii nomine, in venditione mei capitis adscripseras, ex aerario tibi attributum, Romae in quaestu reliquisti? Nonne, quum cc talenta tibi Apolloniatae Romae dedissent, ne pecunias creditas solverent, ultro Fufidium, equitem romanum, hominem ornatissimum, creditorem, debitoribus suis addixisti? Nonne, hiberna quum legato praefectoque tuo tradidisses, evertisti miseras funditus civitates: quae non solum bonis sunt exhaustae, sed etiam nefarias libidinum contumelias turpitudinesque subierunt? Qui modus tibi fuit frumenti aestimandi? qui honorarii? si quidem potest vi et metu extortum, honorarium nominari. Quod quum perae-

*Expetiverunt*) Ita h. l. Ernestius optime correxit. Vulgo *tua scelera dii immortales in nostros milites expiaverunt.*

*Vasarii nomine*) Apparet sic appellari solita, quae magistratibus provinciam ituris ad eorum usus domesticos ex aerario attribuebantur. Hotom.

*Praefectoque tuo*) *Tuo* addidit Graev. e cod. Erf. et Pith.

*Hiberna — tradidisses*) Hiberna tradere, est pecuniam accipere ab iis, ut habeant potestatem hibernorum ordinandorum, et iis, apud quos sunt, praescribendi quid praestare militibus debeant etc. De hoc genere iniuriae in provinciales multae apud veteres querimoniae. Ern.

que omnes, tum acerbissime Boeotii, et Byzantii, Cherronenses, Thessalonica sensit. Vnus tu dominus, unus aestimator, unus venditor, tota in provincia, per triennium, frumenti omnis fuisti.

XXXVI. Quid ego rerum capitalium quaestiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam? Tantum locum aliquem quum mihi notum senseris, tecum ipse licebit, quot in eo genere, et quanta sint crimina, recordere. Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris, quum omni totius provinciae pecore compulso, pellium nomine, omnem quaestum illum domesticum paternumque renovasti? Videras enim grandis iam puer, bello Italico, repleri quaestu vestram domum, quum pater armis faciendis tuus praefuisset. Quid? vectigalem provinciam, singulis rebus, quaecumque venirent, certo portorio imposito, servis tuis publicanis a te factam esse meministi? Quid? centuriatus palam venditos? quid? per tuum servu-

*Reorum pactiones*) Quas videlicet cum reis inierat Piso, et ab iis *se* mercede corrumpi permiserat, *redemptiones*, quibus illi a Pisone incolumitatem suam redemerant. ABR.

*Libidinosissimas liberationes*) Quae non fiunt secundum fas et aequum, sed pro partium studio, quia iudex illi favet, et contra leges reum absolvit. Sic aliis in locis apud nostrum, *libidinosi iudices*, *testes*, *libidinosae sententiae*. GRAEV.

*Pellium nomine*) Praetextu pellium, ad loricas, clypeos, papiliones faciendos. Qua ratione tantum lucratus est, quantum pater fuerat ante lucratus. ABR.

*Publicanis*) Si hoc verum est, significat a Pisone istos servos in publicanorum loco habitos esse, quemadmodum *Verr. Act. II*, *lib.* 3, c. 20, Verre praetore Venerii servi dicuntur *novum genus publicanorum* fuisse. Hotomannus aliquando legendum putavit *servis tuis publicis*; quod tamen vulgatae lectioni haud praetulerim.

*Centuriatus*) Abramius malebat *centurionatus*, nempe e Taciti Annal. I, 44; sed ibi vox illa et sensus non certus est. *Centuriatus est* etiam in Manil. 13. Sed quid differunt *centuriatus* et *ordines*? quum aliàs *ordines dare* sit *centurionem facere*. Nempe *centuriatus* est munus centurionis; *ordines* sunt loca inter centuriones, ut honestiores ordines *mandarentur* v. c. *primus hastatus*, *primus pilus* etc. ERN.

lum ordines assignatos? quid? stipendium militibus per omnes annos a civitatibus, mensis palam propositis, esse numeratum? quid illa in Pontum profectio et conatus tuus? quid debilitatio atque abiectio animi tui, Macedonia praetoria nuntiata, quum tu non solum, quod tibi succederetur, sed quod Gabinio non succederetur, exsanguis et mortuus concidisti? quid quaestor aedilicius reiectus? [1] praepositus legatorum tuorum optimus abs te quisque violatus? tribuni militum non recepti? M. Baebius, vir fortis, interfectus iussu tuo? Quid? quod tu toties diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctuque iacuisti? quod populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos sociosque misisti? quid? quod, quum sustentare vix posses moerorem tuum, doloremque decessionis, Samothraciam te primum, post inde Thasum cum tuis teneris saltatoribus, et cum Autobulo, Athamante, et Timocle, formosis fratribus, contuli-

CAP. XXXVI. *Quod populari illi sacerdoti* etc.) Manifestum est P. Clodium significari.

*Ordines assignatos*) Ordines assignare fuit tribuni militum. ABR.

*Mensis palam propositis*) Stipendium pendebatur ex aerario: Piso, ut illam pecuniam, quam ex aerario stipendii nomine capiebat, in suum usum converteret, iubebat a civitatibus stipendium numerari. Factum amplificat a duobus: 1. Quod non semel, sed per omnes annos id fecerit. 2. Quod palam, et mensis propositis in oculis totius provinciae. ABR.

*Quid illa in Pontum profectio*) Res obscura est, et nullis antiquitatis impressa vestigiis. Videtur Piso pecuniis Barbarorum inhians, in Pontum incursionem fecisse, et inde fuisse expulsum: unde et *conatus* potius, quam bellum illatum nominatur. ID.

*Macedonia praetoria nuntiata*) Quum tibi nuntiatum est, Macedoniam, *quam* proconsulari imperio tenebas, praetoriam esse factam: ut statim praetores anni illius in eam proficiscerentur. Eo pertinebat superior oratio de Provinciis Consularibus, patetque hoc ex loco de solo Pisone eam sententiam obtinuisse. HUT.

(1) *Quid quaestor aedilicius reiectus*? Turbarunt hic aliquid librarii. Lambinus proposuit: *Quid quaestor aedilitius reiectus, praepositus homo turpissimus, legatorum tuorum optimus abs te quisque violatus?* TYP.

*Ad bestias*) Hoc est: Pro servis

sti? Quid? quod, quum inde te recipiens, in villa Euchadiae, quae fuit uxor Exoecisti, iacuisti moerens aliquot dies; atque inde obsoletus Thessalonicam, omnibus inscientibus, noctuque venisti? qui, quum concursum plorantium, ac tempestatem querelarum ferre non posses, in oppidum devium Beroeam profugisti; quo in oppido quum tibi spe falsa, quod Q. Ancharium non esse successurum putares, animos rumor inflasset, quo te modo ad tuam intemperantiam, scelerate, innovasti?

XXXVII. Mitto aurum coronarium, quod te diutissime torsit, quum modo velles, modo nolles. Lex enim generi tui et decerni et accipere vetabat, nisi decreto triumpho. In quo tu acceptam tamen et devoratam pecuniam, ut in Achaeorum centum talentis, evomere non poteras: vocabula tantum pecuniarum, et genera mutabas. Mitto diplomata tota in provincia passim data; mitto numerum navium, summamque praedae; mitto rationem exacti imperatique frumenti; mitto ereptam libertatem populis, ac singulis, qui erant affecti praemiis nominatim: quorum nihil est,

miserat socios, et amicos bestiis obiiciendos in spectaculis. FERR.

*Aurum coronarium*) Ea de causa nonnulli provinciarum praesides se triumphaturos esse simulabant, ut ab amicis foederatisque civitatibus aurum coronarium ipsis triumphi nomine mitteretur: quorum effrenatam cupiditatem ut coërceret Iulius Caesar in suo primo consulatu lege Iulia de repetundis sanxit, ne quis aurum coronarium sibi triumphi nomine missum prius admitteret, quam decretus fuisset triumphus a Senatu. ABR.

*Acceptam tamen et devoratam pecuniam*) Sic Abramius corrigendum censuit, probante Ernestio. Vulgo *accepta tamen et devorata pecunia*, quod non bene coit cum sequenti *evomere*.

*Vocabula — mutabas*) Non dicebas auri coronarii nomine accepta, sed aliis quibusdam nominibus, tua furta obtegentibus. MAN.

*Diplomata*) Literas patentes publico sigillo munitas. Nondum tamen liquet, quid hoc loco Tullius reprehendat, nisi si forte Pisonis avaritiam obiter notat, qui ea diplomata vendiderit, quae gratis dare debuisset. ABR.

quod non sit lege Iulia, ne fieri liceat, sancitum diligenter. Aetoliam, quae procul a barbaris disiuncta gentibus in sinu pacis posita, medio fere Graeciae gremio continetur, (o Poena, o Furia sociorum!) decedens, miseram perdidisti. Arsinoën, Stratum, Naupactum, ut modo tute indicasti, nobiles urbes atque plenas, fateris ab hostibus esse captas. Quibus autem hostibus? nempe iis, quos tu, Ambraciae sedens, primo tuo adventu ex oppidis Agrinarum atque Dolopum demigrare, et aras et focos relinquere coëgisti. Hoc tu in exitu, praeclare imperator, quum tibi ad pristinas clades accessio fuisset Aetoliae repentinus interitus, exercitum dimisisti: neque ullam poenam, quae tanto facinori deberetur, non maluisti subire, quam numerum tuorum militum reliquiasque cognoscere.

XXXVIII. Atque, ut duorum Epicureorum similitudinem in re militari imperioque videatis: Albucius, quum in Sardinia triumphasset, Romae damnatus est; hic quum similem exitum spectaret, in Macedonia tropaea posuit: eaque, quae bellicae laudis victoriaeque omnes gentes insignia et monumenta esse voluerunt, noster hic praeposterus imperator, amissorum oppidorum, caesarum legionum, provinciae praesidio et reliquis militibus orbatae, ad sempiternum dedecus sui generis et nominis, funesta indicia constituit: idemque, ut esset, quod in basi tropaeorum

*Navium*) Quas foederalis civitatibus sine necessitate publica imperasti. Id.

*Agrinarum*) Turnebo placuit *Agrianum*, Ernestio *Agriarum*. Vtrumque nomen est populi Thessaloniae.

*Dimisisti*) Salutis sacramento militibus: quod non licebat sine senatus auctoritate, vel populi iussu.

*Praeposterus imperator*) Alii vocantur imperatores, quum hostes ceciderunt: hic ordine praepostero dictus est imperator, caeso ab hostibus eius exercitu: adeoque statuam, quam sibi Dyrrhachii poni voluit, non habuit suae bellicae virtutis monumentum, sed suorum flagitiorum indicium. Ferr.

inscribi incidique posset, Dyrrhachium ut venit, decedens, obsessus est ab iis ipsis militibus, quos paulo ante Torquato respondit beneficii causa ab se esse dimissos. Quibus quum iuratus affirmasset, se, quae deberentur, postero die persoluturum, domum se abdidit; inde nocte intempesta, crepidatus, veste servili, navem conscendit, Brundisiumque vitavit, et ultimas Hadriani maris oras petivit; quum interim Dyrrhachii milites domum, in qua istum esse arbitrabantur, obsidere coeperunt, et, quum latere hominem putarent, ignes circumdederunt. Quo metu commoti Dyrrhachini, profugisse noctu crepidatum imperatorem indicaverunt. Illi autem statuam, istius persimilem, quam stare celeberrimo in loco voluerat, ne suavissimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant. Sic odium, quod in ipsum attulerant, id in eius imaginem ac simulacrum profuderunt.

XXXIX. Quae quum ita sint, non dubito, quin, quum haec, quae excellunt, me nosse videas, non existimes, mediam illam partem, et turbam flagitiorum tuorum mihi esse inauditam. Nihil est, quod me hortere; nihil est, quod invites: admoneri me satius est. Admonebit autem nemo alius, nisi reipublicae tempus: quod mihi quidem magis videtur, quam tu unquam arbitratus es, appropinquare. Ecquid vides, ecquid sentis, lege iudiciaria lata, quos

CAP. XXXIX. *Ecquid vides etc.*) Legem iudiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus accusatus est Verres a Cicerone, tulit Aurelius Cotta prae-

*Inscribi incidique*) Sic est in aliquot edd. pr. Et revocavit Ern. Vulgo *incidi inscribique.*

*Istius persimilem*) Crepidatam, nam statuae fieri cum crepidis fere solebant. FERR.

*Sic odium, quod*) Ernestio rectius videbatur *sic quod odium.*

*Quod me hortere*) Ut tibi nomen deferam. MAN.

*Iudiciaria*) Intelligit legem Cn. Pompeii latam A. V. 698, qua ille

posthac iudices simus habituri? Non aeque legetur, quisquis voluerit: nec, quisquis noluerit, non legetur. Nulli coniicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simultatem coniicietur. Iudices iudicabunt ii, quos lex ipsa, non quos hominum libido delegerit. Quod quum ita sit, mihi crede, neminem invitus invitabis: res ipsa, et reipublicae tempus aut me ipsum, quod nolim, aut alium quempiam, aut invitabit, aut dehortabitur.

XL. Equidem, ut paulo ante dixi, non eadem supplicia esse in hominibus existimo, quae fortasse plerique, damnationes, expulsiones, neces: denique nullam mihi poenam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod sapienti, quod bono viro et civi potest. Damnatio ista, quae in te flagitatur, obtigit P. Rutilio, quod specimen habuit haec civitas innocentiae. Maior mihi iudicum et reipublicae poena illa visa est, quam Rutilii. L. Opimius eiectus est e patria, is, qui praetor et consul

tor, qua communicata sunt iudicia senatui, et equitibus Romanis et tribunis aerariis. Rursus deinde Pompeius in consulatu secundo, quo haec oratio dicta est, promulgavit, ut amplissimo ex censu, ex centuriis aliter quam antea lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent.

Cap. XL. *L. Opimius eiectus patria est* etc.) Notum est Opimium in praelegi Aurelii Cottae hoc caput adiecerat, ut iudices amplissimo ex censu e centuriis legerentur.

*Non iniquitas ad simultatem*) Sensus est: non iudices ii legentur, qui propter ambitionem honorum reorum benivolentiam aucupentur et apud eos gratiosi esse velint: neque ii qui propter iniquitatem reos damnare velint, ut *simultatem* exercere in eos possint. Faërnus e coniectura dedit *simulationem*.

*Coniicietur*) Lambinus maluit *connitetur*. Faërnus *conferetur*.

*Neminem invitus invitabis*) Invitus enim tu me quidam nunc ut tibi nomen deferam, sed invitus, in posterum vero lege Pompeia lata, neminem, ut nunc facis, *invitus invitabis*: ipsa invitabit res publica. Ad hoc verbum *invitus* pertinet illud quod supra dictum est c. 33, *trementibus labris*. Man. Frustra nonnulli, quos Ernestius sequutus est, correxerunt *invitum*.

*Quod nolim*) Propter Caesarem socerum tuum, mihi amicissimum. Man.

*Dehortabitur*) Fortasse reipublicae tempora dissuadebunt. Hot.

maximis rempublicam periculis liberarat. Non in eo, cui facta est iniuria, sed in iis, qui fecerunt, sceleris ac conscientiae poena permansit. At contra bis Catilina absolutus: emissus etiam ille auctor tuus provinciae, quum stuprum Bonae deae pulvinaribus intulisset. Quis fuit in tanta civitate, qui illum incesto liberatum, non eos, qui ita iudicarint, pari scelere obstrictos arbitraretur? An ego exspectem, dum de te quinque et septuaginta tabellae diribeantur; de quo iam pridem omnes mortales omnium generum, aetatum, ordinum iudicaverunt? Quis enim te aditu, quis ullo honore, quis denique communi salutatione dignum putet? Omnes memoriam consulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen a republica detestantur. Legati, qui una fuere, alienati; tribuni militum inimici; centuriones, et si qui ex tanto exercitu reliqui milites exstant, non dimissi abs te, sed dissipati, te oderunt, tibi pestem exoptant, te exsecrantur. Achaia exausta; Thessalia vexata; laceratae Athenae; Dyrrhachium et Apollonia exinanita; Ambracia direpta; Parthini et Bullienses illusi; Epirus excisa; Locri, Phocii, Boeotii exusti; Acarnania, Amphilochia, Perrhaebia, Athamanumque gens vendita; Macedonia condonata barbaris; Aetolia amissa; Dolo-

lura Fregellas cepisse: quo pacto visus est ceteros quoque nominis Latini socios male animatos repressisse, eundemque in consulatu Fulvium Flaccum consularem, et C. Gracchum tribunitium oppressisse, ob quam invidiam postea iudicio circumventus est, et in exsilium actus.

*Permansit*) Sic Grut. e MS. Erf. et Pal. Antea *remansit.*

*Iudicarint*) Ita edd. vett. nonnullae, et revocavit Ern. Vulgo *iudicarunt.*

*Obstrictos*) Hoc Graevius recepit e MSS. Vulgo *adstrictos.*

*Quinque et septuaginta tabellae diribeantur*) Totidem igitur numero iudices in huiusmodi causis constituebantur, senatores triginta, viginti quinque equites, viginti tribuni aerarii. Ferr.

*Reliqui milites exstant*) Recte hoc revocavit Ern. ex ed. Waldarf. Vulgo male *exsistunt.*

pes, finitimique montani, oppidis atque agris exterminati; cives romani, qui in iis locis negotiantur, te unum solum suum depeculatorem, vexatorem, praedonem, hostem venisse senserunt. Ad horum omnium iudicia tot atque tanta domesticum iudicium accessit damnationis tuae, occultus adventus, furtivum iter per Italiam, introitus in urbem desertus ab amicis, nullae ad senatum e provincia literae, nulla ex trinis aestivis gratulatio, nulla triumphi mentio: non modo quid gesseris, sed ne quibus in locis quidem fueris, dicere audes. Ex illo fonte et seminario triumphorum, quum arida folia laureae retulisses; quum ea abiecta ad portam reliquisti, tum tu ipse de te FECISSE VIDERI pronuntiavisti. Qui si nihil gesseras dignum honore; ubi exercitus? ubi sumtus? ubi imperium? ubi illa uberrima supplicationibus triumphisque provincia? Sin autem aliquid sperare volueras, si cogitaras id, quod illa tropaea, plena dedecoris et risus, te commentatum esse declarant: quis te miserior, quis te damnatior, qui neque scribere ad senatum, a te bene rempublicam esse gestam, neque praesens dicere ausus es?

XLI. An tu mihi, cui semper ita persuasum fuerit, non eventis, sed factis, cuiusque fortunam ponderari, neque in tabellis paucorum iudicum, sed in sententiis omnium civium, famam nostram fortunamque pendere, te indemnatum videri putas, quem socii, quem

*Domesticum iudicium accessit*) Vulgo additur *sententiae*, quod auctore Ernestio delevi.

*Nulla ex trinis aestivis gratulatio*) Supplicatio Diis decreta in gratiarum actionem: aestivorum autem meminit, quod aestas sit accommodatior rebus gerendis. ABR.

*Fecisse videri*) Id est, tum tu ipse de te capitalem sententiam pronuntiasti. Iudicum formula, quum reum damnabant.

*Fortunam ponderari*) Sic Ald. Lambin. Vulgo male inculcatur *dicere audes*. Deinde Lambin. dedit *e tabellis — e sententiis*.

foederati, quem liberi populi, quem stipendiarii, quem negotiatores, quem publicani, quem universa civitas, quem legati, quem tribuni militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, qui morbum effugerunt, omni cruciatu dignissimum putant? cui non apud senatum, non apud ullum ordinem, non apud equites romanos, non in urbe, non in Italia, maximorum scelerum venia ulla ad ignoscendum dari possit? qui se ipsum oderit, qui metuat omnes, qui suam causam nemini committere audeat, qui se ipse condemnet? Nunquam ego sanguinem expetivi tuum; nunquam illud extremum, quod posset esse improbis et probis commune, supplicium legis ac iudicii; sed abiectum, contemptum, despectum a ceteris, a te ipso desperatum et relictum, circumspectantem omnia, quidquid increpuisset, pertimescentem, diffidentem tuis rebus, sine voce, sine libertate, sine auctoritate, sine ulla specie consulari, horrentem, trementem, adulantem omnes, videre te volui: vidi. Quare, si tibi evenerit, quod metuis, ne accidat, equidem non moleste feram: sin id tardius forte fiet, fruar tamen tua indignitate; nec minus libenter metuentem videbo, ne reus fias, quam reum; nec minus laetabor, quum te semper sordidum, quam si paulisper sordidatum videbo.

*Se ipse condemnet*) Sic Graev. Ern. e cod. Erf. Vulgo *se ipsum*. Sed Ernestius anlea quoqoe pro *se ipse oderit*, dedil *se ipsum*, ubi lamen illod verius esse videlur, qood oppooitur *qui metuat omnes*.

*Sordidatum videbo*) Vulgo *viderem*; quod viliosum esse Guilielmus vidit, qui corrigebal *viderim*. Rectius Ern. *videbo*. Sed idem frustra transponenda verba pulabal sic: *nec minus laetabor, quum te paulisper sordidatum, quam si semper sordidum, videbo*. Aperte eoim sensus el nexos com superioribus hoc poslulat: *nec minus laetabor quum te semper sordidum* (h. e. abiectum, conlemplum) *quam si paullisper sordidatum* (h. e. accusatum, el propterea, in squalore, sordidis vestibus utentem) *videbo*.

# ORATIO

PRO

# T. ANNIO MILONE

RECENSVIT

AMEDEVS PEYRON

IN R. TAVRINENSI ATHENAEO LING. ORIENTAL. PROFESSOR

TYPOGRAPHI

# PRAEFATIVNCVLA

AD ORATIONEM PRO MILONE

*Etsi principio proposueram omnia Ciceronis Opera iuxta* Schvtzii *recensionem edere, non tamen ea mens erat, ut meliora abiicerem, si quae forte progressu temporis darentur. Quare, quum V. Cl. idemque doctissimus* Peyronvs *noster nonnulla nuper detexerit e schedis Taurinensibus, eudique curaverit, quae ad explendas huius orationis lacunas optime faciunt; quumque reliqua vitia mira quadam sollertia, magnoque labore, uti Praefationem legenti patebit, partim ex scriptis exstantibus, partim coniectura sanaverit: incuriosus prorsus haberer, si egregium Viri laborem praetermitterem. Accedit quod idem V. Cl. omnibus subsidiis instructus, novam accuratioremque recensionem instituit. Opus sane improbum, quod omnibus prope numeris absolutum fore ipse Auctor in Praefatione confidit.*

*Reliquum est ut pauca dicam de edendi ratione, quam servavi. Primo quidem textum ad Peyroni editionis fidem fere ubique repraesentavi, si nonnulla excipias, quae ad interpunctionem et orthographiam spectant, utpote ab in-*

*stituto meo aliena. Variantes deinde et animadversiones addidi, non quidem omnes, sed praecipuas; easdemque modo verbis meis, modo verbis Cl. Professoris conceptas, nomine vel lineola discretas. Codices vel editiones Lagomarsinianas ut plurimum summatim designavi. Nonnumquam etiam recedere a lectione vulgata satius mihi visum est; sed id perraro feci, semperque ea de re lectorem admonens. Ceterum, amice Lector, si quid minus recte aut minus concinne mihi excidit, veniam precor, et rogo, ut his quibuscumque utaris, boniquefacias.*

# DE LACVNIS

## ORATIONIS PRO T. ANNIO MILONE

Ornatissimam illam Ciceronis orationem pro Milone Clodianae caedis reo laborare lacunis nec fando fuerat auditum, nec Tullii adnotatores monuerunt. Propter insignem eius elegantiam frequenti manu illam versabant docti, scholasticae iuventuti praelegebant professores sapientissimi, multa, quae imitarentur, excerpebant oratores; at nemo aut vidit, aut est suspicatus, male multato contextu, atque interciso sensu, orationem plus semel hiare. Quare, quo magis meum hoc iudicium ipsa novitate praestat, eo etiam acrius mihi enitendum est, ut solidissimis argumentis illius veritatem communiam. Primum rationibus ex ipso orationis ordine desumptis lectores adducam in alterius lacunae suspicionem; deinde auctoritate pervetusti codicis lacunam simul confirmabo, simulque explebo; tandem multiplici coniectura alium locum significabo, quem ex Tullii membris antea disiectis, nunc iterum coalescentibus restitutum iri non tantum spero, sed plane confido. His in antecessum disputatis, propius accedam ad subsidia a me adhibita ad orationis textum expoliendum, scilicet ad collationem P. Lagomarsinii; (1) inde vero commoda enascetur occasio disserendi de indole codicum Tullianorum, qui in duplicem familiam mihi maxime distinguendi videntur.

Iam ordine retrogrado venio ad alteram lacunam. Constabat inter omnes Clodium a Milone interfectum fuisse in via Appia; quum ergo necis inficiatione haec causa defendi nequibat, tum alia ratio dissolvendi criminis quaerenda erat, qua recte ac iure factum esse iudicaretur. Placebat quibusdam asserere e republica fecisse Milonem, quum mortem Clodio intulit; quod argumentum secutus est M. Brutus in oratione, quam pro Milone composuit (leg. Quintil. III, 6, et Ascon. in Argum. pro Mil.) At secus visum est M. Tullio reputanti, nequaquam privato viro licere quemquam vel sceleratissimum interficere in-

(1) *Quae spectant ad hanc collationem, et alia nonnulla ad Maium V. C. pertinentia, Auctoris consensu praetermissa sunt, utpote a nostris rationibus aliena.* Typ.

iudicatum. Quare Tullius, postea quam n.° 3 disputasset, homicidium non continuo esse in criminibus deputandum, gladiumque nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus, n.° 4 proponit unicam totius suae defensionis rationem, inquiens: *Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, quum vi vis inlata defenditur.* Qua naturae lege semel constituta, reliquum erat, ut nihil iam aliud quaereretur, nisi *uter utri insidias fecerit*, atque vi vim inlatam propulsaverit n.° 9. Haec porro quaestio quum multis argumentis solvi poterat, tum maxime duobus; narratione caedis ad Bovillas factae, atque iudicatione coniecturali (Quintil. III, 11), *utri in utrius morte aliqua esset proposita utilitas.* Iam vero rem gestam in via Appia ita exponit Cicero n.° 10, 11, ut vi victam vim, vel potius oppressam virtute audaciam esse colligat. Tum n.° 12 his verbis ad alterum argumentum venit: *Numquid igitur aliud in iudicium venit, nisi uter utri insidias fecerit? Profecto nihil. Si hic illi, ut ne sit impune; si ille huic, ut scelere solvamur. Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est in illa quidem tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum* Cui bono fuerit *in his personis valeat; etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur*, et cetera quibus Tullius, demonstrat, Clodium, Milone interfecto, magna sperare potuisse, praeturam in primis omni metu solutam, atque liberam sacerrimarum legum promulgationem. At perfecto-ne argumento usus esset Cicero, nisi vicissim evixisset, Miloni non modo nullam spem in morte Clodii fuisse propositam, verum etiam maximam utilitatem ereptam? Atqui hanc alteram argumenti partem concludit Tullius iis verbis n. 13: *Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodii mors Miloni*, illam ergo tractaverat. Quod si verum est, quemnam esse transitum dicemus a prima ad alteram argumenti partem? Equidem non video. Illum Ernestius ponebat in verbis *At nunc P. Clodio remoto* n.° 13. Vellem scire quid tandem Vir Cl. de praecedenti capite *P. Clodi Praeturam non sine maximo* etc. decernebat. Quae verba si, uti vident omnes, significant Milonem, vel vivo Clodio, non modo fasces consulares adepturum fuisse, verum etiam eo facilius, quo suffragationem consulatus habuisset in Clodio; iam erit dicendum

illa ita pertinere ad alteram demonstrationis partem, ut evincant Clodii mortem obfuisse Miloni consulatum petenti. Sed nonne recta argumentadi ratio postulabat, ut primum demonstrsretur nihil Miloni profuisse Clodii mortem, deinde vero obfuisse? Saltem verba, quibus argumentum concluditur, *Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodi mors Miloni* innuunt bipartitam fuisse hanc probationis partem; frustra vero in vulgatis editionibus requiro primam particulam *nihil prodest*. Ad haec, quum Tullius in hoc Cassiano argumento multum praesidii poneret, atque ad illud vellet quam maxime intentos iudices, putabimus-ne nova *propositione* usum non fuisse, quum ad alteram argumenti partem digrediretur? Propositionem desiderabat ipsum argumentum, ut insignius eniteret, atque vividius percelleret auditorum animos. Propositionem exposcebat ille excursus de Sexto Clodio inter utramque demonstrationis partem interpositus; qui licet pugnacitatem argumentorum commoda egressione fregisset, animos tamen iudicum alio avocaverat. Iam ergo rediturus orator, unde paullo deverterat, si, ut est in editionibus, ita exordiatur: *P. Clodi praeturam non sine maximo rerum novarum metu* etc., quis hic non desideret commodum transitum, novam propositionem, primam bipartitae probationis particulam, quis non requirat liquidum Tullii ordinem, atque adeo Tullium ipsum?

Est enimvero, est lacuna ante comma *P. Clodi praeturam*, quod male secum cohaeret. Hanc vero qua ratione explebimus? Dicam quod res est. Haec disputabam ut lectoribus approbarem novum additamentum, quod suppeditat folium 24, 31. Tauriaensis Palimpsesti, quod ita mihi supplendum, emendandum, atque distinguendum videtur.

» *Audistis, iudices, quantum Clodio pro*fuerit occidi Milonem: » convertite animos nunc vicissim ad Milonem. Quid Milonis » intererat interfici Clodium? Quid erat, cur Milo, non dicam, » admitteret, sed optaret? Obstabat in spe consulatus Miloni » Clodius. At eo repugnante fiebat; immo vero eo fiebat magis; nec me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio. Valebat apud vos, iudices, Milonis erga me remque publicam » meritorum memoriam; valebant preces et lacrimae nostrae, » quibus ego tum vos mirifice moveri sentiebam; sed plus multo » valebat periculorum inpendentium timor. Quis enim erat civium, qui sibi solutam P. Clodi praeturam sine maximo rerum » novarum metu proponeret? Solutam autem etc.

Quam belle hoc additamentum cum universo contextu cohaereat, quam eximie argumenti vim perficiat, atque alteram demonstrationis partem ita extrahat ex digressione, ut illam in conspectu iudicum ponat, sentiunt omnes. Habemus conclusionem primae partis *Audistis, iudices, quantum Clodio profuerit occidi Milonem*; habemus novam alterius partis propositionem *convertite animos nunc vicissim ad Milonem*; habemus demonstrationem, qua orator efficere satagit Miloni non profuisse mortem Clodii; in verbis *nec me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio*, praeoccupata habemus, immo enarrata illa, quae mox sequuntur *suffragationem consulatus ... perdidit*; uno verbo dicam, habemus Tullium ipsum.

Altera lacuna ope codicis Taurinensis expleta, ad primam indicandam venio, quae, non secus ac illa, ignota est.

Me iterum iterumque legentem numerum 12 huius orationis semper illa verba male habebant: *Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, quum omnia omnibus minabatur. Movet me quippe lumen curiae.* Sanissimus fateor, quam qui alius, est locus iste, quippe iisdem plane verbis laudatus ab Asconio in Commentario, et a Quintiliano lib. IX, 2. At quo pacto dicemus haec cum praecedentibus cohaerere? mihi quidem ista cum superioribus per vim cuneata videntur. Statuebam ergo lacunam esse post verba *deferre posses.* Quam suspicionem a contextus consideratione mihi iniectam confirmat etiam Palimpsestus Taurinensis.

Enimvero est mihi folium 25, 30, quod incipit a verbis *sunt partim cum ad raedam* n.° 10 p. 247 lin. 26 edit. Patavinae ad usum Delph. a. 1754 in 4.°, atque desinit in verbis *in his personis valeat* n.° 12 p. 249 lin. 1; quare lineas sex supra triginta Patavinae editionis tenet, quem linearum Patavinarum numerum contineri animadverti in singulis Palimpsesti foliis. Sequens ergo folium (quod periit) incipiebat iis verbis *etsi boni nullo emolumento*, atque claudebatur verbis *audistis iud. quantum Clodio pro.* Atqui a verbis *etsi boni* ad illa *irasci certe non debeo. Audistis iud. etc.* sunt lineae Patavinae triginta supra dimidiam; ergo deperditum folium continebat quinque lineas Patavinas, quae in editione desunt.

Praeterea nonne ante verba *P. Clodi praeturam* lacuna erat plurium versuum? Quid hoc? scilicet illae lineae exciderant in pervetusto codice, a quo recentiores scripti libri manarunt, fortasse quia membranae pars vel intercisa desiderabatur, vel

evanida, erosa, legentium oculos fugiebat, vel in lacinias abibat; adde ceteros casus, quibus scheda aliqua male multari possit. Quum igitur in pagina aversa illae lineae *fuerit occidi Milonem convertite animos . . . quis enim erat civium qui sibi solutam* excidissent, quid mirum, si in eiusdem folii pagina recta ipsae illae lineae, quae ex adverso respondebant, pari casu exciderint? Rem, quam innuo, probe tenent philologi vetustis codicibus tractandis assueti, atque paria exempla bene multa vidi in Ambrosianis et Taurinensibus palimpsestis. Tum facile quisque intelligit, quod ego coniicio, ita scribi potuisse pervetustum illum codicem, ut verba *deferre posses* n.° 12 essent iu pagina recta, iisque ex adverso in pagina versa responderent alia *irasci certe non debeo*. Nec dicere fas est, hanc quinque versuum lacunam ponendam esse ante verba *fuerit occidi milonem convertite* etc. Nam in verbis *irasci certe non debeo* video concinne absolutam egressionem de Sexto Clodio, quae incipit iis verbis *Quid? tu me iratum* etc. Porro *iratum* fuisse intellexerat Cicero, quum illum *adspexerit illis quidem oculis*. Haec itaque secum ita cohaerent, ut nulla lacunae suspicio locum habere possit. Conclusio primae argumenti partis longior esse nequibat iis verbis *audistis iudices quantum Clodio profuerit occidi Milonem*; nam conclusio alterius partis paucis etiam hisce verbis continetur *non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodi mors Miloni*. Vix ergo perpauca verba inserenda sunt inter *irasci certe non debeo*, et alia *fuerit occidi Milonem*.

Contra, imperfectam esse atque hiulcam orationem ante verba *et adspexit* mihi luculenter suadent rhetoricae rationes. Dixerat enim Tullius: *Exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum, quod te aiunt eripuisse domo, et ex mediis armis turbaque nocturna, tamquam Palladium, sustulisse, ut praeclarum videlicet munus atque instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses*. Scilicet Tullius maiorem in modum a Sexto Clodio efflagitaverat, ut librarii copiam sibi faceret; maxima vero fit oratoris efflagitatio, si cum Garatonio ter legas *exhibe, exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum*. Vide enixam Tullii in iubendo contentionem? Palladium e flammis ereptum, praeclarum munus, instrumentum tribunatus, sesquipedalis ipsa periodus, omnia anxiam in auditorum animis expectationem concitant de librario quidnam monstri tandem contineat. Orator etiam atque etiam

iubet; auditores summa expectatione pendent. Quid Tullius feret dignum tanta tamque sollemni efflagitatione? Nihil, praeter-eaque nihil; subdit enim *et adspexit me illis quidem oculis.* Vnane alterave linea librarii fuit praelecta, qua, veluti specimine, auditores excitatum desiderium explerent, simulque intelligerent, fuisse illas leges faces urbis ac pestes reipublicae? Nihil est praelectum; sequitur enim *et adspexit me illis quidem oculis.* Cur ergo Tullius iussit exhiberi ab adversario librum, cuius ne una syllaba quidem est recitata? — Locus est mutilus. Nonne haec figura natura sua comparata est, ut instar exordii sit, quod consequatur unius aut alterius iniquissimae legis recitatio, sicque maior invidia in adversarium concitetur? Atqui nihil recitavit orator. Nisi ergo locus sit hiulcus, oratorem desidero.

Hisce argumentis adductus quum persuasum haberem locum laborare lacuna, contuli me ad lectionem antiquorum rhetorum, si forte aliquid invenirem, quod orationi redintegrandae conduceret. Ne multus sim, incidi tandem in hunc Quintiliani locum IX, 2: « Ἀποσιώπησις, quam idem Cicero *reticentiam*, Cel» sus *obticentiam*, nonnulli *interruptionem* appellant, et ipsa » ostendit aliquid affectus, vel irae, ut

*Quos ego: sed motos praestat componere fluctus*

» Vel sollicitudinis, et quasi religionis: *An huius ille legis,* » *quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus* » *esset, vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim om-* » *nium non audeo totum dicere.* » Vix verba legi, atque huc esse aptanda sensi; credo enim in anima esse vim aestheticam. *Vivo Milone, ne dicam consule*, Clodius ausus non fuisset hanc legem proponere? ergo haec Tullii sunt demonstraturi Clodio profuturam fuisse Milonis mortem, ut leges suas, hanc vero potissimum, rogaret. *Quam Clodius a se inventam gloriatur?* ergo sermo erat de Sexto Clodio, quem iusserat librarium legum exhibere; si enim Publium Clodium innuisset, utique scripsisset *gloriabatur*, e vivis enim excesserat. Quare locus ita est enarrandus. « An huius ille (Publius Clodius) legis, » quam Clodius (Sextus Clodius) a se inventam gloriatur, » mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam con» sule? » Atqui in contextu n.° 12, Tullius insectabatur leges Publii Clodii, quas Sextus Clodius amanuensis simul, simulque auctor in codicem retulerat. Nisi ergo omnia me maxime fallunt, Tullii periodus a Quintiliano servata in hunc conte-

xtum apposite cadit. Atque hoc Ciceronis fragmentum fuisse ab oratione pro Milone excerptum viderant adnotatores Quintiliani, sed quum in edito textu nuspiam illud legerent, id consilii ceperunt, duce in primis Gesnero adnot. ad h. l. Quintil., ut statuerent, illud derivatum esse ab oratione in foro recitata, non item ab illa literis mandata pro Milone

Sed mihi integram lacunam implere satagenti obversabantur ea verba: *An huius ille legis.* Cuiusnam malum? Dubium mihi exemerunt haec verba pro Milone n.° 32, *incidebantur iam domi leges, quae nos servis nostris addicerent*, tum alia n.° 33, *lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus, servos nostros libertos suos fecisset.* Si igitur Cicero specimen saccerrimarum Clodii legum exhibiturus hanc commemoravit n. 32, et 33, quae de servis esset, quidni censeam hanc quoque indicatam fuisse n. 12, ante verba *An huius ille legis* etc.?

Qua opinione quum firmissime tenerer, iterum multa legi a Cicerone et Rhetoribus scripta, tandem incidi in hunc locum Scholiastae Ambrosiani ad Orationem: *pro Aere alieno Milonis* (M. T. Ciceronis sex orationum partes ed. Angelo Maio. Mediol. 1817, pag. 97). En illum ad fidem editionis Cl. Mai.

IV. 1. *Nec suffragia dabis quibus ostentas.*

» Comminatur et denuntiat se actionibus eius adversarium » futurum, nec in legationem cum Pompeio discessurum. La» turus autem de suffragio libertinorum P. Clodius legem vide» batur, ut et (istorum in censum) aequaliter perveniret.

2. *Nec vero illam nefariam libertatem.*

» *Suffragii scilicet libertinorum, cuius* legis mentio fit in ora» tione, quae habita est pro Milone.

3. *Atque per . . . de nostrorum omnium non audeo totum dicere. Videte quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est.*

» Opinio erat legem etc.

Itaque post verba *Atque per* est lacuna, quae iisdem verbis concluditur, ac Tullii locus a Quintiliano servatus. Qui vero secum reputaverit Ciceronem tanta verborum ac figurarum copia praestasse, quanta par esset eidem ideae variatis verbis convestiendae, ut adeo Tullius in variis orationibus easdem phrases

nunquam verbum de verbo exscripserit, quod Homerus fecit; nae ille iudicabit, mutilum Scholiastae locum supplendum esse fragmento Quintiliani, hoc modo.

« Atque per . . . an huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim omnium, non audeo totum dicere. »

Iam vero quid erat, cur Cicero de aere alieno Milonis disputans diceret *vivo Milone, ne dicam consule*? Anne de morte Miloni aut inferenda, aut illata agebatur? Nonne Clodius inter vivos erat? Vivebat, imo in Senatum venerat; imo rempublicam suis latrociniis vexabat, multa sperabat; quidni ergo potuisset nefariam legem proponere? Atqui verba *habitura fuerit* non nisi post Clodii mortem dici potuerunt. Hoc ergo fragmentum non ad orationem *pro aere alieno Milonis* pertinet, sed ad nostram *pro Milone*. Quare verba *atque per . . . reprehensio est* non uti textus orationis *de aere* erant proponenda, sed ad superius commentarium revocanda, ut Scholiasta scripserit: *legis mentio fit in oratione, quae habita est pro Milone: Atque per . . . reprehensio est*. Laudavit adeo Scholiasta ipsa verba Orationis pro Milone, quemadmodum p. 168 excitavit locum libri I de officiis, ac Xenophontis Cyropaediae.

Probe video me turbasse ordinem, quo Cl. Mai textum discriminaturus a commentario dispensavit verba codicis; sed distributionem a me propositam admittit codex ipse Ambrosianus. Enimvero textus a sequenti commentario quandoque ita secernitur in palimpsesto, ut prima littera textus pingatur maiuscula in externa ora laterculi, quod hodierna consuetudo frequentat; quandoque intra lineam incipit textus, spatiolo interiecto post extremam praecedentis scholii vocem. Praeterea sunt loca, in quibus continenti scriptionis serie textus cum commentario omnino confunditur. Iam vero in controverso loco ante verba *legis mentio fit* vacuum interiacet spatiolum. Quid hoc tandem rei est? « Huiusmodi spatia vacua haud raro occurrunt in codice, » quae replenda videntur modo voculis graecis, quas librarius » quia graeci fortasse erat ignarus, omisit; modo latinis, quas » idem librarius ideo forsitan non scripsit, quia exscribebat e » codice corrupto, aut mutilo. » Haec monebat Cl. Mai p. 63 nota (2). Quum codicis aetas distet ab illa auctoris vix uno alterove saeculo, dubitari potest de tanta tamque frequenti corruptela, quantam arguerent vacua spatia, quae passim offen-

duntur in codice. Quare equidem coniecerim hoc commentarium exscriptum fuisse ex adnotationibus, quas vir eruditus in usum suum vel in adversaria retulerat, vel orae codicis Tulliani adleverat, sed male conscribillatis, in quibus frequentes liturae officerent lectioni, cuiusmodi esse solet primum operis tentamen offusum, uti fit, lituris, emendationibus, additamentis quaquaversus exaratis. Quum itaque librarius paucarum literarum homo offendisset huiusmodi exemplar, hunc confecit codicem, in quo multa errata admisit vel in Tulliano textu proponendo, quod ex orationibus pro Archia, Sylla, et Plancio, facile constat; ordinem textuum perturbavit, uti quisque videt pro Plancio XXXIV, 1, et XXXIV, 2; tandem multis vacuis spatiis testatus est, se continentem orationis seriem haud potuisse expiscare in Scholiastae autographo. Quae coniectura eo spectat, ut dubium eruditis eximam, utrum tot veniant inserendae voces, quot recipiendis par sit vacuum spatium. Sane Cl. Editor optima quandoque divinatione lacunas supplevit eo literarum numero, quem non admitteret vacuum schedae spatiolum. Sic in proposita pag. LXXVI Vir Cl. his verbis *suffragii scilicet libertinorum cuius* supplet vacuum spatium ante verba *legis mentio.*

Quae quum ita sint, haud video quid officere possit distributioni textus a me superius propositae. Nihil etiam vetat, quominus in spatiolo unius versus desiderentur tres, quinque, vel decem lineae; maxime si citandus erat notissimus locus, cuiusmodi ille erat orationis pro Milone. Sic in Tulliano textu describendo multa verba omissa vide Orat. pro Plancio n.° X, 1, XI, 1, XXVIII, 2. Atque utinam Ambrosianus Scholiastes laudasset integrum textum Milonianae orationis *Atque per . . . de nostrorum*; haberemus enim suppletam, quam hucusque demonstravi, lacunam. Sed quando vix prima et postrema verba supersunt, ad coniecturas confugiendum est, quas antequam proponam, attentius perpendam duo laudata loca Interrogationis, in quibus non una tantum lex indicatur, quod visum est Cl. Maio, sed duae diversae leges Clodianae innuuntur, quod Garatonius (M. T. Ciceronis Oratio pro Milone cum adnotat. Bononiae 1817 pag. 212) optime vidit. En primam:

*Nec suffragia dabis quibus ostentas*

« Comminatur, et denunciat se actionibus eius adversarium » futurum, nec in . . . onem cum Pompeio discessurum. Latu-

» rus autem de suffragio libertinorum P. Clodius legem vide-
» batur, ut et *ipsis* cum *ingenuis* aequaliter *pertineret.* »

Ita enim suppleo. Recole quae Asconius ad Milonianam XXXII adnotat: *Significasse iam puto nos, fuisse inter leges P. Clodi, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quae propriae ingenuorum sunt, ferre.* Prima ergo lex Clodiana communicabat libertinis illud suffragii ius, quo gaudebant ingenui, ut non solum in urbanis tribubus suffragium ferre possent, verum etiam in rusticis cum civibus ingenuo loco natis. Eo spectaverat Appius Claudius, quum, *humilibus per omnes tribus divisis, forum et campum corrupit* Liv. IX, 46; at, non ita multo post, Q. Fabius, *ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, urbanasque eas adpellavit.*

Altera lex ita proponitur:

*Nec vero illam nefariam libertatem* (sub. *dabis*).

« *Huius* legis mentio fit in oratione, quae habita est pro
» Milone: *Atque per . . . de nostrorum omnium: non audeo*
» *totum dicere. Videte quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius*
» *periculosa etiam reprehensio est.* » Opinio erat legem etc.

Ita enim edendus atque supplendus est locus. Nam si haec etiam intelligenda sunt de suffragio libertinis ampliando in rusticis tribubus, quaero qui tandem hoc suffragium appellasset *nefariam libertatem?* Nonne legitima, ac iusta libertate fruebantur libertini? Clodius ergo libertatem ipsis impertiri nequibat, quam iure possidebant. Contra, verbis constat sua veritas, si haec de servis intelligantur, quos nefarie in libertatem asserere meditabatur Clodius. At statuemusne omnes omnino servos Clodium manumissurum fuisse unica lege? Incredibile hoc foret, absurdum, atque supra Clodianam audaciam. Superest itaque, ut unum tantum servorum genus manumittere conaretur Clodius, hoc vero potissimum. Scilicet norunt omnes medium fuisse gradum inter iustam libertatem, atque servitutem. Nam servi, qui neque vindicta, neque censu, neque testamento, sed per epistolam, aut inter amicos, aut adhibitione ad convivium manumissi fuerant, libertate quidem utebantur intra domesticos parietes, at nulla civilia iura sive Latinorum, sive Quiritium consequebantur; nonnisi anno V. C. DCCLXXI, lege Iunia Norbana ius Latinum ipsis concessum est. Clodius igitur suorum

suffragatorum numerum amplificaturus legem excogitaverat, qua eiusmodi servis iusta libertas a iure concederetur, ac Romana civitas. Iam, lege Clodiana, in ordinem libertinorum allecti, per universas rusticas tribus, non secus ac libertini (quod prima lege Clodius proposuerat) dispertiti fuissent, atque adeo comitia in libertinorum manum venissent. Hanc legem apertissime innuit Cicero pro Milone n.° 33: *lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset.* Recte *fecisset libertos suos*, eos enim sua lege Clodius manumittebat. Fac nonnisi unicam fuisse Clodii legem, scilicet suffragii libertinis ampliandi, aqua tibi haerebit interpretanti ea verba *servos nostros libertos suos fecisset.* Libertini enim Romani servi dici nequibant, nec libertini Clodiani. Paria dic de alio orationis loco n. 32: *incidebantur iam domi leges, quae nos nostris servis addicerent.* Ratum itaque sit, duas leges excogitatas fuisse a Clodio, alteram de libertinis, alteram de servis; hanc vero potissimum insectatum fuisse Ciceronem, maxime n. 32 33. Iam quum Scholiasta Ambrosianus *nefariam* hanc *libertatem* enarrans, quam Clodius servis daturus erat, dicat huius legis mentionem fieri in oratione pro Milone, atque commemorari iis quidem verbis: *Atque per . . . reprehensio est*; tum iure videor colligere posse quid tandem in Miloniana supplere debeam. Restat, ut iis verbis hanc legis recitationem convestiam, quae proxime accedant ad stilum Ciceronis. Mihi vero ista probabilia videntur: « Atque per*multas leges praeter ius* « *et aequitatem excogitatas quum recitare possem, unam tantum* » *exponam, iudices, ceterarum omen atque firmamentum. Ille* » *enim maiora suis legibus suffragia, atque latrociniis arma* » *comparaturus constituerat, ut servis, qui privata dominorum* » *voluntate manumissi in libertate morabantur, iusta libertas,* » *ac civitas Romana cum suffragio in rusticis tribubus ipso iure* » *daretur.* An huius ille legis, quam Clodius a se inventam glo- » riatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam » consule? De nostrûm enim omnium: – non audeo totum di- » cere. Videte quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa » etiam reprehensio est. Et adspexit me illis quidem oculis etc. » Neque plura, neque pauciora supplenda mihi videbantur, ut in utraque lacuna par esset desideratorum versuum numerus. Ad hunc modum video haud frustra efflagitatum esse Clodii librarium a Cicerone. Hic enim recitavit, ne multus esset, unam legem, quae ceterarum erat omen atque specimen luculentissi-

mum. Tum monuit iudices, hanc legem nunquam propositurum fuisse Clodium, vivo Milone; nam tantum vitii habebat, ut, vel mortuo Clodio, non sine periculo reprehendi posset. Sextus, audita legis recitatione, incensus ira fingitur minaces oculos in oratorem convertisse; quod nihil est, nisi oratoria transitio ad ea, quae sequuntur de Sexto. Mene ludit amabilis insania, an recta argumentatione lacunam felicissime supplevi? Iudicent docti viri.

Iam quum omnes manu typisve descripti libri, qui in nostris bibliothecis servantur, laborent duabus lacunis a me in Miloniana detectis, facile quisque colliget, hodiernos codices ab uno antiquissimo libro manasse, qui in eo orationis folio detrimentum temporis fuerat expertus. Sed librum non tantum hoc in folio fuisse laciniosum, atque mutilum, verum etiam habuisse passim detritas membranas, voces hiulcas atque evanidas, mihi maxime suadent loca Orationis *ut fit religione aliqua* §. 9, *iudiciumne timui* §. 14, *nefarie fecisti* §. 12, (Codex 43 Lagomars. habet *nec' ie*). Nam hisce in locis sunt codices, qui vacua spatia monstrant interposita, atque adeo declarant, in primaevo libro vix superfuisse literarum evanidarum lineamenta; sunt alii, qui lacunam impleant lectionibus adeo dissimilibus, et secum pugnantibus, ut appareat illas non amanuensium oscitantiae et vocum affinitati aut raritati acceptas esse referendas, sed vario grammaticorum ingenio, qui, pro se quisque, textum redintegrare satagebant; mitto codices, qui spatiolum vacuum, lacunae indicem, penitus praetermiserunt. Interea Erfurtensis tantum et Bavaricus codex veram lectionem servaverunt §. 9 et 14. Iidem saepe codices, nec non Coloniensis, Saxonicus, et Werdensis eas praeseferunt optimas lectiones, quae frustra in Lagomarsinianis omnibus libris requiruntur. Quibus in antecessum praestitutis, iam videor recte posse hanc coniecturam proponere. Fac duos amanuenses ad eundem illum librum exscribendum accessisse, quem nuper laciniosum atque vetustate detritum esse demonstrabam. Horum alter doctrina praestiterit, atque acuta oculorum acie; alter latinis literis vix tinctus praepropere munere suo fuerit defunctus. Exemplar primi amanuensis optimam lectionem praeseferet, multa servabit vestigia veteris orthographiae, paucis etiam scatebit lacunis. In exemplari alterius librarii passim offendes lacunas, atque lectiones haud probabiles, quas vel festina indiligentia peperit, vel praepostera interpretatio evanidae vocis. Progressu temporis antiquissimus ille archetypus maiora

temporis detrimenta passus in lacinias abiit, atque disperiit, quin tanti codicis casum aut praecaverent, aut dolerent librarii; nam habebant recentissima illa duo exemplaria. Subinde ad horum fidem alii atque alii codices descripti sunt, adeoque alia atque alia menda pedetentim accesserunt, pro varia amanuensium diligentia et doctrina. En duo genera codicum Tullianorum. Ad primam eamque nobiliorem familiam pertinent codex Coloniensis, Bavaricus, Erfurtensis, qui caeteris praestant; proximi his accedunt codex Saxonicus, Werdensis, Pithoeanus; eandem quoque originem, sed multis librariorum erratis deturpatam, praeseferunt pauci ex Britannicis, atque 43 Lagomarsinianus, nec non emendationes a secunda manu additae codicibus 6 13 18 eiusdem Lagomarsinianae collectionis. Ad alteram deteriorem familiam pertinent ceteri codices Italici a Lagomarsinio collati, nec non Taurinenses, atque Ambrosiani bene multi, tandem editiones omnes saeculo XV in Italia impressae. Itaque Italia plures numerat codices, paucos optimos; contra Germania servat praestantes libros. Enimvero plerique Italici libri Tullianarum orationum saeculo XIV et XV descripti sunt, quod de Laurentiana, Taurinensi, aliisque bibliothecis constat ex editis Catalogis, atque de Ambrosiana iudicium ferri potest ex diligentissimo elencho a Cl. Mai instituto (ad calcem alterius editionis Fragmentorum Ciceronis). Vniversa autem haec librorum multitudo originem suam refert duobus vel tribus codicibus antiquioribus; rari enim erant Dantis aetate Tulliani libri, neque omnes in hominum manibus versabantur; tum hos codices nostrorum parentes ad deteriorem familiam pertinuisse luculenter evincit collectio Lagomarsiniana. Semel ac vero eruditi affluebant novitiis exemplaribus lectu et comparatu facilioribus, iisdemque cum omni ornamento pictis, neglectui habuerunt vetustiores codices, quorum adeo pars magna periit. Iam si a censu nostrorum codicum eximas universos hosce libros saeculi XIV et XV, pauci remanent, quos optimos credere iuvat, atque diligenter collatos vellem; sic Codex Ambrosianus C. 29, part. inf., atque alii non multi. Contra quum in Germania literae serius demum fuerint excitatae post inventam typographiam, desideratur turba recentiorum librorum, atque vetustiora exemplaria diligentius servata sunt; forte etiam fortuna contigit, ut priscis temporibus unum et alterum exemplar bonae familiae illuc fuerit delatum. Sed, licet nostrae famae plus obsit, quam prosit Tullianorum codicum numerus; Italia tamen gloriatur

se habere codicem antiquissimum Basilicae Vaticanae, rescriptas schedas .... Quamquam quorsum haec disputo? Classica litteratura ad Europam universam spectat; nihil ergo refert, quae provincia meliores codices possideat, dummodo omnium provinciarum opes simul collectae germanum tanti Oratoris textum restituant. Poggius ab Helvetia et Gallia novas ad eruditos saeculi XV adtulit orationes; Lambinus, et Gronovius multa emendarunt ad fidem codicum Germanorum; Ernestius de textus puritate bene est meritus; Garatonius tempestate suis conatibus iniquissima coniecit meliora, habuitque ex Bavarico; nuperrime ex Italiae palimpsestis prodierunt fragmenta inedita; simulque editarum orationum lectiones eximiae. Quamvis codicum familia non una sit, quod explicasse videor; tamen restitutores operum Tullii ad unam pertinere debent eandemque criticam familiam. Controversias de municipali gloriola delet dies, optimae criticae iudicia confirmat.

# ORATIO

PRO

# T. ANNIO MILONE

Hanc dixit Cn. Pompeio III consule, a. d. VI Idus april. Quod iudicium quum ageretur, exercitum in foro et omnibus in templis, quae circum forum sunt, collocatum a Cn. Pompeio fuisse, non tantum ex oratione, et annalibus, sed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inscribitur: *De optimo genere Oratorum*. Ascon.

## ARGVMENTVM

T. Annius Milo, et P. Plautius Hypsaeus, et Q. Metellus Scipio consulatum petierunt, non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti. Miloni, et Clodio summae erant inimicitiae, quod et Milo Ciceronis erat amicissimus, in reducendoque eo enixe operam reip. dederat, et P. Clodius restituto Ciceroni erat infestissimus, ideoque summe studebat Hypsaeo, et Scipioni contra Milonem. Ac saepe inter se Milo et Clodius cum suis factionibus Romae depugnaverant: et erat uterque audacia par; sed Milo pro melioribus partibus stabat. Praeterea in eundem annum consulatum Milo, Clodius praeturam petebat; quam debilem futuram consule Milone intelligebat. Deinde quum diu tracta essent comitia consularia, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, et ob id mense ianuario nulli dum neque consules, neque praetores essent, trahereturque dies eodem quo antea modo, dum Milo quamprimum comitia confici vellet, conficeretque quum bonorum studiis, qui obsistebant Clodio, tum etiam populi, propter effusas largitiones, impensas quoque ludorum scenicorum ac gla-

diatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudisse eum Cicero significat; competitores vero eius trahere vellent, ideoque Pompeius gener Scipionis, et T. Munatius tribunus pl. referri ad senatum de patriciis convocandis, qui interregem proderent, non essent passi, quum Interregem prodere moris esset: a. d. XIII. Cal. Feb. (acta etenim magis sequenda, et ipsam orationem, quae actis congruit, puto, quam Fenestellam, qui a. d. XIIII Cal. Feb. tradit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, et ibi tum dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die. Occurrit ei circa horam nonam Clodius paulo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonae Deae sacellum est. Erat autem allocutus decuriones Aricianorum. Vehebatur Clodius equo. Servi XXX fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti sequebantur. Erant cum Clodio praeterea tres comites eius, ex quibus eques Romanus unus C. Cassinius Schola, duo de plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo rheda vehebatur, cum uxore Fausta filia L. Sullae dictatoris, et M. Fusio familiari suo. Sequebatur eos magnum servorum agmen; inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus, et Birria. Hi in ultimo agmine tardius euntes, cum servis P. Clodii rixam commiserunt. Ad quem tumultum quum respexisset Clodius minitabundus, humerum eius Birria romphaea traiecit. Inde quum orta esset pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano delatus est. Milo, ut cognovit vulneratum Clodium, quum sibi periculosius iudicium vivo eo futurum intelligeret, occiso autem magnum solatium esset habiturus, etiam si subeunda esset poena, exturbari tabernam iussit. Fuit antesignanus servorum eius M. Fustenus. Atque ita Clodius latens extractus est, multisque vulneribus confectus. Cadaver eius in via relictum, quia servi Clodii aut occisi erant, aut graviter saucii latebant. Sex. Tedius senator, qui forte ex rure in urbem revertebatur, sustulit, et lectica sua Romam ferri iussit. Ipse rursus eodem, unde venerat, gressum recepit. Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam, infimaeque plebis et servorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Augebat autem facti invidiam uxor Clodii Fulvia, quae cum effusa lamentatione vulnera eius ostendebat. Maior postera die, luce prima, multitudo eiusdem generis confluxit, compluresque noti homines elisi sunt, inter quos C. Vibienus senator. (Erat do-

mus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio.) Eodem Munatius Plancus frater L. Planci oratoris, et Q. Pompeius Rufus Sullae dictatoris ex filia nepos, tribuni pl. accurrerunt; eisque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum ac sauciatum sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit, et in Rostris posuit. Ibi pro concione Plancus et Pompeius, qui competitoribus Milonis studebant, invidiam Miloni fecerunt. Populus, duce Sex. Clodio scriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis, et tribunalibus, et mensis, et codicibus librariorum. Quo igne et ipsa quoque curia flagravit, et item Porcia basilica, quae erat ei iuncta, ambusta est. Domum quoque M. Lepidi interregis (is enim magistratus curulis erat creatus), et absentis Milonis, eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit. Deinde sagittis repulsa est. Tum fasces ex lecto Libitinae raptos attulit ad domum Scipionis et Hypsaei, deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modo consulem, modo dictatorem. Incendium curiae maiorem aliquanto indignationem civitatis moverat, quam interfectio Clodii. Itaque Milo, quem opinio fuerat ivisse in voluntarium exsilium, invidia adversariorum recreatus, nocte ea redierat Romam, qua incensa erat curia, petebatque nihilo deterius consulatum; aperte quoque tributim in singulos millia assium dederat. Concionem etiam ei post aliquot dies dedit M. Celius tribunus pl. et Manilius Canianus eius collega, ipsiusque causam etiam ad populum probabant. Dicebant utrique, Miloni a Clodio factas esse insidias. Fiebant interea alii ex aliis Interreges, qui comitia consularia, propter eorum candidatorum tumultus et easdem manus armatas, habere non poterant; itaque primo factum erat S. C. ut Interrex et tribuni pl. et Cn. Pompeius, qui pro consule ad urbem erat, viderent ne quid detrimenti resp. caperet, delectus autem Pompeius tota Italia haberet. Qui quum summa celeritate praesidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustae uxoris eius exhibendam duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, et ob id illi patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur. Easdem Faustae et Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos et Leo, et L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam, et comitum eius postulavit eodem tempore Celius; familiam Hypsaei et Q. Metelli, Manilius Caninianus eius collega. Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Mar-

cellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sulla. Verba pauca Q. Hortensius dixit, quae sunt, liberos esse eos, qui pro servis postularentur; nam post recentem caedem manumiserat eos Clodius sub hoc titulo, quod caput suum ulti essent. Haec agebantur mense intercalari, post diem trigesimum fere, quam erat Clodius occisus. Q. Metellus Scipio in senatu contra M. Caepionem conquestus est, ac de caede P. Clodii falsum esse dixit, quod Milo sic se defenderet; et Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abiisse, profectum cum sex ac xx servis; Milonem subito post horam quartam, senatu misso, cum servis amplius ccc armatis obviam ei contendisse, et supra Bovillas inopinantem in itinere aggressum; ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum; tabernam, in quam profugerat, expugnatam a Milone; semianimem Clodium, extractum, in via Appia occisum esse, annulumque eius ei morienti extractum; deinde Milonem quum sciret in Albano parvulum filium Clodii venisse ad villam, et quum puer ante subtractus esset, de servo Alicore quaestionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret; villicum et duos praeterea servos iugulasse; ex servis Clodii, qui dominum defenderint, undecim esse interfectos, Miloni duos solos saucios factos esse; ob quae Milonem postero die xii servos, qui ei maxime operam navassent, manumisisse, populoque tributim singula millia aeris ad defendendos de se rumores dedisse. Milo misisse ad Cn. Pompeium dicebatur, quod Hypsaeo summe studebat, quod fuerat eius quaestor, desistere se de petitione consulatus, si ita ei videretur: Pompeium respondisse, nemini se neque petendi, neque desistendi auctorem esse, neque populi Romani potestatem, aut consilium, aut sententiam interpellaturum. Deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egisse quoque dicebatur, ne se de hac re consulendo invidia oneraret. Inter haec quum crebresceret rumor, Cn. Pompeium creari dictatorem, neque opportune aliter mala civitatis sedari posse: visum est optimatibus, tutius esse, eum consulem sine collega creari; et quum tractata ea res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam S. C. Pompeius ab Interrege Ser. Sulpicio, v. Cal. Mar. mense intercalario, consul creatus est, statimque consulatum iniit. Deinde post diem tertium de legibus novis ferendis retulit; duas ex S. C. promulgavit. Alteram de vi, qua nominatim caedem in Appia via factam, et incendium curiae, et domum M. Lepidi Interregis oppugnatam com-

prehendit; alteram de ambitu, poenam graviorem, et formam iudiciorum breviorem. Vtraque enim lex prius testes dari per triduum, deinde uno die atque eodem et ab accusatore, et ab reo perorari iubebat, ita ut duae horae accusatori, tres reo darentur. His legibus obsistere M. Caelius tribunus pl. studiosissimus Milonis conatus est, quod et privilegium diceret in Milonem ferri, et iudicia praecipitari: et quum pertinacius legem Caelius vituperaret, eo processit irae Pompeius, ut diceret, si coactus esset, armis se remp. defensurum. Timebat autem Pompeius Milonem, seu timere se simulabat. Plerumque non domi suae, sed in hortis manebat, idque ipsum in superioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat; senatum quoque semel in porticu sua habuerat Pompeius, quod diceret timere se adventum Milonis. Dein proximo senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat. Postulaverat, ut femur nudaret; et ille sine mora tunicam levaverat. Tum M. Cicero exclamaverat, omnia illi similia crimina esse quae in Milonem dicerentur alia. Deinde Munatius Plancus tribunus pl. produxerat in concionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. Is se dicebat, pariterque secum quatuor liberos homines iter facientes supervenisse, quum Clodius occideretur, et ob id quum proclamassent, abreptos, et perductos in villam Milonis, ibique per duos menses praeclusos fuisse; eaque res, seu vera, seu falsa, magnam invidiam Miloni contraxerat. Iidemque Munatius et Pompeius tribuni pl. in Rostra produxerant triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam, Milonis servum, caedes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro fugitivo deprehensum, et ad se perductum esse responderat; denuntiaverant tamen triumviro, ne servum remitteret; sed postera die Caelius tribunus pl. et Manilius Caninianus collega eius ereptum e domo triumviri servum Miloni reddiderunt. Etsi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero, tamen, quia ita compereram, putavi exponenda. Inter primos et Q. Pompeius, et C. Sallustius, et T. Munatius Plancus tribuni pl. inimicissimas conciones de Milone habebant; invidiosas etiam de Cicerone, qui Milonem tanto studio defenderet. Eratque maxima pars multitudinis infensa non solum Miloni, sed ipsi etiam, propter invisum patrocinium, Ciceroni. Postea Pompeius et Sallustius in suspicione fuerunt, in gratiam rediisse cum Milone ac Cicerone. Plancus autem infestissime perstitit, atque in Ciceronem quo-

que multitudinem instigavit. Pompeio autem sospectum faciebat Milonem, ad perniciem eius comparari vim vociferatus; Pompeiusque ob ea saepius querebatur, fieri sibi quoque insidias, et id palam; ac maiore manu se armabat. Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus ostendebat; postea autem Q. Pompeius idem minitatus erat. Tanta tamen constantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi a se alienatione, non Cn. Pompeii suspicionibus, non periculi futuri metu, si sibi dies ad populum diceretur, non armis, quae palam in Milonem sumpta erant, deterreri potuerit a defensione eius, quum posset omne periculum suum et offensionem inimicae multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeii animum, si paulum ex studio defensionis remisisset. Perlata deinde lege Pompeii, in qua id quoque scriptum erat, ut quaesitor suffragio populi ex iis, qui consules fuerant, crearetur, statim comitia habuit, creatusque erat L. Domitius Ahenobarbus quaesitor. Aliorum quoque iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius tales proposuit, ut nunquam neque clariores viros, neque sanctiores propositos esse constaret. Post quod statim nova lege Milo postulatus a duobus Appiis Clodiis adolescentibus, iisdem, a quibus antea familia eius fuerat postulata, itemque de ambitu ab iisdem Appiis; et praeterea de vi a Q. Petuleio, et L. Cornificio; de sodalitiis a P. Fulvio Nerato; postulatus autem erat et de sodalitiis, et de ambitu ea spe, quod primum iudicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec postea responsurum. Divinatio de ambitu accusatorum facta est, quaesitore A. Torquato: atque ambo quaesitores, Torquatus et Domitius, pridie Nonas Apr. reum adesse iusserunt. Quo die Milo ad Domitii tribunal venit, ad Torquati amicos misit. Ibi postulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam de vi iudicium esset perfectum. Apud Domitium autem quaesitorem maior Appius postulavit a Milone servos exhiberi numero IV et L, et quum ille negaret, eos qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia iudicum pronuntiavit, ut ex servorum eorum numero accusator quot vellet ederet. Citati deinde testes, secundum legem, quae, ut supra diximus, iubebat, *ut prius quam causa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum iudices consignarent, quarta die adesse omnes in diem posterum iuberentur, ac coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina iudicum inscripta essent, aequarentur: dein rursus postera die sortitio iudicum fieret unius et*

LXXX, *qui numerus quum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent; tum ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo iudicaretur; prius autem quam sententiae ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus reiiceret; ita ut numerus iudicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta et unus.* Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, quum is occisus est, dixit; atrocitatemque rei factae, quam maxime potuit, auxit. Quem quum interrogare M. Marcellus coepisset, tanto tumultu Clodianae multitudinis circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. Quam ob causam M. Marcellus, et ipse Milo, a Domitio praesidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad aerarium, perturbatusque erat eodem illo clamore. Itaque Domitio promisit, se postero die cum praesidio descensurum, idque fecit: quare territi Clodiani, silentio verba testium per biduum audiri passi sunt. Interrogaverunt eos M. Cicero, M. Marcellus, et Milo ipse. Multi ex iis, qui Bovillis habitabant, testimonium dixerunt de iis, quae ibi facta erant, cauponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum esse. Virgines quoque Vestales dixerunt, mulierem ignotam venisse ad se, quae Milonis mandato votum solveret, quod Clodius occisus esset. Vltimae testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodii, et uxor Fulvia, et fletu suo magnopere eos, qui adstabant, commoverunt. Dimisso circa horam decimam iudicio, T. Munatius pro concione populum adhortatus est, ut postero die frequens adesset, et elabi Milonem non pateretur, iudiciumque et dolorem suum ostenderet. Euntibus ad tabellam ferendam postero die iudicibus, qui fuit iudicii primus a. d. IV Idus Aprilis, clausae fuerunt tota urbe tabernae; praesidia in foro et circa omnes fori aditus Pompeius disposuit; ipse pro aerario, ut pridie, consedit, septus delecta manu militum. Sortitio deinde iudicum, ut primo die facta est. Post tantum silentium toto foro fuit, quantum esse in aliquo foro posset. Tum intra horam secundam accusatores coeperunt dicere, Appius maior, et M. Antonius, et P. Valerius Nepos. Vsi sunt ex lege horis duabus. Respondit his unus M. Cicero. Et quum quibusdam placuisset, ita defendi crimen, interfici Clodium, pro republica fuisse, quam formam M. Brutus sequutus est in ea oratione, quam pro Milone composuit, et edidit, quamvis non egisset; Ciceroni id

non placuit, quod non qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus posset. Itaque, quum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat (nam forte illa rixa commissa fuerat), Cicero apprehendit, et contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit; eoque tota oratio eius spectavit; sed ita constitit, ut diximus, neutrius consilio pugnatum esse eo die, verum forte occurrisse; ex ea rixa servorum ad eam caedem perventum. Notum tamen erat, utrumque mortem alteri saepe minatum esse: et sicut suspectum Milonem maior quam Clodii familia faciebat, ita expeditior et paratior ad pugnam Clodianorum quam Milonis fuerat. Cicero quum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt; itaque non ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta eius oratio. Scripsit vero hanc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi possit.

## ORATIONIS SYNOPSIS

Haec Oratio est in genere *Iudiciali*, intuleritne Milo vim Clodio, an illatam a Clodio repulerit. Quinque sunt partes, *Exordium*, *Confutatio*, *Narratio*, *Contentio*, *Peroratio*.

In *Exordio* 1. excusat suum timorem *a causis*, a nova iudicii forma: *Etsi vereor*; 2. timorem a Iudicibus avertit: *Quae si opposita Miloni*; 3. movet *Misericordiam*, *et attentionem* parat: *Nam si unquam*; 4. Causae fundamentum proponit: *Quamquam in hac.*

In *Confutatione* tres quaestiones pertractat; 1. posse aliquando hominem occidi probat *ab Exemplis*: *Negant intueri lucem*; maxime insidiatorem, idque confirmat *exemplo*, et *auctoritate* naturae, et legis: *Atqui si tempus est ullum.*

2. Ostendit *a Repugnantibus* non condemnasse Senatum factum Milonis, quod semper probaverat: *Illam vero Senatus; et ab Adiunctis* non fuisse a Senatu novam quaestionem constitutam: *Hanc vero quaestionem.*

3. Neque a Pompeio fuisse condemnatum Milonem, nova lege lata: *At enim*; neque ab eo in iudicibus legendis omissos fuisse amicos Ciceronis: *Neque vero, quod nonnulli.*

*Narratio* sequitur, et ut fuerit occisus Clodius exponit: *P. Clodius quum statuisset. Contentionis* duae sunt partes; in qua-

rum prima, praemissa constitutione Causae : *Si id iure non posset*; probat Clodium insidiatum fuisse Miloni.

1. *A Causa finali*, tum utilitatis : *Quonam igitur pacto*; tum odii : *At valuit odium.*

2. *Ab Adiunctis* personae, quae omnia fecit per vim : *Reliquum est ut*; quum Milo nihil per vim fecerit : *Quid simile Milonis?*

3. Quia Clodius iam denuntiaverat mortem Miloni: *Sed quid ego.*

4. Ab aliis *Adiunctis*, quod Clodius Miloni poterat parare insidias, non Milo Clodio: *Quemadmodum igitur*; quorum omnium subdit *Epilogum : Video adhuc.*

5. *Ab Adiunctis* ipsius facti, et pugnae: *Videamus nunc id*; *et a Causis* conglobatis tacitae *Prolepsi* occurrit : *Cur igitur victus est?*

Deinde duo diluit obiecta : primum de servis manumissis *a Causis : Cur igitur eos*; alterum de quaestionibus *ab Adiunctis* per *comparationem* minorum : *Sed quaestiones.*

Postremo Milonem defendit ab illius post factum constantia, *Quod si nondum*; et a ceteris in eum congestis criminibus: quae falsa fuerunt: *Quid*, *quae postea*; purgat autem suspiciones Pompeii; *Cum tamen*, *si metuitur.*

1. Altera *Contentionis* pars est extra Causam; potuisse iure occidi Clodium, hominem sceleratum, summorum virorum exemplo : *Nec vero me*, *Iudices.*

2. Quum omnes laudent Milonem non confitentem se id fecisse Reip. causa, multo magis laudaturos, si confiteretur: *Quamobrem*, *si cruentum.*

3. Quum omnes Clodium oderint, amplissimam ex ea confessione Miloni gloriam consecuturam: *Non timeo*, *Iudices.*

4. *Ab Adiunctis* loci probat ab ipsis Diis sumptum esse supplicium de Clodio; *Sed huius beneficii*; sequitur *Epilogus* huiusce partis: *Durą mihi.*

In *Peroratione* movet *Misericordiam ab Adiunctis*; constantiae : *Nolite*, *si in nostro*; meritorum: *O frustra*, *inquit*; sapientiae: *Addit haec*; Oratoris: *Haec ego tecum Milo*; fortitudinis : *Sit hic ea mente.*

Tamen omnia haec simul complectitur : *O me miserum!*

I.

Etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere, minimeque deceat,

ANONYMI VETERIS INTERPRETIS SCHOLIA

Quodam tempore Clodius de uxore Caesaris incestas traxerat flammas, in templo Bonae deae habitu muliebri cum uxore Caesaris inventus est. Conscientia sceleris fugit Interamna. Cicero eum vidit fugientem; et contra eum, dum accusaretur Clodius, testimonium dixit. Hinc primo inimicitiae ortae sunt inter Ciceronem et Clodium. Dehinc post dum liberaret Cicero rempublicam a conspiratione civium, dum aliquos occidisset, invidiam passus a Clodio tribuno plebis, qui de patricia familia in plebeiam transierat, Ciceronem in exsilium misit. Postea Milo amicus Ciceronis tribunus plebis de exsilio Ciceronem revocavit. Quodam tempore petebant consulatum Hypsaeos Scipio et Milo. Clodius contra Milonem fuit, et obstitit ne peteret consulatum. Interea Milo factus est dictator Lanuvii, ut sacrificium faceret Iunoni Sospitae et flamines procrearet. Clodius dum hoc audisset Lanuvium proditorum Milonem, successit ante fundum suum, ut insidias in Albano collocaret. Milo autem profectus fuerat cum uxore et ancillis. Occurrit ei Clodius in via. Coepit uxorem eius iniuriis provocare. Pugna inter eos commissa, occisus est Clodius. Postea corpus ipsius Caelius et Plancus ad urbem adduxerunt. Triduo ad invidiam Milonis cadaver iacuit. Deinde lata fuerat lex, ut servi Milonis in caput domini torquerentur. Hoc Milo videns, ne servi eius crimen confiterentur ab ipso Clodium occisum, eos manumisit, ut iam liberi torqueri non possent. Deinde Pompeius iusserat, ut de morte Clodii extra ordinem quaereretur; hoc est eo tempore, quo iudicia silebant. Deinde quoniam viderat et reum et amicum Caesaris, armatis cinxit ipsum iudicium, ne ullo modo evadere posset. Status in hac oratione est relativus; hoc est, *feci, sed meruit*; hoc est, *insidiantem occidi*. Genus causae admirabile ex eo, quod armatis circumdatis Milo obsidebatur.

Cap. I. *Etsi vereor*) Armatis cinctum iudicium. Pompeius imminet. Timet ne iudices ad huius arbitrium timore commoti iudicent. Idcirco laborat principio, ut adimat iudici timorem. Sed non potest aliter demere, nisi suam miscuerit personam; ut quum sibi solatium dederit, et dixerit se non timere, recreet animum iudicum. Deinde persona Milonis fortis est, qua supplicare rem novit. — *Viro dicere*) Dicebat Cicero insidias Miloni a Clodio factas. Ergo quoniam obiiciebatur ei, quare vicit, si huic sunt ....

*Vereor*) Principium hoc laudatur a Quintiliano XI, 3, 47.

quum T. Annius ipse magis de reipublicae salute, quam de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse, tamen haec novi iudicii nova forma terret oculos, qui, quocumque inciderunt, veterem consuetudinem fori, et pristinum morem iudiciorum requirunt. Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus: non illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, non afferunt tamen oratori aliquid, ut in foro et in iudicio, quamquam praesidiis salutaribus et necessariis septi sumus, tamen ne non timere qui-

*Inciderunt*) Ita 43, 97, pr. m. 92. Lag. Ceteri *inciderint* cum utroque Taurinensi. At *inciderunt* dedit Graevius Fabricii et Lambini codices eumque Erfurtensem secutus, quibus accensendus est Bavaricus, atque adstipulantur meliores libri Quintiliani l. l. Ceterum novi iudicii novam formam probe iam viderant Ciceronis oculi utpote praesentem, atque illam, ex qua exordii argumentum ducebat. Peyr.

*Requirunt*) Ed. Rom. *desiderant*.

*Non illa praesidia*) Sic Peyronus V. Cl. Vulgo *nam illa praesidia*. T.

*Non afferunt tamen oratori aliquid*) Ernest. post Lambin. et Heumannum, pervertit haec, legendo, *nobis afferunt tamen horroris aliquid*. Schütz. male plaudit. Amar.

*Septi sumus*) Ern. delet *sumus*, nullà codd. vel edd. auctoritate fretus. Malo iterum exemplo. Id.

*Ne non timere — possimus*) Peyr. *possim*. Sed praestat de hoc loco ipsum audire: « Ernestius, quem Schützius secutus est, ita locum vexatissimum emendavit: *etsi contra vim collocata sunt, nobis afferunt tamen horroris aliquid*, contenditque compendio scriptum *nobis* errori locum fecisse, ut legeretur *non*. Novi quidem negationem *non* compendiose scribi, at mihi incomperta est sigla pronominis *nobis*. Garatonio vero ponderanti sequentia verba *ut ne non timere quidem sine aliquo timore possimus* videbatur tam *horroris*, quam *terroris*, tum per se, tum ob varietatem ipsam, esse glossema: eodemque loco habendam esse vocem *oratori*, quae sententiam coartat; negationem vero ferri non posse, nisi alia antecedat, ut nihil sit de adfirmatione detractum; tandem illud *nam* ita ibi otiosum esse, ut mendo facile adfine sit. Quare suspicabatur a Cicerone scriptum: *Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat; non usitata frequentia stipati sumus: nec illa praesidia .... etsi contra vim collocata sunt, non adferunt tamen aliquid, ut .... ne non timere quidem sine aliquo timore possimus*. Eadem ratione oratio colligatur pro Murena 35: *Non igitur, si L. Natta .... nec*

dem sine aliquo timore possimus. Quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem esse oratori locum. Sed me recreat et reficit Cn. Pompeii, sapientissimi et iustissimi viri, consilium: qui profecto nec iustitiae suae putaret esse, quem reum sententiis iudicum tradidisset, eundem telis militum dedere: nec sapientiae, temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed praesidium denuntiant; neque solum, ut quieto, sed etiam ut magno animo simus, hortantur; neque auxilium modo defensioni meae, verum etiam silentium pollicentur. Reliqua vero multitudo, quae quidem est civium, tota nostra est; neque eorum quisquam, quos undique intuentes, unde aliqua pars fori adspici potest, et huius exitum iudicii exspectantes videtis, non quum virtuti Milonis favet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat.

*si virgo Vestalis .... locum suum gladiatoribus concessit huic, non et illa pie fecit, et hic a culpa est remotus.* Locutio *adferre aliquid* est apud Ciceronem I de Offic. 44, II de finib. 27 et alibi. Eam consequitur particula *quo*, veluti V Tuscul. 7; et III de finib. 3: *eas* (philosophorum disciplinas) *non modo nihil adferre arbitror, quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam*, ita enim locus constituendus est cum Pareo Lex. crit. p. 59. Ad hunc modum argumentabatur Garatonius. At ferri poterat particula *non*, quin *nec* refingeretur. Praeterea non auderem vocabulum *oratori* omnino expungere; video mendosum esse *oratori, ut .... possimus*, quare quum Taurinensis 1 legat *possum*, atque compendia vocum *possim* et *possimus* adfinia maxime sint, equidem reposui *possim.*» T.

*Esse oratori locum*) Cod. Erfurt. *esse orationi locum.* Bavaricus, aliique *esse oratori locum*, quod placuit Garatonio, ediditque Peyronus. Ceteri codices aut *orationi locum esse*, aut *locum esse oratori* exhibent. Schütz. scripsit, *oratori locum esse.* Typ.

*Intuentes*) Sic Ern. ex ed. Rom. Vulgo *quos undique intuentes ex hoc ipso loco cernitis*, omisso *videtis*, quod retinuit Heumannus. Ego Lambinum sequutus sum, cuius lectionem optimi codd. MSS. confirmant. *S.*

II. Vnum genus est adversum infestumque nobis eorum, quos P. Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit; qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid iudicaretis. Quorum clamor si qui forte fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresque maximos pro vestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis, iudices, et timorem, si quem habetis, deponite. Nam, si unquam de bonis et fortibus viris; si unquam de bene meritis civibus potestas vobis iudicandi fuit; si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes et bonos cives, quae vultu et verbis saepe significassent, re et sententiis declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnem vos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper vestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus; an diu vexati a perditissimis civibus, aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutem, sapientiamque recreemur. Quid enim nobis duobus, iudices, laboriosius? quid magis sollicitum, magis exercitum dici, aut fingi potest? qui spe amplissimorum praemiorum ad rempublicam adducti, metu crudelissimorum suppliciorum carere

ASCONII PEDIANI COMMENTATIONES

Cap. II. *Vnum genus est adversum infestumque nobis*) Ita ut in expositione argumenti diximus, Munatius Plancus pridie pro concione populum adhortatus erat, ne pateretur elabi Milonem.

*Suppliciorum*) Cod. tres, pleraeque edd. vett. *exitiorum.* — Voces *exitiorum* et *suppliciorum* permutari sane nequeunt; varietas ergo lectionis ab interpretatione profecta est. *Exitiorum* exquisitius est et rarius, idque habent editiones fere omnes ante Lambinianam. Contra *suppliciorum* tritum quidem et vulgare est, optime tamen legitur in oratione, qua crimen ho-

non possumus? Equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas, quia semper pro bonis contra improbos senserat: in iudicio vero, et in eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi viri iudicarent, nunquam existimavi spem ullam esse habituros Milonis inimicos, ad eius non salutem modo exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam. Quamquam in hac causa, iudices, T. Annii tribunatu, rebusque omnibus pro salute reipublicae gestis, ad huius criminis defensionem non abutemur. Nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas, nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter praeclara in rempublicam merita condonetis; nec postulaturi, ut, si mors P. Clodii salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potius, quam populi romani felicitati assignetis. Sed si illius insidiae clariores hac luce fuerint, tum denique obsecrabo obtestaborque vos, iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque vitam ut impune liceat defendere.

III. Sed, antequam ad eam orationem venio, quae est propria nostrae quaestionis, videntur ea mihi

micidii a cliente depellitur; ei favent codices fere omnes, iique diversae familiae. PEYR.

*Quia semper*) Ita 18 codices Italici apud Lagomars. — Accedunt codices Lambini, Erfurtensis, Bavar. quatuor Britan. Taurinensis uterque, et Romana editio. Tantis auctoritatibus permotus lectionem vulgatam *quod semper* mutavi. PEYR.

*Non abutemur*) Non audiendus Schützius, qui male a nonnullis puncti signo hic distingui affirmat, adeoque ipse interpunxit *abutemur*, — *factas*; mihi quidem Peyroni interpunctio praeferenda videtur. *T.*

*Sed si illius*) Recentiores contra codicum atque antiquarum editionum auctoritatem scripserunt *sin illius*, quum *sed si* probum esset. PEYR.

*Nostrae quaestionis*) Bavar. et codex Modii, *vestrae*, quam lectionem amplexi sunt Lambinus et Garatonius. TYP.

*Videntur ea mihi esse refutanda*) *Mihi* addidit Peyronus e cod. Laurent.

esse refutanda, quae et in senatu ab inimicis saepe iactata sunt, et in concione saepe ab improbis, et paulo ante ab accusatoribus; ut, omni errore sublato, rem plane, quae venit in iudicium, videre possitis. Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quae primum iudicium de capite vidit M. Horatii, fortissimi viri; qui, nondum libera civitate, tamen populi romani comitiis liberatus est, quum sua manu sororem esse interfectam fateretur. An est quisquam, qui hoc ignoret, quum de homine occiso quaeratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recte ac iure factum esse defendi? Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui, quum a C. Carbone, tribuno plebis, in concione seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, respondit, iure caesum videri. Neque enim posset aut Ahala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me consule, senatus non nefarius haberi, si sceleratos

cum quo consentiunt Taurinens. 1, et Coloniensis. Garatonius vero edidit: *Videntur ea mihi esse refut. quae et in senatu saepe ab inimicis iactata sunt, et in concione ab improbis, et paullo ante.* Typ.

*Saepe ab improbis*) Grnterus, Schützius et Garatonius omiserunt *saepe*, auctoritate codd. Werdens. Hittorp. Retraxerunt tamen Graev. Ernest. Peyron, aliorum item codicum auctoritate moti. Typ.

*Errore*) Sic editiones veteres; cod. plurimi *terrore*, quod amplexi sunt Ernest. Schütz. aliique. —Veterum editionum lectionem revocavit Garatonius post Lallemandum. Errores utique, non terrores, refutantur. Terrorem novae formae novi iudicii Tullius supra n. 1 depulerat ab animis iudicum. Iam, quando multa iactabantur in foro, quibus homicidam omnino morte perimendum esse statuerent, Orator hunc errorem refutat, ne iudices a causa aberrent. Peyr.

*M. Horatii*) Ille qui in duello Curiatios tres occidisset. Hot.

*Esse interfectam*) Ita plerique codd. optimae notae, cum edd. antiquis. Alii *interf. esse.* Typ.

*Ahala ille Servilius*) Hic Magister equitum Sp. Melium occidit, Scipio Nasica T. Gracchum, Opimius consul C. Gracchum, Marius consul Saturninum, et Glaucium. Fers.

cives interfici nefas esset. Itaque hoc, iudices, non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt, eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis, non solum divina, sed etiam sapientissimae Deae sententia liberatum. Quod si duodecim tabulae nocturnum furem, quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderet, interfici impune voluerunt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, quum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?

IV. Atqui si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, quum vi vis illata defenditur. Pudicitiam quum eriperet militi tribunus [militaris] in exercitu C. Marii, propinquus eius imperatoris interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit. Atque hunc ille vir summus, scelere solutum, periculo liberavit. Insidiatori vero et latroni quae potest inferri iniusta nex? Quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim haec, iudices,

*Doctissimi homines*) Vt Aeschylus in Eumenidibus.

*Qui patris ulciscendi causa*) Orestes interfecta matre Clytemnestra cum adultero Aegystho in ultionem patris Agamemnonis, quum variarent Areopagitarum sententiae, iudicio Minervae absolutus est. FERR.

*Defenderet*) Ita codd. meliores. Alii *defenderit*.

*Puniendum*) Sic est ap. Quintil. V, 14. Ernestio videbatur *id* excidisse ante *puniendum*.

*Tribunus militaris*) Vox *militaris* spuria visa est Ernestio (et Schützio qui eam expunxit). Contra Garatonius adducit locum VI Philipp. 5, *tribuni militares, qui in exercitibus Caesaris duobus fuerunt*. Valerius quoque scribit, *tribunum militum a manipulario milite caesum*. Tribunum appellat Plutarchus (in Mario 14) C. Lusium, consentiente Valerio Max. VI, 1, 12, et Quintiliano III, 11, p. 293. Nomen militis Valerio est C. Plotius, Plutarcho Trebonius, Quintiliano Aruncus. PEYR.

*Est enim haec*) Sic Cicero ipse in Orator. 49. Alii *est igitur haec*.

non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. Silent enim leges inter arma, nec se exspectari iubent, quum ei, qui exspectare velit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta repetenda. Etsi persapienter, et quodam modo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi, quae non modo hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat: ut, quum causa, non telum quaereretur, qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum iudicaretur. Quapropter hoc maneat in causa, iudices; non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam, si id memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem iure interfici posse.

*Non modo hominem*) *Non modo*, est, *non modo non*, ut saepe Cicero. Exempla colligit Muretus in Variis, et aliis. Cicero hinc argumentatur, esse caedem quandam licitam, quia cum telo esse concedat se defendendi causa, non autem alium insidiis occidendi. Graev. Hic *non modo*, esse *non modo non*, nullus persuadebit mihi. Sane in exemplis quae collegit Muretus Var. Lect. X, 7, post *non modo* sequitur vel *ne quidem*, vel *sed etiam*: quorum neutrum, aut quidpiam simile hic esse potest. Ego totum hunc locum sic opinor posse intelligi. *Dat ipsa lex tacite potestatem occidendi*. *Non enim in ea est tantum modo* caput id, quod *hominem occidi vetat*, *sed* est alterum quoque, quod vetat *esse cum telo hominis occidendi causa*. Quum ergo quaeritur, an quispiam contra legem fecerit, in quaestionem non venit, telumne habuerit, sed qua causa habuerit. Si hominis occidendi causa, fecit contra legem. Si telum habuit, si telo hominem occidit *sui defendendi causa*, non fecit contra legem: non enim telum habuit *occidendi hominis causa*, sed *sui defendendi*. Oliv.

*Non modo hominem*) *Non hominem* MSS. nonnulli apud Lagom. et Coloniensis. — Manutius (ad c. 19 pr. Quint.), Lambinus, Gruterus et Garatonius ad h. l. probe viderunt, eiecta voce *modo*, vim orationis augeri; quod enim prius est positum, ita deprimitur, ut alterum, quod sequitur, magis emineat. Tamen vulgata est probabilis. Innuitur lex Cornelia de

V. Sequitur illud, quod a Milonis inimicis saepissime dicitur, caedem, in qua P. Clodius occisus est, senatum iudicasse, contra rempublicam esse factam. Illam vero senatus non sententiis suis solum, sed etiam studiis comprobavit. Quoties enim est illa causa a nobis acta in senatu? quibus assensionibns universi ordinis? quam nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentissimo senatu quatuor, aut summum quinque sunt inventi, qui Milonis causam non probarent? Declarant huius ambusti tribuni plebis illae intermortuae conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiose criminabatur, quum diceret, senatum, non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere. Quae quidem si potentia est appellanda potius, quam aut propter magna in rempublicam merita mediocris in bonis causis auctoritas, aut propter hos officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia; appelletur ita sane, dummodo ea nos utamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum.

Cap. V. *Declarant huius ambusti trib. pl. illae intermortuae conciones*) T. Munatius Plancus et Q. Pompeius Rufus tribuni pl. de quibus in argumento huius orationis diximus, quum contra Milonem Scipioni et Hypsaeo studerent, concionati sunt eo ipso tempore, plebemque in Milonem accenderunt, quo propter Clodii corpus curia incensa est, nec prius destiterunt, quam flamma eius incendii fugati sunt e concione. Erant enim tunc Rostra non eo loco, quo nunc sunt, sed ad Comitium, prope iuncta curiae. Ob hoc T. Munatium ambustum tribunum appellat. Fuit autem paratus ad dicendum.

sicariis. Peya. —Gulielmus corrigebat: *non omnimodo*. T.

*Frequentissimo senatu*) Ernestius coniecit legendum esse, *quando etiam frequentissimo senatu*.

*Aut summum*) Alii *ad summum*. —Rectius ad codicum fidem Garatonius *aut summum*; sic enim pro Quint. 25, *biduo, aut summum triduo*: II in Verr. 52, *unum aliquem diem, aut summum biduum*: III, 87, *duo millia nummûm, aut summum tria*; vide et XIII ad Attic. 21; V ad Divers. 21. Peya.

*Tribuni plebis*) T. Munatii Planci Bursae, qui curiam incendit. Vid. supra Ascon.

*Aut propter magna*) Garatonius addidit *aut* e codd. plur. *T.*

Hanc vero quaestionem, etsi non est iniqua, nunquam tamen senatus constituendam putavit. Erant enim leges, erant quaestiones, vel de caede, vel de vi: nec tantum moerorem ac luctum senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quaestio constitueretur. Cuius enim de illo incesto stupro iudicium decernendi senatui potestas esset erepta, de eius interitu quis potest credere senatum iudicium novum constituendum putasse? Cur igitur incendium curiae, oppugnationem aedium M. Lepidi, caedem hanc ipsam, contra rempublicam senatus factam esse decrevit? Quia nulla vis unquam est in libera civitate suscepta inter cives, non contra rempublicam. Non enim est illa defensio contra vim unquam optanda; sed nonnunquam est necessaria. Nisi vero aut ille dies, quo Ti. Gracchus est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e republica, rempublicam tamen non vulnerarunt. Itaque ego ipse decrevi, quum caedem in Appia via factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra rempublicam fecisse;

*Cur igitur incendium curiae*, etc.) Post biduum medium, quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Aemilius Lepidus. Non fuit autem moris, ab eo, qui primus interrex proditus erat, comitia haberi. Sed Scipionis et Hypsaei factiones, quia recens invidia Milonis erat, quum contra ius postularent, ut interrex ad comitia consulum creandorum descenderet, idque ipse non faceret, domum eius per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obsederunt: deinde, omni vi ianua expugnata et imagines maiorum deiecerunt, et lectulum adversum uxoris eius Corneliae, cuius castitas pro exemplo habita est, fregerunt; itemque telas, quae ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. Postque supervenit Milonis manus, et ipsa postulans comitia; cuius adventus fuit saluti Lepido; in se enim ipsae conversae sunt

*Quaestionem*) Novam, de qua Pompeius legem tulerat. Man.

*Aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e republica, rempubl. tamen non vulnerarunt*) Sic edidit Peyronus cum Garatonio, at probabiliorem lectionem adhuc exspectat a codicibus. Ernest. et Schütz. *arma Saturn., etiam si e rep. oppressa sunt, remp. tamen non vuln.* Typ.

sed, quum inesset in re vis et insidiae, crimen iudicio reservavi, rem notavi. Quod si per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, novam quaestionem nunc nullam haberemus. Decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaereretur. Divisa sententia est, postulante nescio quo; nihil enim necesse est omnium me flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus, empta intercessione, sublata est.

VI. At enim Cn. Pompeius rogatione sua et de re et de causa iudicavit. Tulit enim de caede, quae in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus est. Quid ergo tulit? nempe ut quaereretur. Quid porro quaerendum est? factumne sit? at constat. A quo? at paret. Vidit igitur, etiam in confessione facti, iuris

factiones inimicae, atque ita oppugnatio domus interregis omissa est. — *Quod si per furiosum illum tribunum* etc.) Quid sit *dividere sententiam*, ut enarrandum sit, vestra aetas, filii, facit. Quum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur, eae si non omnes probantur, postulatur, ut dividat, id est, ut de rebus singulis referatur. Non est autem ei, qui hoc postulat, oratione longa utendum, ac ne consurgendum quidem utique est; multi enim sedentes hoc unum verbum pronuntiant, *divide*; quod quum auditum est, liberum ei, qui facit orationem, dividere. ..... (In his postremis sensus postulat: *oportet eum, qui facit orationem, sententiam dividere.* SCH.)

*Crimen iudicio reservavi, rem notavi*) A quocumque tandem vis illata fuisset, et insidiae comparatae, *crimen iudici reservavi*, nec definivi cuius scelere id contigisset, Milonisne an Clodii, ratus illud crimen in iudicio discutiendum esse accuratius: sed rem ipsam, quae vim et insidias continebat, notavi atque damnavi. ABR.

*Reliqua auctoritas — sublata est*) Illa pars quae veteribus legibus quaeri iubebat, sublata est intercessione Sallustii et Planci, qui mercede corrupti tribunatum suum Clodianis addixerant. ABR.

*At enim Cn. Pompeius*) Adversariorum obiectio. Esto: Senatus de re tantummodo iudicarit, censueritque Clodii caedem, cuiuscumque tandem scelere contigisset, esse contra rempublicam. At Cn. Pompeius, non solum de re, sed etiam de causa iudicavit. ABR. Id est Milonem caedis auctorem poena dignum iudicavit.

*Occisus est*) Codd. fere omnes *occisus esset*. Ignota *fuit*, quod Schutzius aliique dederunt. Peyronus praetulit *est*, utpote magis adfine mendoso *esset*. TYP.

*At paret*) Ita legunt optimi codices, probantibus Lamb. Graev. Lallem.

tamen defensionem suscipi posse. Quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur; quum videret nos fateri, neque quaeri unquam iussisset, nec vobis tam salutarem hanc in iudicando literam, quam illam tristem dedisset. Mihi vero Cn. Pompeius non modo nihil gravius contra Milonem iudicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in iudicando spectare oporteret. Nam qui non poenam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interitus quaerendam, non interitum putavit. Iam illud dicet ipse profecto, quod sua sponte fecit, Publio ne Clodio tribuendum putarit, an tempori.

VII. Domi suae nobilissimus vir, senatus propugnator, atque, illis quidem temporibus, paene patronus, avunculus huius nostri iudicis, fortissimi viri, M. Catonis, tribunus plebis M. Drusus occisus est. Nihil de eius morte populus consultus, nulla quaestio decreta a senatu est. Quantum luctum in hac urbe fuisse a patribus nostris accepimus, quum P. Africano, domi suae quiescenti, illa nocturna vis esset illata? Quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, eius ne necessariam quidem exspectatam esse mortem?

Ernest. et Garat. Quod verbi genus solemne est in his locutionibus. Vide Brissonii formularum lib. V. Typ.

*Vidit igitur etiam*) Vulgo omittitur *igitur*. — Lectionem a me receptam confirmant codd. Lambini, Erf. Bavar. Taurin. 1, atque probarunt Graev. Lallem. Heumann. et Garat. Pzyr.

*Quam illam tristem dedisset*) Salutarem literam *A*, i. e. absolutionis, tristem *C*, i. e. condemnationis. *S.*

*Iam illud dicet ipse*) Miro artificio dum ostendere nititur, causae nihil fuisse, cur de caede Clodii novam institueret quaestionem Pompeius, ipsius conscientiam testatur, et ipsius factum excusat. Iam illud dicet ipse Pompeius profecto, utrum hanc quaestionem, quam sua sponte nulla Senatus auctoritate compulsus decrevit, ideo decreverit quod caedem Clodii damnaret, an potius quod tempori putaret esse serviendum; et placandos hac quaestionis institutione plebis animos, qui in seditionem exarserant. Abr.

Num igitur ulla quaestio de Africani morte lata est? certe nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. Intersit inter vitae dignitatem summorum, atque infimorum: mors quidem illata per scelus iisdem et poenis teneatur et legibus. Nisi forte magis erit parricida, si qui consularem patrem, quam si quis humilem necaverit; aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus. Hoc enim saepe ab istis dicitur: proinde quasi Appius ille Caecus viam munierit, non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur. Itaque in eadem ista Appia via, quum ornatissimum equitem romanum P. Clodius M. Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum; homo enim nobilis in suis monumentis equitem romanum occiderat. Nunc eiusdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat? Quae cruentata antea caede honesti atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro usurpatur, posteaquam latronis et parricidae sanguine imbuta est. Sed quid ego illam commemoro? Comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. Extorta est confitenti sica de manibus.

*Si qui consularem*) Ita scribunt optimi codices. Alii *si quis cons.* At Veteres hunc tantum scribebant *si quis*, quando sequebatur vox a vocali incipiens. Sic statim omnes libri *si quis humilem.* Peyr.

*Proinde quasi*) Ita codices non pauci. Vulgo *perinde.* — *Proinde* Bavaricus, Garaton. quatuor Britann. Taurin. 1. Quam lectionem probavit Garatonius. Nam pro Quint. 14, *proinde quasi factum sit*, et alibi millies. Est vero *perinde* similitudinis proprium et aequalitatis adverbium; *proinde* consequentiae. *Proinde quasi* refutationem notat eius rei, quae superius est posita, consequens alterius absurdae, quae sequitur. Atque haec Garatonius. Vide eiusdem permutationis exemplum paulo infra. Peyr.

*Sed quid ego illam*) Ita codd. plurimi. Vulgo *illa.* — Praeter codicum auctoritatem, ipse quoque contextus huic lectioni suffragatur; nam orator a via Appia ad templum Castoris, quod maius est, gradum facit. Id.

*Quem ille*) *Illo* maluit Heum. i. q. *illuc.*

Caruit foro postea Pompeius, caruit senatu, caruit publico; ianua se ac parietibus, non iure legum iudiciorumque texit. Num qua rogatio lata? num qua nova quaestio decreta est? Atqui, si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit, certe haec in illa causa summa omnia fuerunt. Insidiator erat in foro collocatus, atque in vestibulo ipso senatus; ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur salus civitatis; eo porro reipublicae tempore, quo, si unus ille cecidisset, non haec solum civitas, sed gentes omnes concidissent. Nisi vero quia perfecta res non est, non fuit punienda: proinde quasi exitus rerum, non hominum consilia legibus vindicentur. Minus dolendum fuit, re non perfecta; sed puniendum certe nihilo minus. Quoties ego ipse, iudices, ex P. Clodii telis, et ex cruentis eius manibus effugi? ex quibus si me non vel mea, vel reipublicae fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quaestionem tulisset?

VIII. Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompeium, nosmetipsos, cum P. Clodio conferre audeamus. Tolerabilia fuerunt illa; P. Clodii mortem aequo animo ferre nemo potest. Luget senatus; moeret equester ordo; tota civitas confecta senio est; squalent municipia; afflictantur coloniae; agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant. Non fuit ea causa, iudices, profecto non fuit, cur sibi censeret Pompeius quae-

*Num qua — num qua*) Ita Saxon. et Barber. alter, quod Garatonio probator. Vulgo *num quae*. T.

*Cecidisset*) Erfurtensis, codd. Lallemandi, et Taurin. 2. Vulgo *occidisset*. Melius cohaerent haec; si Pompeius *cecidisset*, omnes gentes *concidissent*, h. e. simul cecidissent; ut primum *cadere* sit mori, deinde affligi et everti: qua dilogia id efficitur, ut omnes simul gentes videantur interiturae. Haec Garatonius. Peyr.

*Nisi vero*) Sic MS. Erf. Vulgo *nisi forte*.

*Proinde quasi*) Vulgo *perinde quasi*. Sed vid. supra pag. 274. T.

*Profecto*) Abest a codd. et edd. LAG. Ita legitur in Erfurt. et quin-

stionem ferendam; sed homo sapiens, atque alta et divina quadam mente praeditus, multa vidit: fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem. In communi omnium laetitia, si etiam ipse gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides reconciliatae gratiae. Multa etiam alia vidit, sed illud maxime: quamvis atrociter ipse tulisset, vos tamen fortiter iudicaturos. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina; neque vero, quod nonnulli dictitant, secrevit in iudicibus legendis amicos meos. Neque enim hoc cogitavit vir iustissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupisset. Non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quae late patere non possunt, propterea quod consuetudines victus non possunt esse cum multis. Sed, si quid possumus, ex eo possumus, quod respublica nos coniunxit cum bonis. Ex quibus ille quum optimos viros legeret, idque maxime ad fidem suam pertinere arbitraretur, non potuit legere non studiosos mei. Quod vero te, L.

que Britannicis. Lambinus sequutus codd. Fabricii adverbium *profecto* ante *iudices* posuit; Graterus ante *causa* retraxit. Conf. locum pro Flacco 22, *non est ita, iudices, non est profecto.* Peyr.

*Sapiens atque alta et divina quadam mente praeditus*) Ita Bavaricus, adstipulantibus duobus codd. Lambini et Erfurtensi; legunt tamen *et alta.* — Additionem *et divina* ab Ernestio improbatam ita defendit Garatonius. *Divina quadam* aptius est, quam *alta quadam;* haec in Laelio 9 coniunguntur, *nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt.* Mens, quum ad consilium et prudentiam eius hominis referatur, quem sapientissimum videri vult, non modo *alta*, quae, tanquam e specula, plus ceteris videat, verum etiam *divina* quodammodo dicenda fuit, quae sapientiae deorum proxima videatur; unde de Prov. cons. 16, *sapientes ac divini fuistis.* Hunc cumulum summis laudibus Cicero adhibere solet, ut infra 33, *singulari, divina, et incredibili fide;* at 1 de Orat. 38: *Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis, et divina vis ingenii;* vide et pro Sext. 39. Peyr.

*Et divina quadam mente praeditus*) Vulgo abest *et divina.* Lambinus id assumpsit e Fabricii MSS. ex Erf. Graevius; sed uterque posuit post *alta.* Ernestio glossam sapere videbatur, cui non accedo. Schvtz.

*Non potuit legere non studiosos*

Domiti, huic quaestioni praeesse maxime voluit, nihil quaesivit aliud, nisi iustitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. Tulit, ut consularem necesse esset: credo, quod principum munus esse ducebat, resistere et levitati multitudinis, et perditorum temeritati. Ex consularibus te creavit potissimum; dederas enim, quam contemneres populares insanias, iam ab adolescentia documenta maxima. Quamobrem, iudices, ut aliquando ad causam crimenque veniamus, si neque omnis confessio facti est inusitata; neque de causa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est; et lator ipse legis, quum esset controversia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse voluit; et electi iudices estis, isque praepositus quaestioni, qui haec iuste sapienterque disceptet: reliquum est, iudices, ut nihil iam aliud quaerere debeatis, nisi, uter utri insidias fecerit. Quod quo facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam vobis dum breviter expono, quaeso, diligenter attendite.

Cap. VIII. *Dederas enim, quam contemneres*) Constantiam L. Domitii, quam in praetura praestitit significat. Nam eo tempore, quum Cn. Manlius tribunus pl. subnixus libertinorum et servorum manu perditissimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret, et clivum Capitolinum obsideret, discusserat perculeratque coetum Domitius, ita ut multi Manlianorum interficerentur; quo facto et plebem infimam offenderat, et senatus magnam gratiam inierat.

*mei*) Ernestius arbitrabatur legendum esse: *non potuit non legere studiosos mei*; et sic edidit Schutz. *T.*

*Vt consularem necesse esset*) Erat in lege Pompeia, ut quaesitorem eius causae populus crearet, quem vellet, ex consularibus. Ferr.

*Et electi iudices*) Ernestius hic desiderabat praedicatum iudicum, quod excidisse putabat; forsan tamen scriptum est *electissimi iudices*; aut si *electi* verum est, legendum postea *disceptent*. S.

*Electi iudices estis*) Vulgo omittitur *estis*. Textum concinnavi ex variis codicum lectionibus; addidi *estis*, ne *electi iudices* suo carerent praedicato; iudices autem hic manifeste alloquitur: facile etiam ob proximum *estis* subintelligi potest verbum *est* post *isque*. Peyr.

IX. P. Clodius quum statuisset omni scelere in praetura vexare rempublicam, videretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos menses praeturam gerere posset; qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed et L. Paullum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, et annum integrum ad dilacerandam rempublicam quaereret: subito reliquit annum suum, seseque in annum proximum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est, ad evertendam rempublicam, plenum annum atque integrum. Occurrebat enim, mancam ac debilem praeturam suam futuram, consule Milone: eum porro summo consensu populi romani consulem fieri videbat. Contulit se ad eius competitores; sed ita, totam ut petitionem ipse solus, etiam invitis illis, gubernaret; tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. Convocabat tribus, se interponebat, Collinam novam delectu perditissimorum civium conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. Vbi vidit homo ad omne facinus paratissimus fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem, idque intellexit non solum

*Seseque* ) Ita Erfurt. et Bavaricus; ceteri *seque*.

*Occurrebat enim* ) Ita codd. plurimi italici. Ernesl., Schütz. e cod. Erfurt. *occurrebat ei.* — At Garatonius sequutus Bavaricum, Romanam, Igaulam, atque edd. veteres edidit *Occurrebat mancam*. Ipse vero ratus hoc verbum *occurrebat* non pertinere ad historiam rei gestae, qua *subito reliquit*, *transtulit*, *contulit se*, sed factorum rationem reddere, admisi particulam *enim*. Peyr.

*Collinam novam* ) Ita MSS. optimae notae, et sic ediderunt Lambin. Graev. etc. Alii *Coloniam*. — Quid sit Collina nova, non liquet. Fortasse, quum servos, qui privata dominorum voluntate erant manumissi, vellet Clodius civili libertate donare, novam tribum, urbanam, quae esset Collina nova, creare meditabatur, in qua novi liberti cum civibus sceleratissimis recenserentur; ita tamen, ut vel in rusticis tribubus suffragium ferre possent. Peyr. Ita sane interpretatur Fabricius. T.

sermonibus, sed etiam suffragiis populi romani saepe esse declaratum: palam agere coepit, et aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes et barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obscura. Etenim palam dictitabat, consulatum Miloni eripi non posse; vitam posse. Significavit hoc saepe in senatu; dixit in concione. Quin etiam Favonio, fortissimo viro, quaerenti ex eo, qua spe fureret, Milone vivo, respondit, triduo illum, aut summum quatriduo, periturum. Quam vocem eius ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit.

X. Interim quum sciret Clodius (neque enim erat difficile scire) iter solemne, legitimum, necessarium, ante diem XIII Kalendas Febr. Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo: Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum, quod re intellectum est, Miloni insidias collocaret. Atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua eius furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum tempusque voluisset, nunquam reliquisset. Milo autem quum in senatu fuisset eo die, quoad senatus dimissus est, domum venit; calceos et vestimenta mutavit; paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est; deinde profectus est id temporis, quum iam Clodius, si quidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius, expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat; sine

*Sed etiam suffragiis*) Nempe quum saepe comitia essent instituta, sed abrupta per intercessionem, in quibus iam centuriae, quae suffragia tulissent, Milonem crearent. Ern.

*Ad flaminem*) Iunonis Sospitae. *Prodendum*, renuntiandum, vel creandum. Abr.

*Nullis Graecis comitibus*) Romani proceres in familia sua studiorum

uxore, quod nunquam fere. Quum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, paenulatus, magno impedimento, ac muliebri et delicato ancillarum puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante fundum eius, hora fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum. Adversi rhedarium occidunt. Quum autem hic de rheda, reiecta paenula, desiluisset, seque acri animo defenderet; illi, qui erant cum Clodio,

causa Graecos fovebant, Rhetores, Grammaticos, Medicos, Philosophos, Poëtas, ut Lucullus Archiam poëtam suae cohorti adscripserat. Vide orat. pro Archia, c. 3. Sic ille Graecus in Pisonis amicitiam receptus, quem describit elegantissime in orat. in Pisonem, cap. 28. Vide de Graecis comitibus Augusti Sueton. in eius vita cap. 56, et Tiberii in eius vita cap. 56. Vide quoque Iuvenalem Graeculos hos lepide describentem, qui Romam veniebant, et omnes artes iactabant, Sat. III, v. 69 et seqq. Graev.

*Sine uxore*) Fulvia, quae deinde nupsit Antonio: et, ut refert Dio lib. 47, allatum Ciceronis demortui caput consputavit, linguam extraxit, acu crinali perforavit, antequam in rostris poneretur. Abr.

*Magno impedimento, ac muliebri et delicato*) *Et mul. ac del.* 92. Lag. Accedunt Saxon. Erf. et duo Paris. Ex tanto codicum dissidio Ernestus eam exculpsit lectionem, quam ego in textum admisi. Garatonius vero edidit *penulatus, magno et impedito, et muliebri ac delicato.* etc.; qui cumulus adiectivorum Ernesto non arridet. At Garatonio videtur multitudinem comitantium insinuare. Ernestus vocabulum *impedito* habet uti compendium vocis *impedimento;* Garatonius vero improbat numerum singularem, atque mallet *magnis impedimentis.* Vterque obelo confodit vocem *vulgi.* Iam quum codices fere omnes exhibeant *vulgus*, coniicio ex emendatoribus alios emendasse *vulgi*, alios omnino omisisse vocem haud probabilem. Hanc vero in nominativo casu ecquem serio addidisse credemus? Neque enim illa aut ad glossam pertinere, aut cum contextu cohaerere potest. Quare primigenia mihi videtur, atque participium compendiose scriptum; tum credo syllabam *uul* in antiquis codicibus facile fucum fecisse librariis, quippequae paene confunditur cum adfinibus *uil*, *illil*, *mil*, etc. Legerem ergo *illigatus magno et impedimento, et muliebri ac delicato .... comitatu.* Nonne Tullius infra 20 Milonem dixit fuisse paenula *irretitum*, rheda impeditum, uxore *constrictum?* Quidni scribat *impedimento illigatum?* Semel ac vero compendiose scribi coepit *illigus*, facile abiit in monstrosum *vulgus.* Peyr.

*Adversi*) Qui ante rhedam occurrunt: nam ceteri cum ipso Clodio a tergo erant, ut infra narrat. Ferr.

gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur; partim, quod hunc iam interfectum putarent, caedere incipiunt eius servos, qui post erant: ex quibus qui animo fideli in dominum et praesenti fuerunt, partim occisi sunt, partim, quum ad rhedam pugnari viderent, domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum et ex ipso Clodio audirent, et revera putarent, fecerunt id servi Milonis (dicam enim aperte, non derivandi criminis causa, sed ut factum est) nec imperante, nec sciente, nec praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

XI. Haec, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus est, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nihil dico, quid respublica consequuta sit; nihil, quid vos; nihil, quid omnes boni; nihil sane, quod prosit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin

*Domino*) Ita codd. omnes, et edd. 68, 70, 88, 92. LAG. Edebatur enim *et domino*. Abest copula *et* ab utroque Taurin. Erfurt. Pithoeano, Bavarico, utroque Barb. sex Britann. Garaton. Romana, Ignota etc. Tamen Palimps. Taur. legit *et domino*. PEYR.

*Occisum et ex ipso Clodio*) Ita Palimps. Taurinens. cum codd. fere omnibus. Alii *etiam ex ipso*. TYP.

*Et revera putarent*) Ita 43, 92. Ceteri libri *et ita esse putarent*. Solus 73 *et ita putarent*. LAG. Vulgatam *et revera putarent* tuentur Palimps. Taurinensis, duo Fabriciani, Erfurtensis, et Bavaricus, ita ut glossema *ita esse* fere universos codices infecerit. A vera lectione Palimps. Taurin. omnino aberravit Ernestius; eam acute praesensit Garaton. PEYR.

*Servi Milonis*) Duo haec verba eiicienda esse decernunt Ernestius et Heumannus (quibus obsequutus est Schutzius), quamquam in libris omnibus, atque in Palimps. Taurinensi exstant, eaque habet Quintilianus IV, 2, p. 348. VII, 1, p. 588. Scite, ut omnia, Garatonius. « Repetitio est » usitata propter hyperbaton: cuius» modi si omnes tollere nequeas, » unam aliquam tollere, ratio non » est. » ID.

*Aperte*) Haec vox abest ab omnibus libris, at legitur in Palimps. Taurinensi. ID.

*Nec imp. nec sc. nec praes.*) Ita Palimps. Taurin. Ceteri libri ter habent *neque*. ID.

*Insidiator superatus est*) Ita Palimps. Taur. Alii omittunt *est*.

*Nihil sane quod prosit*) Ita Palimps. Taur. Alii *nihil sane id prosit*.

una rempublicam vosque servaret. Si id iure fieri non potuit, nihil habeo, quod defendam. Sin hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententiis esse pereundum. Quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non semel ab illo, neque tum primum, petitum, quam iugulari a vobis, quia se non iugulandum illi tradidisset. Sin hoc nemo vestrum ita sentit; non illud iam in iudicium venit, occisusne sit, quod fatemur, sed iure, an iniuria; quod multis in causis

*Si id iure fieri non potuit*) Ita Palimpsestus Taurin. *Si id fieri iure non posset* Erfurtensis et Bavaricus. Maxima librorum pars *Si id iure non posset*. Ernestus non dubitat, quin Tullius dederit *potuisset*. Heusingerus ad III de Offic. 19 ita eum refutat, ut *posset* doceat pro *potuisset* elegantia non carere bonae latinitatis. Heumanno idem visum erat. Garatonius vellet docuissent, *posset* ita posito, recte sequi *nihil habeo quod defendam*, idemque levissima mutatione emendat *possit*. Iam *potuit* recte cohaeret cum universo contextu. Superest verbum *fieri*, quod tantam glossematis speciem exhibebat Garatonio, ut a recipiendo eum deterreret. Mihi vero illud non tantum commendat auctoritas gravissima Palimpsesti, verum etiam loci natura. Est enim superiorum conclusio, et propositio totius suae defensionis. Iam vero cum conclusiones, tum propositiones, clarae esse debent, neque ellipsibus infuscatae. Tolle *fieri*, quod verissimum est in causa Milonis, poterit auditor supplere *dici*, *esse*, et similia. Peyr.

*Quod defendam*) Palimps. Taurin. *quid defendam*. Id.

*Sin hoc et ratio — Sin hoc nemo vestrum*) Sic vulgo. — Palimps. Taur. SICHOCRATIO, ut sit *si hoc ratio*. Sic paulo infra *si hoc* pro vulgato *sin hoc*; ut Palimpsestus non multum suffragetur particulae *sin*. Id.

*Miloni fuit*) *Fuit Miloni* 7, 24, 54. Lag. Ob antecedens *putasset* Ernestus legendum coniicit *fuisset*; sed, praeterquamquod libri omnes, atque Palimps. Taur. exhibent *fuit*, eum refutatum dedit Heusingerus p. LXIX praef. ad Ciceron. Offic. Adde etiam paria exempla, quae Garatonius in adnot. ad h. l. profert. Id.

*Non iugulandum illi trad.*) Ita Palimps. Taur. Alii: *illi non iugulandum trad.* T.

*Non illud iam in iudicium venit*,

saepe quaesitum est. Insidias factas esse constat; et id est, quod senatus contra rempublicam factum iudicavit: ab utro factae sint, incertum est. De hoc igitur latum est ut quaereretur. Ita et senatus rem, non hominem, notavit; et Pompeius de iure, non de facto, quaestionem tulit.

XII. Numquid igitur aliud in iudicium venit, nisi, uter utri insidias fecerit? profecto nihil. Si hic illi, ut ne sit impune. Si ille huic, ut scelere solvamur. Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem, in illa tam audaci, tam nefaria bellua, docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, CVI BONO FVERIT, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi saepe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur,

Cap. XII. *Itaque illud Cassianum iudicium in his personis valeat*) L. Cassius fuit, sicut saepe iam diximus, summae vir severitatis. Quoties quaesitor iudicii alicuius esset, in quo quaereretur de homine occiso, suadebat, atque etiam praeibat iudicibus (hoc quod Cicero nunc admonet) ut quaereretur, cui bono fuisset perire eum de cuius morte quaereretur. Ob quam severitatem, quo tempore Sex. Peduceus tribunus pl. criminatus est L. Metellum pontificem maximum totumque collegium pontificum male iudicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Aemiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam et Liciniam, populus hunc Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quaereret; isque et utrasque eas, et praeterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit.

*occisus ne*) Ita Palimps. Taur. Reliqui *illud iam in iudicium venit, non, occisusne.* Id.

**Saepe quaesitum est*) Sic Graev. e cod. Erf. adstipulante Ernestio. Vulg. *quod multis antea in causis iam quaesitum est.* — Cum Erfurt. consonat Palimps. Taur.

*Vt scelere solvamur*) Ita Palimps. Vulgabatur ab omnibus *tum nos scelere solvamur.* Ernestus post Lambinum coniecerat *tum nos ut scelere solvamur;* quare *tum nos* nihil nisi glossema est germanae particulae *ut.* Pyra.

*Satis est in illa quidem*) Ita Palimpsestus. Ceteri *satis est quidem in illa*, sed *quidem*, graece γε, melius cohaeret cum *in illa*, quam cum *satis est.* Id.

non modo ut praetor esset, non eo consule, quo sceleris nihil facere posset; sed etiam, ut iis consulibus praetor esset, quibus, si non adiuvantibus, at conniventibus certe, speraret, se posse eludere in illis suis cogitatis furoribus: cuius illi conatus, ut ipse ratiocinabatur, nec, si possent, reprimere vellent, quum tantum beneficium ei se debere arbitrarentur; et, si cuperent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam vetustate audaciam. An vero, iudices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestrae peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges nominandae sunt, ac non faces urbis, pestes reipublicae) fuerit impositurus nobis omnibus atque inusturus? Exhibe, quaeso, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum vestrarum,

*Vt iis consulibus*) P. Plautio, Hypsaeo et Q. Metello Scipione, qui consulatum in anno V. 701 petebant. Schvtz.

*Speraret*) Sic cod. Erf. (Bavaric.) et recepit Ern. Recte. Vulgo olim *sperasset*. Id.

*Se posse*) Ita libri omnes, praeter unum Bavaricum, qui dat *posse se*, quod Garatonio placuit. Perperam. Nam si veteres codices revera dabant *posse se*, multi recentiores omisissent pronomen *se* ob parem clausulam vocis *posse*, quod multa paria exempla demonstrant, ipseque Cl. Mai, qui (Schol. Ambros. ad orat. pro Plancio XXXIV, 6, pag. 178, ed. alt.) *dicens nuntiasse Cn. Pompeio* edidit pro eo quod est in codice *nuntiasse se Cn.* Atqui nullus codex omisit pronomen *se*. Veteres ergo codices legebant *se posse*. Adde hiatum *se eludere*. Peyr.

*Se posse eludere*) Ita codices omnes, et edd. 67, 68, 70, 75, 88. Lag. Ita etiam Erfurt. Bavar. Pithoeanus, uterque Barber. septem Britan. Garaton. uterque Taurin. Romana, Ignota etc. Vulgabatur *posse rempublicam eludere*. Sic *eludere* absolute positum legitur III in Verr. 4, *impune eludentem*; Livius I, 48, *illum diu per licentiam eludentem*; et II, 45, *hostis eludebat*; vide et XXXVII, 32, aliaque loca a Garatonio adnot. ad h. l. apte excitata. Id.

*Si possent reprimere, vellent*) *Si cuperent reprimere possent* codices et editiones, praeter 92. Lag. Absurda haec traiectio infecit libros omnes; quare illam profectam existimo ex uno vetustissimo codice, unde libri nostri manarunt. Id.

*Faces, pestes reipubl.*) Ita codd. optimi, probante Garatonio. Typ.

*Librarium*) Lamb. e duobus MSS. *libellarium*. S.

quod te aiunt eripuisse e domo, et ex mediis armis turbaque nocturna tanquam Palladium sustulisse, ut praeclarum videlicet munus atque instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses (1)....... Et adspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, quum omnibus omnia minabatur. Movet me quippe lumen curiae. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cuius tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare?

Cap. XIII. *Et adspexit me illis quidem oculis* etc.) Hic est Sex. Clodius, quem in argumento huius orationis diximus corpus Clodii in curiam attulisse, et ibi cremasse, eoque incenso curiam conflagrasse. Ideo *lumen curiae* dicit.

*Videlicet munus*) Sic ediderunt e MSS. Lambin. Graev. Ernest. Vulgo *praeclarum inde munus ac*. Pro *ac* ex ed. Rom. Ern. reposuit *atque*. S.

(1) Quae hic desunt, Peyronus V. Cl. partim coniectura, partim scriptis, ita supplevit: «Atque *permultas leges* (a) *praeter ius et aequitatem excogitatas quum recitare possem, unam tantum exponam, iudices, ceterarum omen atque firmamentum. Ille enim maiora suis legibus suffragia, atque latrociniis arma comparaturus constituerat, ut servis, qui privata dominorum voluntate manumissi in libertate morabantur* (b), *iusta libertas ac civitas romana cum suffragio in rusticis tribubus ipso iure daretur.* «*An huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, ne dicam consule? De nostrum enim omnium*: (c)—*non audeo totum dicere.*»(d)«*Videte quid ea vitii lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est.*»

*Movet me quippe lumen curiae*) locus in ambiguo. Innuit enim curiae incendium, quum Sext. Clodium clarissimum senatorem vocare videatur. Abr.

*Punitus es*) Pro punivisti, figurate: ut *fabricatus est gladium*, pro *fabricavit*. Quod utrumque Quintilianus, lib. IX, cap. 3 ad verborum figuras refert. Man.

(a) *Atque permultas*) De hac divinatione fuse dixi in commentatione, ubi de lacunis orationis disserui. Peyr.

(b) *In libertate morabantur*) Haec paene sunt verba legis Iuniae Norbanae: «Qui inter amicos manumissi sunt, dominive voluntate in libertate » morantur, ipso iure liberi sunto, et Latinorum coloni vicorum iura ntun- » tor.» Vlpianus I, 10 Fragm. regula ex vet. Icto. §. 6 sq. Id.

(c) *Nostrum enim*) Ita codices Quintiliani IX, 2. Scholiasta Ambrosianus utramque vocem coniungens scribit *nostrorum omnium*. Id.

(d) *An huius — totum dicere*) Haec ex Quintiliano sumpta. Reliqua ex Scholiasta Ambrosiano. Sed, ut tota supplementi ratio clare percipiatur, Commentationem *de Lacunis*, quae orationem praecedit, legere suadeo. Tyr.

Tu P. Clodii cruentum cadaver eiecisti domo, tu in publicum abiecisti; tu spoliatum imaginibus, exequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semustilatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. Quare, etsi nefarie fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.

XIII.[*Audistis, iudices, quantum Clodio pro*fuerit occidi Milonem; convertite animos nunc vicissim ad Milonem. Quid Milonis intererat interfici Clodium? Quid erat, cur Milo, non dicam, admitteret, sed optaret? Obstabat in spe consulatus Miloni Clodius. At eo repugnante fiebat; immo vero eo fiebat magis; nec me suffragatore meliore utebatur, quam Clodio. Valebat apud vos, iudices, Milonis erga me remque publicam meritorum memoria; valebant preces, et lacrymae nostrae, quibus ego tum vos mirifice moveri sentiebam; sed plus multo valebat periculorum inpendentium timor. Quis enim erat civium, qui sibi sòlutam] [1] P. Clodii praeturam non sine maximo rerum novarum metu proponeret? solutam autem fore videbatis, nisi

*Semustilatum*) *Semiustilatum* 54, *Semulstulatum* 9, 10, 18, pr. m. 21, 23, 25, 65, 86. *Semiustulatum* ceteri codices Lag. Vide me ad fragmenta orat. pro Tullio 18. Peyr.

*Quare*) Ita Sax., duo Graevii, Paris. Lallema., Bavaricus, Garat. Barber. 2, duobus Britaun. Alii *quam rem*. Id.

*Audistis etc.*) Haec verba addidi ex coniectura; folium enim Taorinensis Palimpsesti incipit his verbis *fuerit occidi Milonem convertite*, atque desinit in verbis *iustum fuisse. Relicum est ut iam illum na.* Id.

*Obstabat in spe*) Haec sibi obiicit Orator, sicque commodum transitum sibi parat ad alteram argumenti partem, qua demonstrare satagit Clodii mortem obfuisse Miloni. Id.

*Quam Clodio*) Quare paulo infra sit Milonem in Clodii morte perdidisse *suffragationem consulatus*. Id.

(1) Vocis inclusa praebuit Palimpsest. Taur.; ab isto vero, versu sequenti, deest *non*. Typ.

*Proponeret solutam*) *Proponi soliatam* 4. *Proponeret solitam* 43. Ceteri libri *proponi solitam*. Lag. *Proponi solitam* uterque Taurineus, Romaoa, Iguota. *Proponi et solutam* Bavaricus, et Britann. tres. *Proponi solutam* Werdensis. Adverbium *autem* solus Erfurtensis exhibebat. Iam si lectiones cod. 43, Erfurt. et Bavarici

esset is consul, qui eam auderet possetque constringere. Eum Milonem unum esse quum sentiret universus populus romanus, quis dubitaret suffragio suo se metu, periculo rempublicam liberare? At nunc, P. Clodio remoto, usitatis iam rebus enitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Singularis illa et huic uni concessa gloria, quae quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, iam Clodii morte cecidit. Vos adepti estis, ne quem civem metueretis; hic exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriae suae perdidit. Itaque Milonis consulatus, qui, vivo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari coeptus est. Non modo igitur nihil prodest, sed obest etiam Clodii mors Miloni. At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, fuit ultor iniuriae, punitor doloris sui. Quid, si haec non dico maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suae gloriae, praeter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? Ille erat ut odisset,

componas, haec enascitur verissima *proponeret? solutam autem;* quod argumento est, veteres amanuenses recte exscripsisse lacunosum codicem, sed, omisso demum indicio lacunae, grammaticos textum ita refinxisse, ut sensus saltem minus improbabilis enasceretur. Id.

*At nunc*) Ita codd. Fabricii, duo Britann. Bavar. Erfurt. Werdensis. Schütz. *At non*, atque haec subdit: «Lamb. ex aliquot MSS. et Graevius e MS. Erf. edidit *at nunc*, quod iure repudiavit Ernest. Sensus enim est: *Miloni nova post mortem Clodii quaerenda esse adiumenta gloriae ideoque non usitatis rebus enitendum esse* etc. Certe si *nunc* ex Erf. asciscatur, legendum deinde sit *inusitatis rebus.* » T.

*At nunc, P. Clodio remoto*) Quasi dicat: vivo Clodio singularem, et aliis inusitatam Milo rationem habebat tuendae dignitatis suae, at nunc, P. Clodio remoto, usitatis iam rebus, et communi via obnitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. A.

*Et huic*) Copulam *et*, quae in libris omnibus deest, addidi obsequutus Palimpsesto. Peyr.

*Clodii morte*) Ita codd. fere omnes cum Palimps. et editionibus. Recentiores editores, *morte Clodii.* T.

*Clodii mors*) Ita Palimps. Ceteri libri addunt *P.*

primum defensorem salutis meae, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremum etiam accusatorem suum; reus enim Milonis, lege Plotia, fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum illum tulisse creditis? quantum odium illius, et, in homine iniusto, quam etiam iustum fuisse?

XIV. Reliquum est, ut iam illum natura ipsius consuetudoque defendat; hunc autem haec eadem coarguant. Nihil per vim unquam Clodius; omnia per vim Milo. Quid ergo, iudices? quum, moerentibus vobis, urbe cessi, iudiciumne timui? non servos, non arma, non vim? Quae fuisset igitur iusta causa restituendi mei, nisi fuisset iniusta eiiciendi? Diem mihi, credo, dixerat; multam irrogarat; actionem perduellionis intenderat; et mihi videlicet in causa aut mala, aut mea, non et praeclarissima, et vestra, iudicium timendum fuit. Servorum et egentium civium et facinorosorum armis meos cives, meis consiliis periculisque servatos, pro me obiici nolui. Vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium, lumen et ornamentum reipublicae, paene interfici servorum manu, quum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus, senator, vir optimus, cum hoc quum esset una, ita est mulcatus,

*Postremum*) Ita Palimps., reliqui libri *postremo*. T.

*Tyrannum illum*) Ita Palimpst. Desideratur *illum* in libris universis.

*Iustum fuisse*) Ita Palimps. Erfurt. Bavar. tres Britann. uterque Taurin. Rom. Ignota. (Alii *iniustam fuisse— iustam — iustum esse — iustam*) Heumannus totum hoc membrum, quod non assequebatur, amputabat; nihil ergo mirum variis emendationibus vexatum fuisse a grammaticis. Peyr.

*Iusta causa*) *Iusta* addidit Ernest. vulgo omissum. Fabricius id in cod. MS. invenerat. — Eam quoque habent Saxonicus et Bavaricus. *T.*

*Timendum fuit*) Sic h. l. restituit Graev. e codd. Fabric. et Erf. Vulgo *et mihi, iudices, in causa aut vestra mala, aut mea nec praeclarissima etiam iudicium timendum fuit.* S.

ut vitam amiserit. Itaque quando illius postea sica illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? Haec intentata nobis est; huic ego vos obiici pro me non sum passus; haec insidiata Pompeio est; haec istam Appiam, monumentum sui nominis, nece Papirii cruentavit; haec, haec eadem longo intervallo conversa

Cap. XIV. *Quando illius postea sica illa*) Manifestum est, pertinere ad id tempus, quo post rogationem a P. Clodio in eum promulgatam, urbe cessit. Quare dicat: *insidiata Pompeio est*, fortassis quaeratis. Pisone et Gabinio Coss. pulso Cicerone in exsilium, quum III Idus Sext. Pompeius in senatum venit, dicitur servo P. Clodii sica excidisse, eaque ad Gabinium consulem delata, dictum est, servo imperatum a P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius statim domum rediit; ex eo domi tenus obsessus est etiam a liberto Clodii Damione, ut ex actis eius temporis cognovi; in quibus XV Kal. Sept. L. Nonius tribunus pl. collega Clodii, quum Damio adversum Flavium praetorem appellaret tribunos, et tribuni de appellatione cognoscerent, ita sententiam dixit: « Et hoc apparitore P. Clodii vulneratus sum; et hominibus armatis praesidiis positis a republica remotus sum. Cn. Pompeius obsessus est. Quum appeller, non utar eius exemplo, quem vitupero; et iudicium tollam, et reliqua de intercessione. » — *Haec istam Appiam viam, monumentum nominis sui, nece Papirii cruentavit*) Pompeius post triumphum Mithridaticum, Tigranis filium in catenis deposuerat apud Flavium senatorem: qui postea quum esset praetor eodem anno, quo tribunus P. Clodius, petiit ab eo Clodius super coenam, ut Tigranem adduci iuberet, ut eum videret. Adductum collocavit in convivium, dein Flavio non reddidit. Tigranem dimisit, et habuit extra catenas, nec repetenti Pompeio reddidit: postea in navem deposuit: et quum profugeret, ille tempestate delatus est Antium. Illico, ut deduceretur ad se, Clodius Sex. Clodium, de quo supra dixi, misit, qui eum reduceret. Flavius quoque re cognita ad diripiendum Tigranem profectus est. Ad quartum lapidem ab urbe pugna facta est; in qua multi ex utraque parte ceciderunt; plures tamen ex Flavii, inter quos et M. Papirius eques romanus publicanus, familiaris Pompeio. Flavius sine comite Romam vix perfugit. — *Haec eadem longo intervallo* etc.) Quo die periculum hoc adierit, ut Clodius eum ad Regiam paene confecerit, nusquam plane inveni. Non tamen adducor, ut putem Ciceronem mentitum, praesertim quum adiiciat, *ut scitis*. Sed videtur mihi loqui de eo die, quo, consulibus Domitius et Messala, qui praecesserant eum annum, quum haec oratio dicta est, inter candidatorum Hypsaei et Milonis manus in via sacra pugnatum est; multique ex Milonis ex improviso ceciderunt. De cuius diei caede et periculo suo ut putem loqui eum, facit et locus pugnae; nam in sacra via traditur commissa, in qua est Regia; et quod assue-

*Haec, haec eadem*) Ita 92. Ceteri *haec eadem*. Lag. Pronomen iterat Erfurtensis, et unus Britannicus, atque hanc repetitionem facile patitur oratio vehemens et concitata. Petr.

rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad Regiam paene confecit. Quid simile Milonis? cuius vis omnis haec semper fuit, ne P. Clodius, quum in iudicium detrahi non posset, vi oppressam civitatem teneret. Quem si interficere voluisset, quantae, quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt? Potuitne, quum domum ac deos penates suos, illo oppugnante, defenderet, iure se ulcisci? Potuitne, civi egregio, et viro fortissimo, P. Sextio, collega suo vulnerato? potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, quum de reditu meò legem ferret, pulso, crudelissima in foro caede facta? potuitne, L. Caecilii, iustissimi fortissimique praetoris, oppugnata domo? potuitne illo die, quum lex est lata de me? quum tôtius Italiae concursus, quem mea salus concitarat, facti illius gloriam libens agnovisset; ut, etiamsi id Milo fecisset, cuncta civitas eam laudem pro sua vindicaret?

XV. Atqui id erat tempus. Clarissimus et fortissimus consul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor sceleris illius, propugnator senatus, defensor vestrae voluntatis, patronus illius publici consensus, restitutor salutis meae; septem praetores, octo tribuni plebis, illius

runt cum candidatis suffragatores Milonis Cicero, Hypsaei Clodius. — *Potuitne L. Caecilii iustissimi fortissimique praetoris oppugnata domo*) L. Caecilius Rufus, de quo dicitur, praetor fuit P. Lentulo Spinthere Q. Metello Nepote coss., quo anno Cicero restitutus est. Is quum faceret ludos Apollinares, ita infima concitata multitudo annonae caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi causa consederant, pellerentur. De oppugnata domo nusquam adhoc legi. Pompeius tamen, quum defenderet Milonem apud populum, de vi accusante Clodio obstitit. Et legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro quarto de vita eius, oppressum a Clodio L. Caecilium praetorem.

*Atqui id erat tempus*) Codd. *Atqui erat tempus*, vel *Atque erat tempus*, quae lectio distincta nota interrogationis placuit Garatonio. Graevius e MSS. et edd. vett. malebat, *atqui erat id tempus*. Ernesl. et Schütz. *Atqui erat id temporis*, quod perpauci iique obscurissimi codices exhibent. Txr.

adversarii, defensores mei; Cn. Pompeius auctor, et dux mei reditus, illius hostis; cuius sententiam senatus omnis de salute mea gravissimam et ornatissimam sequutus est; qui populum romanum cohortatus est; qui, quum de me decretum Capuae fecit, ipse cunctae Italiae cupienti, et eius fidem imploranti, signum dedit, ut ad me restituendum Romam concurrerent. Omnia tum denique in illum odia civium ardebant desiderio mei: quem qui tum interemisset, non de impunitate eius, sed de praemiis cogitaretur. Tamen se Milo continuit, et P. Clodium in iudicium bis, ad vim nunquam vocavit. Quid? privato Milone, et reo ad populum, accusante P. Clodio, quum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus est: quae tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? Nuper vero quum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus attulisset, gravissimamque adolescens nobilissimus reipublicae partem fortissime suscepisset, atque illam belluam, iudicii laqueos declinantem, iam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dii immortales, fuit? Quum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua invidia, Antonii vero maxima gloria? Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit? quum ille vi in septa irrupisset, gladios distringendos, lapides iaciendos curavisset, dein subito, vultu Milonis perterritus, fugeret ad Ti-

*Quem qui tum*) Ernesl. et Schütz. edd. Rom. et Med. sequuti ediderunt, *quem si qui tum*. T.

*In iudicium*) Ita codd. Fabric. Erfurt. Bavaricus. Ceteri libri *ad iudicium*, quod magis respondet alteri parti *ad vim*. Atqui praepositionum variatio, ubi praesertim sua cuique nomini propria ex usu tribuitur, tantum abest a vitio, ut in elegantiae laude ponatur. Haec Garatonius scite monet exemplisque confirmat, quem lege. PEYR.

*In septa irrupisset*) In comitiis repagula quaedam erant tum in campo, tum in foro, quibus multitudo arcebatur. Suffragium autem laturi intromittebantur. HOT.

berim, vos, et omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute sua liberet?

XVI. Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore, impune non est ausus, hunc iniuria, iniquò loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere? Praesertim, iudices, quum honoris amplissimi contentio, et dies comitiorum subesset: quo quidem tempore (scio enim, quam timida sit ambitio, quantaque et quam sollicita cupiditas consulatus) omnia non modo, quae reprehendi palam, sed etiam obscure quae cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam, fictam, levem perhorrescimus; ora omnium atque oculos intuemur. Nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quam voluntas erga nos, sensusque civium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis saepe fastidiunt. Hunc diem igitur campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus et facinus prae se ferens et confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? Quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum, qui se interfecto Milone regnaturum putaret? Quid? quod caput est audaciae, iudices: quis ignorat, maximam illecebram esse pec-

*Obscure quae cogitari*) Ita plerique codices. — Vulgatam a me lectionem prae se ferunt codd. Lambini, Pith. uterque Barb. Garat. Taurin. 2, Romsn. et Ignota. Hanc pronominis relativi postpositionem pluribus exemplis illustrat Garat. ad h. l. PEYR. — Ernestio non satis placebat, *cogitari*, quia etiam, quae recta sint, cogitari possint. An scripsit Cicero *castigari*? SCHVTZ.

*Fabulam, fictam, levem*) Interpunctionem Peyroni sequor, *fictam* ad fabulam, *levem* ad rumorem referri debet. Alii pro *levem* legunt *falsam*. Vtrique e codicibus. At ego suspicor utrumque corruptum esse. Z.

*Qui se*) Recte hoc restituit Ernest. ex edd. vett. Recentiores *quin se*.

*Caput est audaciae*) Ita Erfurt. et Iulius Severianus p. 339. Ceteri libri *audaciae est*. PEYR.

candi, impunitatis spem? In utro igitur haec fuit? in Milone? qui etiam nunc reus est facti, aut praeclari, aut certe necessarii? an in Clodio? qui ita iudicia poenamque contempserat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret? Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? te, Q. Petilli, appello, optimum et fortissimum civem; te, M. Cato, testor, quos mihi divina quaedam sors dedit iudices. Vos ex M. Favonio audistis, Clodium sibi dixisse, et audistis, vivo Clodio, periturum Milonem triduo. Post diem tertium gesta res est, quam dixerat. Quum ille non dubitarit aperire, quid cogitaret, vos potestis dubitare, quid fecerit?

XVII. Quemadmodum igitur eum dies non fefellit? Dixi equidem modo. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat. Vidit, necesse esse Miloni, proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est, die. Itaque antevertit. At quo die? quo, ut ante dixi, fuit insanissima concio ab ipsius mercenario tribuno plebis concitata; quem diem ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquisset. Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non causa solum, sed etiam

Cap. XVII. *At quo die? quo* etc.) Hoc significat, eo die, quo Clodius occisus est, concionatum esse mercenarium eius tribunum pl. Sunt autem concionati eo die, ut ex actis apparet, C. Sallustius et Q. Pompeius, utrique et inimici Milonis et satis inquieti. Sed videtur mihi Q. Pompeium significare.

*Dubitarit aperire*) Sic edidit Schützius pro vulg. *dubitaret*, quem sequor; et ita iam correxerat Garatonius; *dubitarit* etiam legitur in Severiano, Marciano Capella, et Isidoro, teste Peyrono. Typ.

*Cogitaret*) Graev. e cod. Erf. reposuit *cogitarit*; quod recte repudiavit Ernest. Sch.

*Fuit insan. concio — Trib. pleb. concitata*) Vulgabatur *ut ante dixi, insan. concio — est concitata*. Garatonius obsequutus Asconio, Saxon. Erfurt. et Bavarico, quibuscum consentit Taurin. I, ita emendavit, uti edidi. Peyr.

necessitas fuit. Quid, si, ut ille scivit, Milonem fore eo die in via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit? Primum quaero, qui scire potuerit: quod vos idem in Clodio quaerere non potestis. Vt enim neminem alium, nisi T. Patinam, familiarissimum suum, rogasset, scire potuit, illo ipso die Lanuvii a dictatore Milone prodi flaminem necesse esse. Sed erant permulti alii, ex quibus id facillime scire posset: omnes scilicet Lanuvini. Milo de Clodii reditu unde quaesivit? Quaesierit sane. Videte, quid vobis largiar. Servum etiam, ut Q. Arrius, meus amicus, dixit, corruperit. Legite testimonia testium vestrorum. Dixit C. Cassinius Schola Interamnas, familiarissimus, et idem comes P. Clodii, cuius iam pridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae, P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse; sed subito ei esse nuntiatum, Cyrum architectum esse mortuum; itaque Romam repente constituisse proficisci. Dixit hoc comes item P. Clodii, C. Clodius.

XVIII. Videte, iudices, quantae res his testimoniis confectae sunt. Primum certe liberatur Milo, non eo

Nam eius seditiosior fuit concio. — *Dixit C. Cassinius Interamnas*, etc.) Fuit hic Cassioius, apud quem Clodius mansisse Interamnae videri volebat, qua

*Vt Q. Arrius*) MSS. *Atque* vel *Atq. Arrius* — *Vt Q. Arrius* dedit Garatonius ex Saxon. Bavar. Barb. 2 et Scholii membranis III Nod. Cic. 13. Ex lectione UTQ. facile ortum est mendosum *atque*. De Q. Arrio disputat Garatonius ad h. l. Id.

*Cassinius Schola*) Libri omnes addunt, alii *cognomento*, alii *cognomine*, ut vulgaretur *Cassinius cognomento Scola*. At *Schola* cum adspiratione scribunt Asconius, egregii codd. Germani, Romans, Igoota. Adiectitium *cognomento*, vel *cognomine* non agnoscunt Asconius, Coloniensis, et Erfurtensis et codd. 7, 9 Lagomarsinii. Revera, ut ait Garatonius, si genti Cassiniae id erat cognomen, contra morem additum esset, ut Perizonius docuit animad. hist. c. II, p. 69. Sin inditum aliqua de causa dicatur, tum vero quid ista notatio habeat argumenti? Id.

*Confectae sunt*) Ita libri fere omnes. Alii *sunt confectae*, aut *confectae sint*. Typ.

consilio profectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe qui obvius ei futurus omnino non erat. Deinde (non enim video, cur non meum quoque agam negotium) scitis, iudices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent, Milonis manu caedem esse factam, consilio vero maioris alicuius. Me videlicet latronem ac sicarium abiecti homines et perditi describebant. Iacent hi suis testibus, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro audisset, fuisse rediturum. Respiravi; liberatus sum: non vereor, ne, quod ne suspicari quidem potuerim, videar id cogitasse. Nunc persequar cetera. Nam occurrit illud: «Igitur ne Clodius quidem de insidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus.» Si quidem exiturus ad caedem e villa non fuisset. Video enim, illum, qui dicitur de

nocte deprehensus est in Caesaris domo, quum ibi in operto virgines sua populo romano sacra facerent.

Cap. XVIII. *Scitis, iudices, fuisse*, etc.) Q. Pompeius Rufus et C. Sallustius tribuni fuerunt, quos significat. Hi enim primi de ea lege ferenda populum hortati sunt, et dixerunt, manu Milonis occisum esse Clodium, consilio vero maioris alicuius.

*Profectus esse*) Insolentia huius formae dicendi offendit Ernestium. Usitatius certe esset, *liberatur crimine Milo, quod dicitur eo consilio profectus esse*. Sch.

*Quippe qui obvius ei*) Hanc Garatonii lectionem recepit Peyronus V. Cl., eamque firmant Saxon. duo Lambini, Erfurt. Pith. Bavar. Vulgo cum Victorio, *quippe qui ei obvius* etc. Schützius paruit Goërenzio monenti ad Cic. de Finib. IV, 3, scribendum esse, *quippe; ei obvius futurus* etc. Typ.

*Me videlicet*) Quum omnes habeant *videlicet me*, placuit Garatonio ille ordo ex Asconii codd. et duobus Fabricii. Peyr.

*Iacent hi suis testibus*) Ita MSS. aliquot. Alii, *iacent suis testibus ii*. Typ. — Garatonius Lambinum auctorem secutus dedit: *Iacent hi suis testibus*. Haud video qua de causa pronomen *hi* a sua sede exturbandum sit. Peyr.

*Igitur ne Clodius*) Ita codd. Saxon. Erfurt. Bavar. Lambini. Abest *igitur* a ceteris libris et editionibus. Iam Gruterus et Graevius hoc receperant. Typ.

*Mansurus. Siquidem — non fuisset*) Vulgo sic interpungitur *mansurus, si quidem* etc. Sed post *mansurus* plene erat distinguendum. In verbis *si quidem fuisset* est Ciceronis responsio. Bene hoc expediit Car. Gottl. Schelle ad h. l. Sch.

Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. Nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? Vna fui; testamentum simul obsignavi cum Clodio; testamentum autem palam fecerat, et illum heredem et me scripserat. Quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima denique ei nuntiabatur?

XIX. Age, sit ita factum. Quae causa, cur Romam properaret? cur in noctem se coniiceret? Quid afferebat festinationem? Quod heres erat? primum erat nihil, cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem, si postridie mane Romam venisset? Atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quam expetendus fuit: sic Miloni, quum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsidendum atque exspectandum fuit. Noctu, insidioso et pleno latronum in loco occidisset. Nemo ei neganti non credidisset, quem esse omnes

Cap. XIX. *Atque ut illi nocturnus adventus vitandus fuit*, etc.) Via Appia est prope urbem monumentum Basili, qui locus latrociniis fuit perquam infamis, quod ex aliis quoque multis intelligi potest.

*Quid afferebat festinationis quod heres erat*) Ita Cl. Peyronus. Edd. veteres: *quid afferebat festinatiō?* vel *festinationem?* Codd. Erf. Franc. uterque, Palat. aliique *quid afferebat festinationis*. — Coloniensis, *adferebat causa festinationis*, quod probarunt Gruterus, Graevius, aliique usque ad Ernestum. Hic mendum suspicatus edidit *causam*, quem sequutus est Garatonius. Ipse sequutus sum aliam a Garatonio excogitatam interpunctionem (iam a Schellio propositam. *T.*), quae non ineptum fundit sensum; antea enim interpungebatur *festinationis? quod heres erat?* PEYR. Vereor tamen ut locutio *quid — quod* Ciceroni parum conveniat. Vulgatam cum Schutzio servavi. In tanta vero sententiarum varietate si est coniecturae locus, mihi non inepte prorsus sic legi posse videtur: *Quid afferebat festinatio? Num quod heres erat?* quod parum recedit a sententia Victorii, et Graevii. TYP.

*Insidioso*) Vulgo *invidioso* quod h. l. prorsus ineptum esse vidit Ernestius.

salvum, etiam confitentem, volunt. Sustinuisset hoc crimen primum ipse ille latronum occultator et receptator locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque caeca nox ostendisset Milonem; deinde multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam haec timentes in suspicionem caderent; tota denique rea citaretur Etruria. Atque illo die certe Aricia rediens devertit Clodius ad se in Albanum. Quod ut sciret Milo, illum Ariciae fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiamsi Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quae viam tangeret, deversurum. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret; nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset?

Video adhuc constare omnia, iudices: Miloni etiam

*Dum neque*) Alii *quum neque.*

*Deinde multi*) Vulgo *deinde ibi multi.* Ex Garatonianis codicibus unus Coloniensis omittit incommodum adverbium loci *ibi*: adeoque illud expunxit Peyronus. Typ.

*Clodius*) Gruterus addidit e cod. Coloniensi voculas *ad se.* Sed ea in ceteris omnibus absunt. Ernestius opinabatur verba *ad Albanum* glossema esse verborum *ad se.* Sch.

*Etiam haec*) MSS. *hoc etiam* vel *haec etiam.* — Sane vox *etiam* afficit pronomen *haec*, ut sit *multi paria damna timentes*; quare recte se habet lectio plerorumque librorum *haec etiam*, quae ceteroquin tollit incommodum hiatum *etiam haec.* Nihil tamen muto; placuit enim illa lectio Ernestio, Garatonio, aliisque summis viris; scire tamen percuperem, quemnam ordinem prae se ferant Coloniensis, Erfurtensis, Bavaricus, ceterique praestantiores libri. Peyr.

*Quod ut sciret Milo*) Cod. ital. *quod ubi*; Erfurt. Saxon. Bavar. *quod ut*, et id recepit Gruterus — Nulla tamen ex allatis lectionibus emendat depravatum locum. Mendum etiam latere putat Garaton. in verbis *illum Ariciae fuisse*; ait enim: *Constat ex cap. 17, non illud addubitari, de quo nullum est uspiam verbum, sciretne Milo Clodium Ariciam esse profectum, sed sciretne fore illum eo die in via.* Quare, his expunctis verbis, consentaneam hanc lectionem proponit *Quod* (ad villam suam divertisse Clodium) *nisi sciret Milo, suspicari tamen debuit, eum* etc., vel, nisi sciret Milo, eum illuc deversurum, suspicari tamen id fore debuit. Equidem ex Palimpsestis, qui forte detegentur, iudicium exspecto. Id.

*Ariciae fuisse*) Sensus est: Milo vel ignoravit discessisse Clodium Aricia, sicque non est profectus eo consilio, ut Aricia redeuntem interficeret: vel scivit, adeoque potuit suspicari, Clodium diversurum ad Albanum villam suam, quae erat prope viam. Cur igitur non occurrit Clodio inter Ariciam et Albanum? Ferr.

utile fuisse Clodium vivere; illi ad ea, quae concupierat, optatissimum interitum Milonis: odium fuisse illius in hunc acerbissimum; nullum huius in illum: consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda; huius tantum in repellenda: mortem ab illo denuntiatam Miloni et praedictam palam; nihil unquam auditum ex Milone: profectionis huius diem illi notum; reditus illius huic ignotum fuisse: huius iter necessarium; illius etiam potius alienum: hunc prae se tulisse, se illo die Roma exiturum; illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium; illum causam mutandi consilii finxisse: huic, si insidiaretur, noctem prope urbem exspectandam; illi, etiamsi hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum.

XX. Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id vero, iudices, etiam dubitandum et diutius cogitandum est? Ante fundum Clodii, quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium, edito adversarii atque excelso loco superiorem se fore putabat Milo, et ob eam rem eum locum ad pugnam potissimum delegerat? an in eo loco est potius exspectatus ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? Res loquitur, iudices, ipsa, quae semper valet plurimum. Si haec non gesta audiretis, sed picta videretis, tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil

*Nullum huius in illum*) Ita Bavar. et cod. Lambini. Alii *in illum huius nullum*. T.

*Reditus illius*) Ita codd. aliquot, reliqui *reditum*. — *Reditus* Bavaric. Qui genitivus pendet a voce *diem*, quemadmodum genitivus *profectionis*. Peyr.

*Ante fundum Clodii*) Num ante fundum Clodii, in edito adversarii loco, superiorem se fore putabat Milo? Graev.

*Versabatur*) Alii *versabantur*. Vulgatam tuentur Erfurt. Barberin. 2, duo Britann. et Taurin. 1. *T.*

*Delegerat*) Alii *elegerat*.

cogitaret mali, quum alter [1] veheretur in rheda, paenulatus, una sederet uxor. Quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam, quum paenula irretitus, rheda impeditus, uxore paene constrictus esset? Videte nunc illum, primum egredientem e villa subito; cur? vesperi; quid necesse est? tarde; qui convenit, id praesertim temporis? Devertit in villam Pompeii. Pompeium ut videret? sciebat in Alsiensi esse. Villam ut perspiceret? millies in ea fuerat. Quid ergo erat? mora et tergiversatio. Dum hic veniret, locum relinquere noluit.

XXI. Age nunc, iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore; tum sine ea. Nunquam non in rheda; tum in equo. Comites Graeculi, quocumque ibat, etiam quum in castra Etrusca properabat; tum nugarum in comitatu

Cap. XXI. *Comites Graeculi, quocunque ibat*, etc.) Saepe obiicit Clodio Cicero socium eum coniurationis Catilinae fuisse. Quam rem nunc quoque reticens ostendit. Fuerat enim opinio, ut Catilina ex urbe profugerat in castra Manlii centurionis, qui tum in Etruria ad Faesulas exercitum ei comparabat, Clodium subsequi eum voluisse, et coepisse, tum dein mutato consilio in urbem redisse.

(1) Aliquid deesse suspicor: nempe amanuensis a primo *alter* (Clodius) ad secundum *alter* (Milo) exsilire potuit; quod frequenter accidit in verborum similitudine. Typ.

*Egredientem e villa subito; cur?*) Quum Cicero dixisset, *videte nunc illum primum egredientem e villa subito*, quum scilicet Milonem venire intellexisset, quaerit Cicero *cur?* scilicet tam subito prodibat e villa; respondent Clodiani, *vesperi*, imminebat brevi nox, subito erat Romam properandum. Quaerit iterum Cicero, *quid necesse est* vesperi viae se committere? respondent Clodiani *tarde* se viae committebat. Instat Cicero, *qui convenit id praesertim temporis?* Cur tam tarde iter ingreditur, quum praesertim tam serum sit, hora nimirum decima? Reponunt illi: *divertit in villam*. Quaerit Cicero cur? *num Pompeium ut videret?* Atqui sciebat in Alsiensi illum esse. Graev.

*Devertit in villam Pompeii*) Nempe egressus ex Albano suo Clodius devertit in Albanum Pompeii; quod fundo suo vicinum erat. Schütz.

*In Alsiensi*) Alsium oppidum fuit in Etruria, in cuius territorio villam habuisse videtur Pompeius. Abr.

nihil. Milo, qui nunquam, tum casu pueros symphoniacos uxoris ducebat, et ancillarum greges. Ille, qui semper secum scorta, semper exoletos, semper lupas duceret, tum neminem, nisi ut virum a viro lectum esse diceres. Cur igitur victus est? quia non semper viator a latrone, nonnunquam etiam latro a viatore occiditur; quia, quamquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. Nec vero sic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus. Semper ille, et quantum interesset P. Clodii, se perire, et quanto illi odio esset, et quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam suam, quam maximis praemiis propositam et paene addictam sciebat, nunquam in periculum sine praesidio et sine custodia proiiciebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit, et perculit ab abiecto. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis; qui quum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitavit; in quos incensos ira, vitamque domini desperantes quum incidisset, haesit in iis poenis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetiverunt. Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet, ne indicarent, ne dolorem perferre non possent, ne tormentis cogerentur, occisum esse a servis Milonis in Appia via P. Clodium, confiteri. Quid opus est tortore? quid quaeris? Occideritne? occidit. Iure, an iniuria? nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quaestio est, iuris in iudicio.

*Lupas duceret*) Sic Graev. e MSS. Vulgo *ducebat*. Sch.

*Esse diceres*) Heumanus delevit *nisi*, idemque Ernestio spurium videbatur. Mihi quidem excidisse videntur verba quaedam post *nisi*, ut Cicero scripserit, *tum neminem nisi servos armatos, ut virum a viro lectum esse diceres*. Sch.

XXII. Quod igitur in causa quaerendum est, id agamus hic: quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu vero cur miserit, si id potius quaeris, quam cur parum amplis affecerit praemiis, nescis inimici factum reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter et fortiter, M. Cato, dixitque in turbulenta concione, quae tamen huius auctoritate placata est, non libertate solum, sed etiam omnibus praemiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. Quod enim praemium satis magnum est tam benivolis, tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos vivit? Etsi id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine et vulneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosque satiavit. Quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis. Hic vero nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam, etiamsi quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum praemium persolutum. Sed quaestiones urgent Milonem, quae sunt habitae nunc in atrio Libertatis. Quibusnam de servis? rogas? de P. Clodii. Quis eos postulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Vnde? ab Appio. Dii boni! quid potest agi severius? De servis nulla lege quaestio est in dominos, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime deos accessit Clodius, propius quam tum, quum ad ipsos penetrarat: cuius de morte, tanquam de caerimoniis violatis, quaeritur. Sed tamen maiores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt; non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum,

*Dedendi fuerunt* ) Alii *fuissent.* Vulgatam tuentur Erfurt. Bavar. Barb. Garat. omnib. Britann. etc. *P.*

*Quum ad ipsos penetrarat* ) Quum in opertum Bonae Deae solis mulieribus patens, et maribus interdictum ingressus est. ABR.

*Videbatur indignum* ) Alii addunt

et dominis morte ipsa tristius. In reum de servis accusatoris quum quaeritur, verum inveniri potest? Age vero, quae erat, aut qualis quaestio? Heus tu, Rufio, verbi causa, cave sis mentiaris. Clodius insidias fecit Miloni? *fecit*; certa crux: *nullas fecit*; sperata libertas. Quid hac quaestione certius? Subito arrepti in quaestionem, tamen separantur a ceteris, et in arcas coniiciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. Hi centum dies penes accusatorem quum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. Quid hac quaestione dici potest integrius? quid incorruptius?

XXIII. Quod si nondum satis cernitis, quum res ipsa tot tam claris argumentis signisque luceat, pura mente atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conscientia exanimatum, Romam revertisse: recordamini, per deos immortales, quae fuerit celeritas reditus eius; qui ingressus in forum, ardente curia; quae magnitudo animi, qui vultus, quae oratio. Neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit; neque senatui modo, sed etiam publicis praesidiis et armis; neque his tantum, verum etiam eius potestati, cui senatus totam rempublicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi romani arma commiserat. Cui nunquam se hic profecto tradidisset, nisi causae suae confideret; praesertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientiae, iudices, et magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint. Neque vero sine

*esse*, quod abest a Coloniensi, et iam Gruterus repudiarat. Typ.

*Eius potestati*) Scil. Pompeii Magni. *S.*

*Qui peccarint*) Peyronus praetulit *peccarent*; aut potius puto esse σφάλμα typographicum. *T.*

ratione certa causa Milonis semper a senatu probata est. Videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam. An vero obliti estis, iudices, recenti illo nuntio necis Clodianae, non modo inimicorum Milonis sermones et opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum? Negabant eum Romam esse rediturum. Sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum, arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut aequo animo patria careret, quum sanguine inimici explesset odium suum; sive etiam illius morte patriam liberare voluisset, non dubitaturum fortem virum, quin, quum suo periculo salutem reipublicae attulisset, cederet aequo animo legibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipse servasset. Multi etiam Catilinam atque illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriae faciet. Miseros interdum cives, optime de republica meritos! in quibus homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt: quae certe vera exstitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honeste vereque defendere.

XXIV Quid? quae postea sunt in eum congesta, quae quemvis, etiam mediocrium delictorum conscientia, perculissent, ut sustinuit, dii immortales! sustinuit? immo vero ut contempsit, ac pro nihilo

*Legibus*) Ern. uncis inclusit, ut h. l. parum aptum. Sch.

*Illa portenta*) Scil. *verborum* quae statim afferuntur *erumpet — bellum patriae faciet*. Falso Heumannus *illa portenta* interpretatus est sic, quasi significaret *eius generis conscelcratos atque exsecrabiles homines*. Id.

*Perculissent*) Alii *in mediocrium d. conscientia, perculissent*.—Vulgatam *quemvis etiam .... conscientia perculissent* confirmant duo Fabric. Colon. Werdensis; Bavaricus, Garat. et duo Britann. *Conscientia* est ablativus causalis. P.

putavit! quae neque maximo animo nocens, neque innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset. Scutorum, gladiorum, sparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur. Nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus; arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi; domus in clivo Capitolino scutis referta; plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum. Haec non delata solum, sed paene credita; nec ante repudiata sunt, quam quaesita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeii; sed dicam, ut sentio, iudices. Nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt ii, quibus tota commissa est respublica. Quin etiam fuerit audiendus popa Licinius, nescio qui, de circo maximo: servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse de interficiendo Cn. Pompeio coniurasse; deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nuntiavit. Arcessor in primis. De amicorum sententia rem defert ad senatum. Non poteram in illius mei patriaeque custodis tanta suspicione, non metu exanimari: sed mirabar tamen, credi popae; confessionem servorum audiri; vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. Verum, ut intelligo, cavebat magis Pompeius, quam ti-

*Scutorum, gladiorum*) Alii addunt *frenorum*. At libri scripti, alii *frenorum*, alii *sparorum*, alii demum utramque vocem exhibent. Sed quis, inquit Peyron, feret *fraenos* inter arma? De *sparis* lege Donatum ad Liv. 34, 15, et Nonium. Lambinus vero coniicit *framearum*.

*Sparorum*) Nonius de genere armorum: *Sparus telum agreste*. Abr.

*Fuerit audiendus*) MSS. *audiendus fuerit*, vel *fuit*; alii *audiendus est*, vel *sit*. —Vulgatae suffragantur codd. Fabricii, Graevii, Bavaric. et unus Brit. *Fuerit* est subiunctivus concessionis, indice Garatonio. Peyr.

*De circo maximo*) Omittunt *maximo* codd. Fabricii; illudque repudiarunt Ernest. et Schütz. Typ.

*Sibi confessos esse — coniurasse*) Alii addunt *se* post *esse*.

*Verum, ut intelligo*) Ita Saxon. et

mebat, non ea solum, quae timenda erant, sed omnino omnia, ne aliquod vos timeretis. Oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi et fortissimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. Nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat. Tamen audiebatur. Non poteram Cn. Pompeium, praestantissima virtute virum, timidum suspicari: diligentiam, tota republica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo senatu nuper in Capitolio senator inventus est, qui Milonem cum telo esse diceret. Nudavit se in sanctissimo templo, quoniam vita talis et civis et viri fidem non faciebat, ut, eo tacente, res ipsa loqueretur. Omnia falsa atque insidiose ficta comperta sunt.

XXV. Quod si tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc iam Clodianum crimen timemus, sed tuas,

Cap. XXV. *Non iam hoc Clodianum crimen timemus*, etc.) Diximus in argumento orationis huius, Cn. Pompeium simulasse se timere, seu plane timuisse Milonem, et ideo ne domi quidem suae sed in hortis superioribus ante iudicium mansisse, ita ut villam quoque praesidio militum circumdaret. Q. Pompeius, tribunus pl., qui fuerat familiarissimus omnium P. Clodio, et sectam suam sequi se palam profitebatur, dixerat in concione paucis post diebus, quam Clodius erat occisus: *Milo dedit, quem in curia crematis: dabo quem in Capitolio sepeliatis.* In eadem concione idem dixerat (habuit enim eam a. d. VIII. Kal. Febr. quum Milo pridie, id est VIIII. Kal. Febr., venire ad

Bavaricus. Alii, *verumtamen ut intelligo.*

*Ne aliquod*) Alii *ne aliquid.*

*Tam celebri loco*) Habitabat enim Caesar, a quo tempore pontifex max. creatus est, in sacra via, in domo publica: quum ante pontificatum in Suburra modicis aedibus habitasset. Svet.

*Virum*) Sic Graev. e MSS. it. Ern. Vulgo *civem*. S.

*Ut, eo tacente*) Ita Saxon. Erfurt. Bavaric. Alii, *nisi, eo tacente*, inter quos Schutzius, qui haec subdit: « Mirum hoc Graevio adeo placuisse, ut ei lectioni neminem sanae mentis refragari posse diceret. Vulgatum igitur bene defendit Heumannus. Est enim cum indignatione quadam et amare dictum *quoniam — fidem non faciebat, nisi res ipsa loqueretur.*» Typ.

*Insidiose*) Codd. plerique *insidiosa*. Duo apud Lagomars. *invidiose*. — Heumannus et Ernestus scribendum coniiciebant *invidiose*, idemque probabatur Garatonio; cave tamen, ne credas duobus Lag. codicibus, facilis enim est utriusque vocis permutatio, neque adstipulantur praestantiores codices Germani. Peyr.

Cn. Pompei (te enim iam appello *et* ea voce, ut me exaudire possis) tuas, tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus. Si Milonem times, si hunc de tua vita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas; si Italiae delectus, ut nonnulli conquisitores tui dictitarunt, si haec arma, si Capitolinae cohortes, si excubiae, si vigiliae, si delecta iuventus, quae tuum corpus domumque custodit, contra Milonis impetum armata est, atque illa omnia in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: magna in hoc certe vis, et incredibilis animus, et non unius viri vires atque opes indicantur, si quidem in hunc

Pompeium in hortos eius voluisset.) Pompeium ei per hominem propinquum misisse ne ad se veniret. Prius etiam quam Pompeius tertium consul crearetur, tres tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Sallustius Crispus, L. Munatius Plancus, quum quotidianis concionibus suis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium, et ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset illud quoque indicium, suae vitae insidiari Milonem. Responderat Pompeius, Licinium quemdam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse, servos quosdam Milonis itemque libertos comparatos esse ad caedem suam; nomina quoque servorum edidisse; ad Milonem misisse, ut eos in sua potestate haberet; a Milone responsum esse, ex is servis, quos nominasset, partim neminem se unquam habuisse, partim manumisisse. Dein quum Licinium apud se haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicem, venisse; qua re cognita in vincula eum publica a se coniectum. Decreverat enim senatus, ut eum interrege et tribunis plebis Pompeius daret operam, ne quid respublica detrimenti caperet. Ob has suspiciones Pompeius in superioribus hortis se continuerat, deinde ex S. C. delectu per Italiam habito, quum redisset, venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat. Item, quum senatus in porticu Pompeii haberetur, ut Pompeius posset interesse, unum tum excuti prius, quam in senatum intraret, iusserat. Hae sunt suspiciones quas dicit se Cicero pertimescere.

*Et*) tacite addidit Peyronus.

*Exaudire*) Ita Asconius, libri omnes *audire*. P.

*Possis*) Quia scil. non in tribunali, sed pro aerario sedebat. S.

*Conquisitores*) Qui delectui habendo, conscribendoque exercitui praeerant. Ferr.

*Dictitarunt*) Ita codex apud Lagomars.; alius *dictitarent*. Reliqui *dictitant*, et ita vulgatum est. — *Dictitarunt* Saxon., et Bavaricus. Munus conquisitorum iam ante coeperat. Peyr.

*Indicantur*) Sic Erfurt. Pith. Bav. duo Britann. Garaton. uterque Taur.,

unum et praestantissimus dux electus, et tota respublica armata est. Sed quis non intelligit, omnes tibi reipublicae partes aegras et labantes, ut eas his armis sanares et confirmares, esse commissas? Quod si locus Miloni datus esset, probasset profecto tibi ipsi, neminem unquam hominem homini cariorem fuisse, quam te sibi; nullum se unquam periculum pro tua dignitate fugisse; cum illa ipsa teterrima peste se saepissime pro tua gloria contendisse; tribunatum suum ad salutem meam, quae tibi carissima fuisset, consiliis tuis gubernatum; se a te postea defensum in periculo capitis, adiutum in petitione praeturae; duos se habere semper amicissimos sperasse, te tuo beneficio, me suo. Quae si non probaret; si tibi ita penitus inhaesisset ista suspicio, nullo ut evelli modo posset; si denique Italia a delectu, urbs ab armis, sine Milonis clade nunquam esset conquietura: nae iste haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, et ita consuevit; te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit.

XXVI. Vide, quam sit varia vitae commutabilisque ratio, quam vaga volubilisque fortuna, quantae infidelitates in amicis, quam ad tempus aptae simulationes,

quae lectio cum maxime probabilis, tum consensu plerorumque utriusqoe familiae codicum firmata est; edd. tamen saeculi XV (et recentiores omnes, quas vidi. *T.*) *indicantur*. In.

*Se saepissime*) Alii omittunt *se*. — Vulgatam confirmant Saxonicus et Bavar. quae tamen ab Ernesto et Garatonio improbata fuerit. Id.

*Inhaesisset*) Olim *insedisset*. — Vulgatam servant Saxon. Erfurt. Bavar. duo Grut. et totidem Britann. Vtraque lectio aeque probabilis; nostra praestantiores codices habet suffragatores. In.

*Ita consuevit*) Fulv. Vrsinus hic aliquid deesse putabat. Sane ut nunc sunt verba *is qui — consuevit*, vix explicari satis apte possunt. *S.*

*Antestaretur*) *Antestari* dicebantur ii, qoi quum in ius quempiam vocarent, praesentes apprehensa auricula monebant, uti meminissent eum in ius vocatum, et quum opus esset, id testarentur. Vide Turnebum Adversar. XIII, 27. Abr.

*In amicis*) In libris nonnullis, teste Lambino, *amicitiis*. S.

quantae in periculis fugae proximorum, quantae timiditates. Erit, erit illud profecto tempus, et illucescet aliquando ille dies, quum tu, salutaribus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis (qui quam crebro accidat, experti debemus scire) et amicissimi benivolentiam, et gravissimi hominis fidem, et unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres. Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompeium, iuris publici, moris maiorum, rei denique publicae peritissimum, quum senatus ei commiserit, ut videret, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET; quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis: hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium exspectaturum fuisse in eius consiliis vindicandis, qui vi iudicia ipsa tolleret? Satis iudicatum est a Pompeio, satis, falso ista conferri in Milonem; qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolvi a vobis oporteret; ut omnes confitentur, liceret. Quod vero in illo loco, atque illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet, satis declarat, se non terrorem inferre vobis (quid enim illo minus dignum, quam cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse, et more maiorum et suo iure, posset?), sed praesidio esse: ut intelligatis, con-

Cap. XXVI. *Contra hesternam concionem illam*) Idem T. Munatius Plan-

*Salutaribus*) Ant. Augustinus malebat *salvis*. Garatonius coniiciebat *salubribus*. S.

*Satis, falso*) Vulgo omittitur *satis*. — Firmatur haec repetitio a Bavar. Barb. Garat. septem Britann. et utroque Taurin. PEYR. Habent etiam cod. Erfurt. Pith. Werd. et visa est Grutero elegans ἐπάνοδος. T.

*Qui*) Ernestius malebat *quam*. S.

*Tulit*) Scil. ut quaereretur de caede in via Appia facta. *S.*

*Oporteret — liceret*) Heumannus legendum censet *oportet — licet*. S.

*Illis*) Sic Ern. Vulgo *in illis*. Praepositionem, quae quibusdam optimis MSS. abest, iam antea Lamb. et Graev. deleverant. *S.*

tra hesternam concionem illam licere vobis, quod sentiatis, libere iudicare.

XXVII. Nec vero me, iudices, Clodianum crimen movet; nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis. De qua, si iam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam clamare atque mentiri gloriose liceret: « Occidi, occidi, non Sp. Maelium, qui annona levanda, iacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem videbatur, in suspicionem incidit regni appetendi; non Ti. Gracchum, qui collegae magistratum per seditionem abrogavit; quorum interfectores impleverunt orbem terrarum nominis sui gloria; sed eum (auderet enim dicere, quum patriam periculo suo liberasset) cuius nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimae feminae comprehenderunt; eum, cuius supplicio senatus solemnes religiones expiandas saepe censuit; eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse; eum, qui civem, quem senatus, quem populus romanus, quem omnes gentes, urbis ac vitae civium conservatorem iudicarant, servorum armis exterminavit; eum, qui regna dedit,

cus, ut saepe diximus, post audita et obsignata testium verba, dimissosque interim iudices, vocata concione cohortatus erat populum, ut clausis tabernis postero die ad iudicium adesset, nec pateretur elabi Milonem.

*Mentiri gloriose liceret*) I. e. falso se accusare gloriosi facinoris. Mirum est Gulielmio hoc in mentem venisse, ut *metiri* putaret legendum. *S.*

*Videbatur*) Ita Palimps. Taurin. consentientibus multis codd. Quintil. V, 11, 439, atque codice 8 Lagom. In ceteris vero Tullii libris est *putabatur*, quod vulgatum est. Peyr.

*Impleverunt*) Ita Palimps. Taur. et unus apud Lagomars. Reliqui *implerunt*. T.

*Nefandum*) Ita Palimps. cum optimis MSS. Alii, *nefarium*. T.

*Comprehenderunt*) Ita Palimps. — Heumannus coniiciebat *deprehenderunt*, quem refutavit Garatonius. *P.*

*Iudicarant*) Ita Palimps. et codd. Lambini. Alii *iudicabant*.

*Dedit*) In margine Palimpsesti

ademit, orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est; eum, qui plurimis caedibus in foro factis, singulari virtute et gloria civem domum vi et armis compulit; eum, cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore nec in libidine; eum, qui aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recensionis, tabulis publicis impressam, exstingueret; eum denique, cui iam nulla lex erat, nullum civile ius, nulli possessionum termini; qui non calumnia litium, non iniustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat; qui non solum Etruscos (eos enim penitus contempserat), sed hunc P. Varium, fortissimum atque optimum civem, iudicem nostrum, pellere possessionibus, armis, castrisque conatus est; qui cum architectis et decempedis villas multorum hortosque peragrabat; qui Ianiculo et Alpibus spem possessionum terminabat suarum; qui quum ab equite romano splendido et forti, M. Paconio, non impetrasset, ut sibi insulam in lacu

Scholium minutis litteris: *Dedit Ptolemeo ademit Deiotaro.* Peyr.

*Quibuscum*) In margine Palimps. Scholium minutis litteris ...: *en de Pisone et Gavinio dicit.* Id.

*Aedem Nympharum*) In margine Palimps. Scholium minutis litteris: *Vbi census publici continebantur.* (vel, uti Schützius habet, *ubi tabulae censoriae reponebantur*, quod idem sonat. *T.*) Id.

*Publicam*) Ita codd. praestantiores cum Palimps. Taur. Lambinus vero *publicae* edidit; et idem fecit Schütz., qui vulgatam lectionem *publicam* minus aptam putat, quia sequuntur *tabulae publicae.* Praeterea *publicae recensionis* bene dici affirmat de censu populi Romani. Typ.

*Sacramentis*) Sacramento contendere, est, deposita apud pontificem pecunia litigare. *Varro* lib. V Ling. Lat. et *Asconius* in Verrem lib. I. Man.

*P. Varium*) Alii *Q. Varium* — Cum vulgata consentiunt Hittorpiensis, Werdensis, atque, uti legere videor, Palimpsestus. Nam in Palimpsesto extrema tantum superest inferior pars litterae *P.*, quae, quum recta sit, neque ad ductus litterae *C*, neque ad illos litterae *Q*, accedere potest. Pars superior est evanida. *C. P. Varium* Erfurt. et Bavar. Peyr.

*Fortissimum*) Vulgo additur *virum.* Omittunt Palimps. Erf. Bavar. codd. Fabricii. *T.*

*M. Paconio*) Libri varie errant. Plerique *T. Pacanio,* alii *T. Pacomio,* vel *T. Patanio*, vel *T. Paccanio*, vel

Prilio venderet, repente lintribus in eam insulam materiem, calcem, caementa, arma convexit, dominoque trans ripam inspectante, non dubitavit aedificium exstruere in alieno; qui huic T. Furio Fanio, cui viro? dii immortales! (quid enim ego de muliercula Stantia? quid de adolescente P. Apinio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessissent) sed ausum esse Furio

denique *T. Paccavio*. Lac. Vulgatam confirmant Palimps., Saxon. Erfurt. Bavar. Gens Paconia, uti monet Garatonius, nota est ex I ad Q. Fratrem 1, §. 6, ex Tacito VI, Annal. 3, et ex antiquis apud Gruterum et Muratorium inscriptionibus; contra *Pacania*, aut *Pacavia* plane ignoratur. Peyr.

*Vt sibi insulam*) Ita Palimps. T. codd. Lamb., unus apud Lagomars. Reliqui *ut insulam*. Pronomen *sibi* recte etiam abesse posse probat Garatonius. Id.

*Prilio*) Codd. et edd. *Prelio*, *precio*, *Pretio*.— Bavaricus, ac praestantiores Germani *Perelio*. Cluverius Ital. Ant. 474 *Prelio* legendum esse statuit, quem sequuti sunt Cellarius in Not. Orb. Ant. Wesselingius ad Itin. Vet. 292, aliique. Tamen Plin. III, 5 scribit *Prilem*, vel *Prillem*, atque vetera Itineraria habent *Aprilem*. Scriptura Ciceronis cum illa Plinii facilius conciliatur, si obsequutus auctoritati Palimpsesti legas *Prilio*. Id.

*Materiem*) Ita Palimps. Alii *materiam*.

*Caementa, arma*) Vulgo *atque arma*. Coniunctionem omittunt Palimp. Erfurt. Bavaricus aliique apud Lagomarsin. MSS. aliquot pro *arma* exhibent *arenam*; at illud habent praestantiores et plerique codices cum Palimpsesto; eaque necessaria erant ei, qui per vim aedificabat. Peyr.

*T. Furio Fanio*) Ita Palimpsestus. Plerique libri, atque meliores editores *T. Furfanio*. Praetereo Lagomarsinianas varietates *Furfano*, *Farfinio*. T. Furfanus Postumus praetor Siciliae post bellum civile Caesarianum commemoratur in epist. ad Famil. VI, 8. Iam cum in nominibus facile sit irrepere menda, equidem sequor auctoritatem antiquissimi codicis, qui nomina prae se fert plane Romana, atque familiam notissimam. Id.

*Stantia*) Sic legit Palimps. Alii *Scantia*; libri admodum variant. *T.*

*P. Apinio*) Etiam in hoc nomine scribendo mire variant libri. Palimps. Taur. *Papinio*. Legitur *M. Apinius fidelis* apud Muratorium Inscript. p. 1519, 3. Notior est gens *Papinia*; sed quum in codicibus nullum supersit vestigium literae *P*, coniicio eam praenomen indicasse, atque, ut fit, omissam fuisse. Peyr.

*Cessissent*) Ita Palimps. cum nonnullis codicibus. Reliqui *cessisset*. Nomen *uterque* cum verbo plurali quandoque construitur. Id.

*Ausum esse*) Ita codd. et edd. nonnullae. Reliqui *ausus est*. — Vulgatam firmant, eod. Steph. Barber. tres Britann. Bavaricus, uterque Taurin. Romana, Ignota, et Palimpsestus in

Fanio dicere, si sibi pecuniam, quantum poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum eius illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum; qui Appium fratrem, hominem mihi coniunctum fidissima gratia, absentem de possessione fundi deiecit; qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo vestibulo privaret, sed omni aditu et limine. »

XXVIII. Quamquam haec quidem iam tolerabilia videbantur, etsi aequabiliter in rempublicam, in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in suos irruebat: sed nescio quomodo iam usu obduruerat et percalluerat civitatis incredibilis patientia. Quae vero aderant iam, et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre, imperium ille si nactus esset? Omitto socios, exteras nationes, reges, tetrarchas; vota enim faceretis, ut in eos se potius immitteret, quam in vestras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias; pecunias dico? a liberis, a liberis, medius fidius, et a coniugibus vestris nunquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi haec putatis, quae patent? quae nota sunt

quo legitur AVSVSESSE, litera M suprascripta. Iudice Garatonio, est anacoluthon ad vehementiam quaesitum, quod aliquibus placere potest. PEYR.

*Aequabiliter*) Ita codd. et edd. aliquot; reliqui *aequaliter*. — Vulgatam firmant Erfurt. Pith. Bavar, atque illustrat Garatonius. PEYR. — *Aequaliter*) Sic MSS. Fabric. edd. Rom. aliaeque vett. quod recte revocavit Ern. pro vulg. *aequabiliter*. SCHVT.

*Imperium ille si nactus*) Hunc ordinem Garatonius sumpsit a Saxon. Memmianis et Bavarico, eundemque servat Lambiniana prima. *Imperium si ille* Coloniensis cum ceteris. Vulgo post *ferre* interrogandi signo distinguitur. Equidem cum Abramio et Amar hunc signum transtuli post *esset*. Schützius tamen verba haec *Imperium* etc. aptius cum sequentibus coniungi censet; quod post Fr. Fabricium et Schollum fecerunt Grut. Graev. Ern. TYP.

*Immitteret*) Hoc restituit Garatonius ex Saxon. Memm. Colon. codd. Modii, et Erfurt. Reliqui *mitteret*. T.

*Quae nota*) Ex Germanis libris so-

omnibus? quae tenentur? servorum exercitus illum in urbe conscripturum fuisse, per quos totam rempublicam, resque privatas omnium possideret? Quamobrem, si cruentum gladium tenens clamaret T. Annius: « Adeste, quaeso, atque audite cives: P. Clodium interfeci; eius furores, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frenare poteramus, hoc ferro et hac dextera a cervicibus vestris repuli; per me unum ut ius, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia, in civitate manerent; » esset vero timendum, quonam modo id ferret civitas. [1] Nunc enim quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum post hominum memoriam T. Annium plurimum reipublicae profuisse, maxima laetitia populum romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affecisse, et dicat et sentiat? Nequeo, vetera illa populi romani gaudia quanta fuerint, iudicare. Multas tamen iam summorum imperatorum clarissimas victorias aetas nostra vidit, quarum nulla neque tam diuturnam attulit laetitiam, nec tantam. Mandate hoc memoriae, iudices. Spero multa vos liberosque vestros in republica, bona esse visuros: in his singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos visuros fuisse. In spem maximam, et, quemadmodum confido, verissimam adducti sumus, hunc ipsum annum, hoc ipso summo viro consule, compressa hominum licen-

lus Coloniensis legit *haec quae nota*. Oratio est incitata. Peyr.

*Per me unum ut ius*) Ita codex Laurentianus a secunda manu, et alius italicus. *Per me unum effectum est ut ius* codd. italici nonnulli et edd. vett. fere omnes, quod probarem si praestantiores codices addicerent. Codices plurimi italici, Lambini, Fabricii, Werdensis, Palatini, Garaton. Barberin. sex Britann. uterque Taurin. *Per me unum ut ius*, quod recepit Schützius, et probabilius videtur Peyrono V. Cl. servavit tamen vulgatam, *per me ut unum*. Typ.

(1) Ironice; nisi mavis cum Le-Clerc et Amar interrogationis nota distinguere. Typ.

*Nequeo*) Ita Schützius cum aliis. Peyronus vero *Non queo*; nescio an ex libris, quum reticuerit. T.

tia, cupiditatibus fractis, legibus et iudiciis constitutis, salutarem civitati fore. Num quis igitur est tam demens, qui hoc, P. Clodio vivo, contingere potuisse arbitretur? Quid? ea, quae tenetis, privata atque vestra, dominante homine furioso, quod ius perpetuae possessionis habere potuissent?

XXIX. Non timeo, iudices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentius haec in illum evomere videar, quam verius. Etenim etsi praecipuum esse debebat, tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio paene aequaliter versaretur odium meum. Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, iudices. Nempe haec est quaestio de interitu P. Clodii. Fingite animis; liberae enim sunt cogitationes nostrae, et, quae volunt, sic intuentur, ut ea cernamus, quae non videmus: fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meae, si possim efficere, ut Milonem absolvatis, sed ita, si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuistis? quonam modo ille vos vivus afficeret, quos mortuus inani cogitatione percussit? Quid? si ipse Cn. Pompeius, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum; si is, inquam, potuisset, ut quaestionem de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis excitare; utrum putatis potius facturum fuisse? Etiamsi, propter amicitiam, vellet illum ab

*Libentius*) Ernestius malebat *licentius*. Sed nihil opus a vulgato recedere. *S.*

*Vt ea cernamus, quae non videmus*) Hanc lectionem sumpsit Garatonius ex Coloniensi, quum offenderetur redundantia vulgatae *ut ea cernimus, quae videmus*. *Cernamus* nonnulli ex italicis; reliqui *cernimus*. T. — Ernestius coni. *ut ea quae oculis videmus*. Poterat etiam scribi: *ut ea quae cernimus et videmus*. Schvtz.

*Vellet illum — revocare*) Schützius, *voluisset*, quia sequitur *fecisset*. Typ.

inferis revocare, propter rempublicam non fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis; et de eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset. Huius ergo interfector, si esset, in confitendo ab iisne poenam timeret, quos liberavisset? Graeci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quae ego vidi Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus, quae carmina? prope ad immortalitatis et religionem et memoriam consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modo honoribus nullis afficietis, sed etiam ad supplicium rapi patiemini? Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, et magno animo et libente se fecisse, libertatis omnium causa; quod esset ei certe non confitendum modo, verum etiam praedicandum.

XXX. Etenim, si id non negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur, dubitaret id fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda? Nisi vero gratius putat esse vobis, sui se capitis, quam vestri defensorem fuisse: quum praesertim in ea confessione, si grati esse velletis, honores assequeretur amplissimos; si factum vobis non probaretur (quamquam qui pote-

*Si esset, in confitendo*) Huic lectioni adstipulantur Saxon. Hittorp. Werd. Bavaricos aliique. Adde Prisc. lib. VIII, et cod. Fabric. Manut. et Heumannus, *huius ergo interfector non esset, etiam confitendo, ab iis impetraturus, ne poenam*. Vulgo *interfector qui esset, in confitendo ab iisne poenam* etc. Ceterum codices admodum variant. Typ.

*Confiteretur*) Vulgo duplicatur hoc verbum. Schützius vero semel posuit. Reiteratio magis convenit sententiae; alioquin frigeret τὸ *inquam*. Typ.

*Quod esset ei certe*) Alii, *quod ei certe non conf. modo, verum etiam pr.* Alii vero addunt *fuisse* post *modo*. Typ.

*Vestri defensorem*) *Vestri ordinis def.* libri omnes, uno excepto Coloniensi. Repudiandam esse hanc vocem multis demonstrat Garatonius. P.

rat salus sua cuiquam non probari?) sed tamen si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset, magno animo constantique cederet ex ingrata civitate. Nam quid esset ingratius, quam laetari ceteros, lugere eum solum, propter quem ceteri laetarentur? Quamquam hoc animo semper fuimus omnes in patriae proditoribus opprimendis, ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque et invidiam nostram putaremus. Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset, quum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? quae mulier sceleratum ac perniciosum civem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita invidia, morte, poena, qui nihilo segnius rempublicam defendit, is vir vere putandus est. Populi grati est, praemiis afficere bene meritos de republica cives: viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse poeniteat. Quamobrem uteretur eadem confessione T. Annius, qua Ahala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmet ipsi; et, si grata respublica esset, laetaretur; si ingrata, tamen in gravi fortuna conscientia sua niteretur.

XXXI. Sed huius beneficii gratiam, iudices, fortuna populi romani, et vestra felicitas, et dii immortales sibi deberi putant. Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim esse ducit, numenve divinum; quem neque imperii vestri magnitudo, neque sol ille, nec caeli signorumque motus, nec vicissitudines rerum atque ordines movent, neque, id quod maximum est, maiorum nostrorum sapientia,

*Cuiquam*) Ita Memmiani, Erfurt. Bavar. Barb. uterque Taurin. reliqui *cuique*. T.

qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt, et nobis, suis posteris, prodiderunt. Est, est profecto illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat et sentiat, et non inest in hoc tanto naturae tam praeclaro motu. Nisi forte idcirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua haec ipsa agimus ac dicimus, videre, aut plane qualis, aut ubi sit, sentire possimus. Ea vis, ea igitur ipsa, quae saepe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit, illam perniciem exstinxit ac sustulit: cui primum mentem iniecit, ut vi irritare, ferroque lacessere fortissimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem si vicisset, habiturus esset impunitatem et licentiam sempiternam. Non est humano consilio, ne mediocri quidem, iudices, deorum immortalium cura, res illa perfecta. Religiones mehercule ipsae, quae illam belluam cadere viderunt, commosse se videntur, et ius in illo suum retinuisse. Vos enim iam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque testor, vosque Albanorum obrutae arae, sacrorum populi romani sociae et aequales, quas ille, praeceps amentia, caesis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus

*Attulit illam*) Vulgo *quae illam*. Recte vero Ern. illud *quae* delendum censuit. *S.*

*Sacrorum populi Romani sociae et aequales*) Cur aequales? Opinor, quod eadem frequentia et dignitate, qua ludos romanos, istas ferias celebrarent, et cuncti magistratus interessent. Vid. Halicarn. lib. 8. Porro quod ad ritus attinet, videntur consules ipsi omnes montis Albani tumulos obiisse, et quibusdam lustrationibus expiasse, lac libasse, caseos Diis obtulisse, agnos immolasse, postremo taurum mactatum, et in frusta discerptum singulis civitatibus divisisse. Cicero de suo consulatu: *Tu quoque cum tumulos Albano in monte nivales Lustrasti, et lacto mactasti lacte Latinas.* ABR.

oppresserat; vestrae tum, vestrae religiones viguerunt, vestra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat; tuque ex tuo edito monte, Latiaris sancte Iupiter, cuius ille lacus, nemora, finesque saepe omni nefario stupro et scelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti: vobis illae, vobis vestro in conspectu serae, sed iustae tamen, et debitae poenae solutae sunt. Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae deae, quod est in fundo Sergii Galli, in primis honesti et ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam deam, quum proelium commisisset, primum illud vulnus acciperet, quo teterrimam mortem obiret: ut non absolutus iudicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam reservatus.

XXXII. Nec vero non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu atque ludis, sine exsequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore et luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, cui cedere etiam inimici solent, ambureretur abiectus.

*Vestrae tum*) Volgo *vestrae tum arae*, quod habent codices fere omnes. Garatonius expunxit vocem *arae*, quem lege. Typ.

*Bonae Deae*) His verbis incipit folium 78. 85 Palimpsesti Taurinensis, quod desinit verbis *circumscripsisset ne*. Peyr.

*Sergii Galli*) Ita Palimps. Taur. sine praenomine *T.* vel *Ti.* quod omnes adduut; insuper codices plerique vel *Sextii*, *Sesti*, *Sestii*, vel *Sertii*, *Serti* habent. Typ.

*Atque ludis*) Ita Palimps. Codd. et edd. nonnullae, *sine ludis*. T.

*Sine funere*) Hoc suspectum est Schötzio; attamen exstat in Palimps. Taurinensi. *T.*

*Cui cedere*) Ita luculenter habent Palimps. Taur., Romana et Ignota. — Scilicet cui repugnare non solent inimici, quamvis ceteris cedere recusent. Exquisitior est ergo haec lectio, quam exstare credo etiam in Germanis libris; huius vero locum occupavit glossema *quam concedere*, quod vulgabatur, atque receperant praestantiores editores. Peyr.

*Amburerelur abiectus*) Nocturnis canibus laniandus. Vel amburerelur postquam eiectus fuisset e domo, non depositus ad ianuam, et deinde elatus. Abr.

Non fuisse credo fas, clarissimorum virorum formas illi teterrimo parricidae aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potius mortem eius lacerari, quam in quo esset vita damnata. Dura, medius fidius, mihi iam Fortuna populi romani, et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc rempublicam insultare pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones; senatus gravissima decreta perfregerat; pecunia se a iudicibus palam redemerat; vexarat in tribunatu senatum; omnium ordinum consensu pro salute reipublicae gesta resciderat; me patria expulerat; bona diripuerat; domum incenderat; liberos, coniugem meam vexarat; Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat; magistratuum privatorumque caedes effecerat; domum mei fratris incenderat; vastarat Etruriam; multos sedibus ac fortunis eiecerat; instabat, urgebat: capere eius amentiam civitas, Italia, provinciae, regna non poterant: incidebantur iam domi leges,

Cap. XXXII. *Incidebantur iam domi leges*, etc.) Significasse iam puto nos,

*Lacerari*) *Mortem lacerari*, vereor ne absurdios dictum sit quam ut a Cicerone. Suspicor scriptum fuisse *funus eius lacerari.* Sic alibi, etsi in sententia per metaphoram expressa: *si funus id habendum sit, quo — conveniunt — ad reliquias vitae lacerandas* — or. pro Quint. c. 15. *S.*

*Esset vita damnata*) Sic ordine mutato Palimps. Reliqui omnes, *vita esset damn.* vel *vita eius esset d.* T.

*Dura, medius fidius, mihi iam*) Hic ordo exhibetur a Palimps. Taur. Ceteri *Dura mihi, medius fidius, iam.* Typ.

*Fortuna populi Romani*) Scil. *dea Fortuna* nos, ut vulgo scribitur, *fortuna* populi Romani. *S.*

*In hanc rempublicam*) Vulgatam sequor. Palimps. Taur. *in hac republica*, quod amplexus est Peyronus V. Cl.; utraque tamen probabilis, eodem iudice. Typ.

*Pateretur*) Vulgo, *videret et pateretur.* Abest vero adiectitium *videret et* a Palimps. aliisque codicibus praestantioribus. Deest quoque in edd. vett. fere omnibus. Typ.

*A iudicibus palam redemerat*) Ita Palimps. Vulgo, *palam a iudicibus redemerat.* T.

*Meam vexarat*) Ita Palimpsestos cum codd. nonnullis. Alii *vexaverat*, Typ.

*Effecerat*) Ita Palimpsest. atque omnes libri. Schützios, Ernestium secutus, dedit *fecerat.* T.

quae nos servis nostris addicerent; nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. Obstabat eius cogitationibus nemo, praeter Milonem. Illum ipsum, qui obstare poterat, novo reditu in gratiam quasi devinctum arbitrabatur; Caesaris potentiam suam esse dicebat; bonorum animos in meo casu contempserat; Milo unus urgebat.

XXXIII. Hic dii immortales, ut supra dixi, mentem illi perdito ac furioso dederunt, ut huic faceret insidias. Aliter perire pestis illa non potuit: nunquam illum respublica suo iure esset ulta. Senatus, credo, praetorem eum circumscripsisset. Ne quum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat. An consules in praetore coërcendo fortes fuissent? Primum, Milone occiso, habuisset suos consules; deinde quis in eo praetore consul fortis esset, per quem tribunum virtutem consularem crudelissime vexatam esse meminisset? Oppressisset omnia, possideret, teneret: lege nova, quae est inventa apud eum

fuisse inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, eam quoque, qua libertini, qui non plus quam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus, quae propriae ingenuorum sunt, ferre.

Cap. XXXIII. *Senatus, credo, praetorem* etc.) Significat id tempus, quo P. Clodius, quum adhuc quaestor designatus esset, intravit eo, ubi sacrificium pro populo romano fiebat. Quod factum notatum erat a senatu, decretumque ut extra ordinem iudicium fieret.

*Quae nos servis nostris*) Hunc ordinem servat Palimps. T. et unus e codicibus Laurentianis. Reliqui *nostris servis*. T.

*Obstare poterat*) Ita Palimps. T. Vulgo *poterat obstare*.

*Caesaris potentiam suam esse dicebat*) Ita Palimps. cum opt. codicibus. Vulgo repetitur *potentiam*.

*Bonorum animos in meo*) Vulgo *bonorum animos etiam in meo*. Abest *etiam* a Palimps. et a codicibus fere omnibus.

*Illi perdito ac furioso dederunt*) Hunc ordinem habent Palimps. Saxon. Erfurt. atque Bavaricus.

*Virtutem consularem — vexatam*) Ita legunt Colon. Werdens. Erfurt. Bavar. Alii *virum cons. vexatum*.

cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset. Postremo, nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rempublicam nullam haberetis. An ille praetor, ille vero consul, si modo haec templa, atque ipsa moenia stare eo vivo tamdiu, et consulatum eius exspectare potuissent, ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? Templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo romano concessam uni ordini, inflammari, exscindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, quamquam esset miserum id ipsum, sed ab uno? qui quum tantum ausus sit ustor pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abiecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. Et sunt, qui de via Appia querantur, taceant de curia? et qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cuius non restiterit cadaveri curia? Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis. Frangetis impetum vivi, cuius vix sustinetis furias insepulti? nisi vero sustinuistis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Caedi vidistis populum romanum, concionem gladiis disturbari, quum audiretur silentio M. Caelius,

*Vstor*) *Vltor* edd. vett. et Graev. At Gruter. e MS. Colon. *ustor*, quod habet etiam cod. Erf. Ernestio neutrum placet; quia nec *ultor* nec *ustor* satis recte opponantur signifero. At summa subtilitas in hac oppositione non requiritur, itaque *ustor* verum esse arbitror. *S.*

*Excitate eum*) Peyronus, fortasse Garatonium sequutus, tacite *ipsum* edidit, uti pag. sequenti *ex ra causam autem* pro *extra causam etiam*. Typ.

*Falcibus*) Recte *falcibus*, quod edd. Rom. 1480, Med. Iunt. habent Ernestius praetulit lectioni *facibus*, quam Graevius revocaverat. *S.*

tribunus plebis, vir et in republica fortissimus, et in suscepta causa firmissimus, et bonorum voluntati, et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia sive fortuna singulari, divina et incredibili fide.

XXXIV. Sed iam satis multa de causa: extra causam etiam nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orem obtesterque vos, iudices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat; ego, etiam repugnante hoc, et imploro, et exposco? Nolite, si in nostro omnium fletu nullam lacrymam adspexistis Milonis; si vultum semper eundem, si vocem, si orationem stabilem, ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere: haud scio, an multo sit etiam adiuvandus magis. Etenim si in gladiatoriis pugnis, et in infimi generis hominum conditione atque fortuna, timidos atque supplices, et, ut vivere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus; fortes, et animosos, et se acriter ipsos morti offerentes, servare cupimus; eorumque nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debe-

... *sa extra causam etiam nimis*) His verbis incipit folium 102. 109 Palimpsesti Taur. quod desinit verbis *negat enim negat*. PEYR.

*Extra causam autem*) Sic Peyronus. Vulgo *extra causam etiam*. Pro Rab. Post. cap. 17: *Satis multa hominibus non iniquis haec esse debent: nimis etiam multa vobis* etc. TYP.

*Haud scio*) Ita omnes libri. LAG. Ita etiam Bavar. Barber. Garalon. tres Britann. oterque Taurin. et Romana, quibus adstipulatur Palimpsestus. Iam in Ignota erat *atque haud scio*, quod per alias edd. propagatum est, ipseque Garatonius servavit, qui ad aures implendas aliquid potius deesse suspicabatur, quam superesse. Ego vero potius supplevissem *immo*, ut esset *Immo haud scio*; quod adverbium facile retienit Tullius, quum idem gestu ac voce exprimere posset. PEYR.

*Sit etiam*) Ita Palimps. T. et edd. velt. nonnullae. Alii *etiam sit*.

*Et in infimi*) Palimps. *et infimi*.

*Timidos atque supplices*) Ita Palimps. Reliqui *tim. et suppl.*

mus? Me quidem, iudices, exanimant et interimunt hae voces Milonis, quas audio assidue, et quibus intersum quotidie. « Valeant, inquit, valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati; stet haec urbs praeclara, mihique patria carissima, quoquo modo erit merita de me. Tranquilla republica mei cives (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed propter me tamen, perfruantur. Ego cedam, atque abibo. Si mihi bona republica frui non licuerit, at carebo mala: et quam primum tetigero bene moratam et liberam civitatem, in ea conquiescam. O frustra, inquit, mihi suscepti labores! o spes fallaces et cogitationes inanes meae! Ego quum tribunus plebis, republica oppressa, me senatui dedissem, quem exstinctum acceperam; equitibus romanis, quorum vires erant debiles; bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiecerant: mihi unquam bonorum praesidium defuturum putarem? Ego quum te (mecum enim saepissime loquitur) patriae reddidissem, mihi putarem in patria non futurum locum? Vbi nunc sena-

*Valeant, inquit, valeant cives mei*) Ita Palimpsestus cum omnibus Lagomarsinianis, Erfurt. et Bavarico. Garatonius obsequutus Coloniensi *Valeant, valeant, inquit, cives mei, valeant.* PEYR. Garatonio addantur Ernest. Schütz. aliique recentiores. TYP.

*Stet haec urbs*) Palimps. *sit et haec urbs.*

*Erit merita de me*) Ita Palimps. Erfurt. Bavar. Lambin. et Grut. Alii *merita de me erit.* T.

*Mei cives*) Sic Palimps. Ceteri *cives mei.*

*Sed propter me*) Ita Palimps. Reliqui *sed per me.*

*Bona republica*) Ita Palimps. Reliqui *rep. bona.*

*Et quam primum*) Ita libri omnes Lagomarsiniani et Palimps. Ernest. Schütz. et Garaton. *quam primum.* T.

*Mihi suscepti labores*) Ita Palimps. Reliqui, *suscepti mei labores.*

*Et cogitationes*) Ita Palimps. Reliqui *o cogitationes.*

*Mihi putarem*) Ita Palimpsestus. Discrepant codices in ordine horum verborum. Codices Lambini *mihi futurum in patria non putarem locum.* Bavaricus, Barberinus, aliique *mihi non futurum in patria putarem locum.* Ratum esse debet negationem *non* propius ad finem periodi ponendam esse, ut auditoris animus pendeat

tus est, quem secuti sumus? ubi equites romani illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae voces? ubi denique tua illa, M. Tulli, quae plurimis fuit auxilio, vox atque defensio? mihine ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari? ».

XXXV. Nec vero haec, iudices, ut ego nunc, flens, sed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. Negat enim, negat ingratis civibus se fecisse, quae fecit: timidis, et omnia circumspicientibus pericula, non negat. Plebem et infimam multitudinem, quae P. Clodio

Cap. XXXV. *Plebem et infimam multitudinem, quae P. Clodio duce* etc.) Puto iam supra esse dictum, Milonem ex familia fuisse Papia, deinde adoptatum fuisse a C. Annio avo suo materno. Tertium patrimonium videtur significare matris. Aliud enim quod fuerit, non invenio. Peracta utrinque causa singuli quinos accusatar et reus senatores, totidem equites, et tribunos aerarios reiecerunt; ita ut unus et quinquaginta sententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII, absolverunt VI. Equites condemnaverunt XIII, absolverunt IV. Tribuni aerarii condemnaverunt XIII, absolverunt III. Videbantur non ignorasse iudices, inscio Milone initio vulneratum esse Clodium, sed compererant, postquam vulneratus esset, iussu Milonis occisum. Fuerunt qui crederent, M. Catonis sententia eum esse absolutum. Nam et bene cum republica actum esse morte P. Clodii non dissimulaverat, et studium in petitione consulatus Miloni et reo affuerat. Nominaverat quoque eum Cicero praesentem, et testatus erat, audisse eum a M. Favonio ante diem tertium, quam caedes facta erat, Clodium dixisse periturum esse eo triduo Milonem. Sed Milonis quoque notam audaciam vindicare P. R. utile visum est; unde sciri unquam potuit utram sententiam tulisset? Damnatum autem opera maxime Appii Claudii pronuntiatum est. Milo postero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum absens damnatus est. Illa quoque lege accusator fuit eius Appius Claudius, et quum ei praemium lege daretur, negavit. Ei subscripserunt et in ambitus iudicio P. Valerius Leo et Cn. Domitius Cn. F. Post paucos dies quoque Milo apud Favonium quaestorem de sodalitiis damnatus est, accusante P. Fulvio Nerato, cui lege praemium datum est. Deinde apud L. Fabium quaestorem iterum absens damnatus est de vi. Accusavit L. Cornificius et Q. Patulcius. Milo in exsilium Massiliam intra paucissimos dies profectus est. Bona eius propter alieni aeris magnitudinem se-

anceps *Mihi putarem in patria non* etc. Peyr.

*Tua illa — vox atque defensio*) Ita Palimpsest. Ceteri *tua — vox et defensio.*

*Negat enim negat*) His verbis finem facit folium Palimpsesti. Quare quum libri omnes haberent *negat enim, se negat ingratis civibus fecisse*, transtuli post *civibus* incommodum illud *se*, quod impetum orationis *negat enim negat* frangebat. Peyr.

duce, fortunis vestris imminebat, eam, quo tutior esset vita vestra, se fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret; nec timet, ne, quum plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in rempublicam singularibus. Senatus erga se benivolentiam temporibus his ipsis saepe esse perspectam; vestras vero et vestrorum ordinum occursationes, studia, sermones, quemcumque cursum fortuna dederit, secum ablaturum esse dicit. Meminit etiam, sibi vocem praeconis modo defuisse, quam minime desiderarit; populi vero cunctis suffragiis, quod unum cupierit,

muncia venierunt. Post Milonem eadem lege Pompeia primus est accusatus M. Saufeius M. F. qui dux fuerat in expugnauda taberna Bovillis et Clodio occidendo. Accusaverunt eum L. Cassius, L. Fulcinius C. F. C. Valerius. Defenderunt M. Cicero, M. Caelius, obtinueruntque ut una sententia absolveretur. Condemnaverunt senatores X, absolverunt VIII. Condemnaverunt equites romani IX, absolverunt VIII. Sed ex tribunis aerariis decem absolverunt, VI condemnaverunt, manifestumque odium Clodii saluti Saufeio fuit, quum eius vel peior causa quam Milonis fuisset, qui aperte dux fuerat expugnandae tabernae repertus. Deinde post paucos dies apud Considium quaestorem lege Plautia de vi, subscriptione eadem accusatus est, quod loca occupasset, et cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. Accusaverunt C. Fidius, Cn. Aponius Cn. F. M. Seius Sex. F. Defenderunt M. Cicero, M. Terentius Varro Gibba. Absolutus est sententiis plenius, quam prius. Graves habuit XIX, absolutorias II et XXX. Sed e contrario hoc ac priore iudicio accidit. Equites enim ac senatores eum absolverunt, tribuni aerarii damnaverunt. Sex. autem Clodius, quo auctore corpus Clodii in curiam illatum fuit, accusantibus C. Cesennio Philone, M. Aufidio, L. Aponio, magno consensu damnatus est, sententiis VI et XLI. Absolutorias V omnino habuit, duas senatorum, tres equitum. Multi praeterea et praesentes, et quum citati non respondissent damnati sunt; ex quibus maxima pars fuit Clodianorum.

*Quo tutior esset vita vestra, se fecisse commemorat, ut*) Schützius, *suam se fecisse commemorat*; pro *vita vestra* nonnulli *vita nostra*; minus bene, inquit Heumannus, quia praecedit *fortunis vestris*. T.

*Et vestrorum ordinum*) Ita vulgo. Schützius auctore Heumanno rescripsit *ceterorum*, afferens locum orat. post red. in Sen. cap. 4. T.

*Secum ablaturum*) Vulgo *secum se ablaturum*. Part. *se* omisit Peyronus, fortasse Garatonium sequutus, quod idem suspicor aliis in locis tacite fecisse. T.

se consulem declaratum. Nunc denique, si haec contra se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit haec, quae certe vera sunt, fortes et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta; se nihil in vita, nisi praeclarissime fecisse, siquidem nihil sit praestabilius viro, quam periculis patriam liberare; beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus; nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vicerint: sed tamen ex omnibus praemiis virtutis, si esset habenda ratio praemiorum, amplissimum esse praemium, gloriam; esse hanc unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur; quae efficeret, ut absentes adessemus, mortui viveremus; hanc denique esse, cuius gradibus etiam in caelum homines viderentur ascendere. « De me, inquit, semper populus romanus, semper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas. Quin hoc tempore ipso, quum omnes a meis inimicis faces invidiae meae subiiciantur, tamen omni in hominum coctu, gratiis agendis, et gratulationibus habendis, et omni sermone celebramur. Omitto Etruriae festos, et actos, et insti-

*Si haec contra se*) Praecipuae XVI seculi editiones habent, *si haec arma contra se*. — Codices Lagomarsiniani, non secus ac Germani omnes, atque veteres editiones carent vocabulo *arma*. Tullius δεικτικῶς dixerat *haec*, ut arma, praesidia, cohortes, novam iudicii formam, ipsumque iudicium, quo Milo agebatur reus, indicaret. Grammatici recentiores addiderunt *arma*. Peyr.

*Se nihil in vita — praestabilius viro*) Heumannus legere malebat *se vero nihil in vita nisi praeclarissime fecisse, siquidem nihil sit praestabilius, quam periculis* etc. Sch.

*Sed tamen*) *Tamen* Ernestio temere videbatur repetitum *e* versu praecedente. Heumannus utrumque *sed et tamen* abesse malebat. Id.

*In caelum homines viderentur ascendere*) Sic optimi codices Germani. Vulgo *etiam hom. in caelum viderentur ascendere*. Typ.

*Invidiae meae subiiciantur*) Schützius recepit Ernestii emendationem ab Heumanno iam prolatam, *subiiciuntur*. Hic enim, inquit, ubi de tempore agitur, indicativo post *quum* opus est. T.

tutos dies: centesima lux est haec ab interitu P. Clodii, et, ut opinor, altera; qua fines imperii populi romani sunt, non solum fama iam de illo, sed etiam laetitia peragravit. Quamobrem, ubi corpus hoc sit, non, inquit, laboro; quoniam omnibus in terris et iam versatur, et semper habitabit nominis mei gloria. »

XXXVI. Haec tu mecum saepe, his absentibus: sed iisdem audientibus, haec ego tecum, Milo. Te quidem, quum isto animo es, satis laudare non possum: sed, quo est ista magis divina virtus, eo maiore a te dolore divellor. Nec vero, si mihi eriperis, reliqua est illa tamen ad consolandum querela, ut his irasci possim, a quibus tantum vulnus accepero. Non enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi; non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullum unquam, iudices, mihi tantum dolorem inuretis (etsi quis potest esse tantus?), sed ne hunc quidem ipsum, ut obliviscar, quanti me semper feceritis. Quae si vos cepit oblivio, aut si in me aliquid offendistis; cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis? Praeclare enim vixero, si quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum mali videro. Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi; ego meum saepe corpus et vitam obieci armis inimicorum tuorum; ego me plurimis pro te supplicem abieci; bona, fortunas meas, ac liberorum meorum, in communionem tuorum temporum contuli; hoc denique ipso

*Opinor*) *Vt opinor* dedit Gruterus.

*Altera*) Ex rationibus a Pontedera subductis is fuit dies a. d. VI id. Apr. vid. eius Epist. antiquit. Lat. et Gr. p. 321. Ern.

*Quo*) Sic Graev. e tribus MSS. Vulgo *quod*. S.

*Reliqua est illa tamen*) Sic vulgo. Grut. Graev. Ern. aliique, *saltem* Vulgatam defendit Heumannus. T.

*Bona*) glossema visum Heumanno.

die, si qua vis est parata, si qua dimicatio capitis futura, deposco. Quid iam restat? quid habeo, quod faciam pro tuis in me meritis, nisi ut eam fortunam, quaecumque erit tua, ducam meam? Non recuso, non abnuo; vosque obsecro, iudices, ut vestra beneficia, quae in me contulistis, aut in huius salute augeatis, aut in eiusdem exitio occasura esse videatis.

XXXVII. His lacrymis non movetur Milo. Est quodam incredibili robore animi; exsilium ibi esse putat, ubi virtuti non sit locus; mortem naturae finem esse non poenam. Sit hic ea mente, qua natus est. Quid? vos, iudices, quo tandem animo eritis? Memoriam Milonis retinebitis, ipsum eiicietis? et erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quam hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortissimi viri, qui multum pro republica sanguinem effudistis; vos in viri, et in civis invicti appello periculo, centuriones, vosque milites: vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic iudicio praesidentibus, haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? proiicietur? O me miserum, o me infelicem! Revocare tu me in patriam, Milo, potuisti per hos; ego te in patria per eosdem retinere non potero? Quid respondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, consorti mecum temporum illorum? Mene non potuisse Milonis salutem tueri per eosdem, per quos nostram

*Dimicatio capitis*) Graevius cum Grutero reposuit *diminutio capitis*. Vulg. recte defendit Heumannus. *S.*

*Quid habeo*) Vulgo additur *quod dicam*, quod habent codices et edd. vett. nonnullae. Codd. Taurin., teste Peyronu, Romana et Ignota hoc additamento carent. *T.*

*Videatis*) *Credatis* malebat Heumannus. *S.*

*O me miserum, o me infelicem*) Ita codd. et edd. vett. aliquot. Ceteri *O me mis. o infel.* *T.*

*Me ne non*) Vulgo deest *ne*; at habent codd. nonnulli, et editt. Naugerii, et Rob. Stephani 1539. *T.*

ille servasset? At in qua causa non potuisse? quae est grata gentibus. A quibus non potuisse? ab iis, qui maxime P. Clodii morte acquierunt. Quo deprecante? me. Quodnam ego concepi tantum scelus, aut quod in me tantum facinus admisi, iudices, quum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi? Omnes in me meosque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem esse voluistis? an ut, inspectante me, expellerentur ii, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Nam qui possum putare me restitutum esse, si distrahor ab iis, per quos restitutus sum?

XXXVIII. Vtinam dii immortales fecissent (pace tua, patria, dixerim; metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie), ut P. Clodius non modo viveret, sed etiam praetor, consul, dictator esset potius, quam hoc spectaculum viderem. O dii immortales! fortem, et a vobis, iudices, conservandum virum! « Minime, minime, inquit. Immo vero poenas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, non debitas. » Hiccine vir patriae natus, usquam, nisi in patria, morietur? aut, si forte pro patria, huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia

*Distrahor*) Graevius e MSS. dedit *distrahar*.

*Vt*) Hanc lectionem male Graevius mutavit in *utinam P. Clodius*. Nam vulgatum *ut* pendet ab *utinam dii immortales fecissent*, quod vidit Heumannus. *S*. — Nullo negotio quisque sentiat, τὸ *ut* pendere a superiore *fecissent*; Ernest. tamen, Peyronus, edd. Paris. aliique *utinam* praetulerunt. Vtraque lectio habet quo se defendat. Typ.

*Quam*) Sic recte Lamb. Graev. e MSS. pro vulgato *antequam*.

*Aut, si forte pro patria*) Heumannus haec, ut spuria, et e glossa marginali temere illata eiecit, quem sequutus est Schützius; at habent codd. plerique. Nonnulli *procul patria*. Fortasse legebatur, *aut, si forte procul, pro patria*, quae est coniectura Peyroni, qui quidem vulgatam servavit, sed minus recte sic interpunxit: *aut, si forte, pro patria? Huius* etc. Typ.

nullum sepulcrum esse patiemini? Hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsum a vobis ad se vocabunt? O terram illam beatam, quae hunc virum exceperit; hanc ingratam, si eiecerit; miseram, si amiserit! Sed finis sit: neque enim prae lacrymis iam loqui possum; et hic se lacrymis defendi vetat. Vos oro, obtestorque, iudices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, iustitiam, fidem, mihi credite, is maxime probabit, qui in iudicibus legendis, optimum, et sapientissimum, et fortissimum quemque delegit.

ORATIO

PRO

# C. RABIRIO POSTVMO

# ORATIO

## PRO

# C. RABIRIO POSTVMO

## SVMMARIVM

A. V. C. 699, L. Domitio Ahenobarbo, Ap. Claudio Pulchro coss. A. Gabinius qui fuerat Syriae proconsul primum de ambitu reus factus est, a P. Sulla, subscribente privigno Memmio, et fratre uterino Caecilio Sullae filio. Deinde accusatus est maiestatis a L. Lentulo apud C. Alfium praetorem, sed propter accusatoris et subscriptorum infantiam, et iudicum plerorumque sordes, denique Pompeii qui ei favebat contentionem, absolutus est; nam e LXX iudicibus eum XXXII condemnarunt, reliqui absolverunt. Cicero, quamquam Gabinio inimicissimus, tamen ab eo accusando se continuit (nam Dio Cassius erravit, quum eum a Cicerone gravissime accusatum esse dixit, lib. XXXIX, 28), partim quod cum Pompeio pugnare nolebat, partim quia iudicio non confidebat, et ἀπότευγμα formidabat (Ad Q. Fr. III 2). Itaque illum neque ursit, neque levavit, testimonium tantum in eum dixit, praeterea quievit (ibid III 9). Absolutus igitur de maiestate Gabinius, accusatus est lege Iulia de repetundis a C. Memmio apud M. Catonem; quod quum Syriae praeesset, ob reductionem Ptolemaei regis Aegypti sine populi iussu aut SCto, immo contra SCtum susceptam, decem millia talentorum accepisset. In hoc iudicio defensus est a Cicerone, qui Pompeii voluntate adductus cum eo in gratiam redierat; nihilo secius tamen damnatus est. Lis est aestimata totidem talentis, quot acceperat. Quum autem neque ex eius bonis tantum redigi potuisset, quantum litium aestimatarum summa fuerat, nec ipse praedes populo dedisset, accusatus est a Memmio C. Rabirius Postumus eadem lege Iulia, in qua caput erat hoc, ut,

si e bonis de repetundis damnati non tantum redigeretur, quanti ci lis aestimata esset, quod reliquum esset, ab iis peteretur, ad quos ea pecunia pervenisset.

Hunc igitur Rabirium Postumum Cicero, quem ille olim comitibus, praesidio, auro in exsilium abeuntem sustentaverat, hac oratione defendit.

In exordio (c. 1, 2) ostendit Rabirium Ptolemaeo, cui iam regnanti pecuniam crediderat, postea regno expulso quum Romam venisset, egenti et roganti aliam pecuniam credidisse, neque suam solum, sed etiam amicorum.

Hinc exortum esse crimen accusatorum, quo corruptum a Postumo senatum dicant; in quo mirum esse dicit Cicero corruptores causam dicere, eos qui corrupti sint non dicere. Simul ostendit causam Postumi a senatu seiunctam esse. Tum enim quum regi pecuniam crederet, nec inimico populi Romani, nec ab hoc imperio alieno, non debuisse eum qui dabat, quo ille, qui accipiebat, consumeret, quaerere; c. 3.

Deinde ostendit Postumi causam etiam a Gabinio seiunctam esse. Nam illo capite legis Iuliae de repetundis QVO EA PECVNIA PERVENISSET neminem unquam causam dixisse, qui in aestimandis litibus rei de repetundis damnati appellatus non esset. Postumi autem in iudicio Gabinii mentionem factam esse nullam; c. 4. Praeterea lege Iulia de repetundis non modo Postumum ipsum, sed totum ordinem equestrem solutum ac liberum esse ostendit; in eoque et senatorum fidem implorat, et equites qui aderant in consilio iudicum, monet, ut provideant ne duriorem sibi et ordini suo conditionem statuant, quam ferre possit; c. 5-7.

Tum refutat Cicero id quod accusator obiecerat, Gabinium a Postumo fuisse impulsum ut regem Ptolemaeum in regnum reduceret, c. 8, et quod eum dioeceten regium i. e. procuratorem ac dispensatorem fuisse dixerat, quo in munere quum pecuniam Gabinio cogeret, sibi quoque coëgerit; c. 9-11. Quod autem accusator dicat, testibus legatis Alexandrinis probari pecuniam ad Postumum pervenisse, id prorsus non esse audiendum. Eosdem enim testes negasse pecuniam Gabinio datam. Ergo iis credi non oportere, si dicant partem eius pecuniae ad Rabirium pervenisse; c. 12, 13.

Denique ostenditur, lites quo ea pecunia pervenerit non suis propriis iudiciis, sed in reum factis condemnari solere. Nunc autem accusari eum, qui pecuniam non abstulerit a rege, sicut Gabinius accusatus sit, sed maximam pecuniam regi crediderit.

Vanum etiam illud esse, quod nonnulli dicant, Rabirium illam pecuniam habere sed celare. Neque enim, quod dicat accusator, verum esse, Rabirium Alexandriae dominatum esse, immo vero eum in superbissimo dominatu fuisse, familiares suos in vinculis vidisse; ad extremum nudum et egentem e regno fugisse. Postremo quod permutatam esse aliunde pecuniam dicatur, id nullo prorsus argumento, nisi vanissimo rumore niti; c. 14.

Postremo ducetur, Rabirium una Caesaris liberalitate sustineri, quae nisi fuisset, ei iam pridem quum ad summam inopiam redactus esset, foro cedendum fuisse; c. 15, 16.

In conclusione Cicero Rabirium iudicum misericordiae commendat, eiusque in se exsulem beneficia commemorat, c. 17.

## I.

Si quis est, iudices, qui C. Rabirium, quod suae fortunae, fundatas praesertim, atque optime constitutas opes potestati regiae libidinique commiserit, reprehendendum putet, adscribat ad iudicium suum, non modo meam, sed huius etiam ipsius, qui commisit, sententiam. Neque enim cuiquam eius consilium vehementius, quam ipsi, displicet. Quamquam hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus, et, cui bene quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus. Si exstitisset in rege fides, nihil sapientius Postumo; quia fefellit rex, nihil hoc amentius dicitur: ut iam nihil esse videatur, nisi divinare sapientis. Sed tamen, si quis

*Fundatas*) Vide Mureti Var. Lect. XVII, 5.

*Constitutas*) Ernestius suspicabatur legendum esse *fundatae — constitutae*, ut ad *fortunae*, non ad *opes* referatur. Muretus vero quia *fortunae opes* non putabat Latine dici, ex duobus MSS. ita legendum censebat: *quod suas fortunas fundatas praesertim — atque optime constitutas potestati* etc.

*Commiserit*) Scil. quod tantam pecuniam regi Ptolemaeo crediderit.

*Nihil sensisse*) Lambinus sine causa correxit *nihil vidisse*. Nam *nihil sensisse* est i. q. sensu caruisse, non praesensisse consilii eventum.

*Vt iam — sapientis*) Ern. malebat

est, iudices, qui illam Postumi sive inanem spem, sive inconsultam rationem, sive (gravissimo verbo utar) temeritatem, vituperandam putet, ego eius opinioni non repugno: illud tamen deprecor, ut, quum ab ipsa fortuna crudelissime videat huius consilia esse multata, ne quid ad eas ruinas, quibus hic oppressus est, addendum acerbitatis putet. Satis est, homines imprudentia lapsos non erigere; urgere vero iacentes, aut praecipitantes impellere, certe est inhumanum; praesertim, iudices, quum sit generi hominum prope natura datum, uti, qua in familia aliqua laus forte floruerit, hanc fere, qui sunt eius stirpis, quod sermone hominum et memoria patrum virtus celebretur, cupidissime persequantur: siquidem non modo in gloria rei militaris Paullum Scipio, aut Maximum filius, sed etiam in devotione vitae, et in ipso genere mortis, imitatus est P. Decium filius. Sint igitur similia, iudices, parva magnis.

II. Fuit enim, pueris nobis, huius pater C. Curius, princeps ordinis equestris, fortissimus et maximus

*ut iam nihil esse videatur sapientis nisi divinare.*

*Non repugno*) Hanc rationem defensoris aliquid in reo repreheudendi laudat Quintilian. IV, 1, 46; it. IX, 2, 17.

*Uti, qua in familia — eius stirpis*) Ernestius sine libris ita correxit: *uti quae in familia aliqua laus forte floruerit, hanc fere qui sunt eiusdem stirpis.* Bipontini dederunt: *ut si qua in familia.*

*Quod sermone hominum et memoria patrum virtus*) Vulgo olim: *quod sermo hominum ad memoriam patrum virtute celebretur.* Lambinus emendavit vulgatum: *quod sermone hominum ad memoriam prodendam patrum virtus celebratur.* Graevius autem voc. *prodendam*, quae nec in Francii MS. nec in edit. pr. Mediol. Ascens. Froben. Victor. Manut. conspicitur, delendam putabat, et sic legendum: *quod sermo hominum ad memoriam patrum virtutem celebret.* Ego ex consuetudine Ciceronis correxi *sermone hominum et memoria patrum virtus celebretur.* Ernestius totum illud *quod sermo — virtute celebratur* uncis inclusit ut spurium.

*P. Decium filius*) Hunc locum respicit Quintilian. IV, 1, 69.

*Parva magnis*) Publicanus imperatoribus. Ferr.

*Fortissimus*) Defenditur a Graevio exemplo orat. pro Quint. 2, quo loco

publicanus; cuius in negotiis gerendis magnitudinem animi non tam homines probassent, nisi in eodem benignitas incredibilis fuisset: ut in augenda re non avaritiae praedam, sed instrumentum bonitati quaerere videretur. Hoc ille natus, quamvis patrem suum nunquam viderat, tamen et natura ipsa duce, quae plurimum valet, et assiduis domesticorum sermonibus, in paternae vitae similitudinem deductus est. Multa gessit; multa contraxit; magnas partes habuit publicorum; credidit populis; in pluribus provinciis eius versata res est; dedit se etiam regibus; huic ipsi Alexandrino grandem iam antea pecuniam credidit; nec interea locupletare amicos nunquam suos destitit, mittere in negotium, dare partes, re augere, fide sustentare. Quid multa? tum magnitudine animi, tum liberalitate, vitam patris et consuetudinem expresserat. Pulsus interea regno Ptolemaeus dolosis consiliis (ut dixit Sibylla, sensit Postumus) Romam venit.

patroni Naevii dicuntur *fortissimi viri*, ubi Hotomannus legi volebat *florentissimi*. Ernestius tamen negat hoc sibi placere, coniicitque legendum *optimus et maximus*.

*Non tam homines probassent*) Ernestio videbatur scribendum esse *non tantum*. Sed nihil opus. Vid. Goërenzium ad *Cic. de fin.* I, 1.

*Nunquam viderat*) Unde Postumi cognomen accepit. MAN.

*In paternae vitae*) Vulgo absurde *culpae*. Recte Ern. auctore Hotomanno recepit *vitae*.

*Magnas partes*) Praecipuas curationes, ut infra: *Dare partes*. MAN.

*Mittere in negotium*) Ad obeunda societatum negotia; ad deportandas pecunias, quae a societate credebantur, aut ad eas exigendas. HOT.

*Dixit Sibylla*) Quum a senatu decretum esset, ut Lentulus, qui tum proconsul Ciliciam obtinebat, regem reduceret, rex autem legatos Alexandrinorum, qui Romam causam expulsionis dicturi veniebant, partim interficiendos, partim corrumpendos curasset; Iovis statua in Albano posita de caelo tacta est: ob eam causam Sibyllini libri consulti sunt, in quibus ita scriptum fuit: *Si Aegypti rex venerit, opis indigens, amicitiam quidem ne recusetis, exercitu autem ne illum adiuvetis, alioquin in labores et discrimina curretis. Quae verba senatus cum iis quae acciderant conferens, ea quae prius decreverat, religionis causa* (*ut dicebant*) *abrogavit*. Haec Dio. Sed tamen Cicero ad Lentulum scribens lib. epist. famil. I. ficta et simulata haec fuisse omnia confirmat. Hot.

Huic egenti et roganti hic infelix pecuniam credidit; nec tum primum. Nam iam regnanti crediderat absens; nec temere se credere putabat, quod erat nemini dubium, quin is in regnum restitueretur a senatu populoque romano. In dando autem et credendo processit longius: nec suam solum pecuniam credidit, sed etiam amicorum. Stulte: quis negat? aut quis iam non admonet? Quod male cecidit, bene consultum putares? Sed est difficile, quod cum spe magna sis ingressus, id non exsequi usque ad extremum. Supplex erat rex; multa rogabat; omnia pollicebatur: ut iam metuere Postumus cogeretur, ne, quod crediderat, perderet, si credendi constituisset modum. Nihil autem erat illo blandius, nihil hoc benignius: ut magis poeniteret coepisse, quam liceret desistere.

III. Hinc primum exoritur crimen illud: senatum corruptum esse dicunt. O dii immortales! haec est illa exoptata iudiciorum severitas? Corruptores nostri causam dicunt: nos, qui corrupti sumus, non dicimus. Quid? ergo senatum defendam hoc loco, iudices? Omni equidem loco debeo. Ita de me est meritus ille ordo. Sed id nec agitur hoc tempore, nec cum Postumi causa res ista coniuncta est. Quamquam ad sumtum itineris, ad illam magnificentiam appara-

*Nam iam regnanti* ) De Ernestii sententia inserui *iam*. Patricio placebat *nam et regnanti*, vel *nam regnanti quoque*.

*Putares* ) Ernestius rescribi iubet *putes?* Est aliquid. Sed tamen antecedenti interrogationi melius conveniret: *quis enim, quod male cecidit, bene consultum putet?*

*Crimen illud* ) Totus qui sequitur locus ansam dedit Quintiliano adversus Cornelii Celsi de narratione sententiam disputandi inst. or. IV, 2, 9. 10.

*Corruptum esse dicunt* ) Nempe ea pecunia, quam Rabirius crediderat regi, et quidem per Rabirium, qui senatoribus solvisset, scilicet ut eius reductionem decernerent. Ern.

*Non dicimus* ) Nam si, qui corrupit, accusatur: cur non simul is, qui corruptus est? Man.

*Quamquam* ) Hotomannus et Patricius malebant *quamquam enim*.

tus, comitatumque regium, suppeditata pecunia a Postumo est, factaeque syngraphae sunt in Albano Cn. Pompeii, quum ille Roma profectus esset: tamen non debuit is, qui dabat, quo ille, qui accipiebat, consumeret, quaerere. Non enim latroni, sed regi credidit; nec regi inimico populi romani, sed ei, cuius reditum consuli mandatum a senatu videbat; nec ei regi, qui alienus ab hoc imperio esset, sed ei, quicum foedus feriri in Capitolio viderat. Quod si creditor in culpa sit, non qui est improbe credita pecunia usus: damnetur is, qui fabricatus gladium est, et vendidit, non is, qui illo gladio civem aliquem interemit. Quamobrem neque tu, C. Memmi, hoc facere debes, ut senatum, cuius auctoritati te ab adolescentia dedisti, in tanta infamia versari velis, neque ego id, quod non agitur, defendere. Postumi enim causa, quaecumque est, seiuncta a senatu est. Quod si item a Gabinio seiunctam ostendero, certe quod dicas, nihil habebis.

IV. Est enim haec causa, QVO EA PECVNIA PERVENERIT, quasi quaedam appendicula causae iudicatae atque damnatae. Sunt lites aestimatae A. Gabinio: nec praedes dati, nec ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, a populo recepta. Lex aequa est. Iubet persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit,

*Consumeret*) Turnebo placebat *tum sumeret*.

*Consuli mandatum*) Sic bene Abramius correxit vulg. *consuli datum*.

*Non qui est*) *Est* addidit Lambinus. Bene, etiam Ernestio indice. Frustra id repudiavit Graevius.

*Quo ea pecunia pervenerit*) Verba legis Iuliae adversus omnes, qui partem aliquam pecuniae contra leges accepissent. Qui non accusabantur primo loco, sed post eum, in quem totum illud acceptae pecuniae crimen coniiceretur. Qui si erat absolutus, nemo praeterea accusabatur. Sin damnatus, accusabantur ii, ad quos eius pecuniae pars pervenisse putaretur. Ideo subiungit: *quasi quaedam appendicula causae iudicatae atque damnatae*. MAX.

*Recepta*) Ita Lamb. pro vulg. *recipi*.

*Lex aequa est. Iubet.*) Vulgo additur *lex Iulia*, quod hic per glossam ad-

qui damnatus sit, pervenerit. Si est hoc novum in lege Iulia, sicuti multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus, et sanctius, inducatur sane etiam consuetudo huius generis iudiciorum nova. Sin hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia: per deos immortales! quid agimus, iudices? aut quem hunc morem novorum iudiciorum in rempublicam inducimus? Erat enim haec consuetudo nota vobis quidem omnibus, sed, si usus magister est optimus, mihi debet esse notissima. Accusavi de pecuniis repetundis; iudex sedi; praetor quaesivi; defendi plurimos. Nulla pars, quae aliquam facultatem discendi afferre posset, non mea fuit. Ita contendo: neminem unquam, QVO EA PECVNIA PERVENISSET, causam dixisse, qui in aestimandis litibus appellatus non esset. In litibus autem nemo appellabatur, nisi ex testium dictis, aut tabulis privatorum, aut rationibus civitatum. Itaque in inferendis litibus adesse solebant, qui aliquid de se verebantur; et, quum erant appellati, si videbatur, statim contra dicere solebant. Sin eius temporis recentem invidiam pertimuerant, respondebant postea. Quod quum fecissent, permulti saepe vicerunt. Hoc vero novum est, ante hoc tempus omnino inauditum. In litibus, Postumi nomen est nusquam.

ditum esse recte intellexit Ernestius.

*Et sanctius inducatur*) Sic Graev. recte. Vulgo *sanctius iudicata*, *sane*. Ern. malebat *vindicata*.

*In lege Servilia*) Patricius maluit *in lege Cornelia, sed etiam ante in Servilia*; nisi potius utrobique omittendum sit *lege*.

*Facultatem discendi*) Ita legendum pro *dicendi* esse vidit Hotomannus probantibus Lambino et Grutero. Hic enim agitur de usu in his causis optimo discendi magistro: non de *facultate dicendi*. Eiusdem *facultatis discendi* in oratoribus Cic. mentionem facit de orat. I, 43, 58.

*Rationibus civitatum*) Quae recitari solebant in iudicio, ut ex iis constaret, quam quisque pecuniam contra legem cepisset. Man.

*In inferendis*) Lambin. coni. *aestimandis*. Vel simpliciter *in litibus* deleto voc. *ferendis*, quod olim legebatur, ubi nunc *inferendis*.

In litibus dico? modo vos iidem in A. Gabinium iudices sedistis: num quis testis Postumum appellavit? testis autem? num accusator? num denique toto illo iudicio Postumi nomen audistis? Non igitur reus ex ea causa, quae iudicata est, redundat Postumus; sed est arreptus unus eques romanus de pecuniis repetundis reus. Quibus tabulis? quae in iudicio A. Gabinii recitatae non sunt. Quo teste? a quo tum appellatus nusquam est. Qua illatione litium? in qua Postumi mentio facta nulla est. Qua lege? qua non tenetur.

V. Hic iam, iudices, vestri consilii res est, vestrae sapientiae. Quid deceat vos, non, quantum liceat vobis, spectare debetis. Si enim, quid liceat, quaeritis, potestis tollere e civitate, quem vultis. Tabella est, quae dat potestatem; occultat eadem libidinem: cuius conscientiam nihil est quod quisquam timeat, si non pertimescat suam. Vbi est igitur sapientia iudicis? In hoc, ut non solum, quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet; nec, quantum sibi permissum, meminerit solum, sed etiam, quatenus commissum sit. Datur tibi tabella iudicii, qua lege? Iulia de pecuniis repetundis. Quo de reo? de equite romano. At iste ordo lege ea non tenetur. Illo, inquit, capite, QVO EA PECVNIA PERVENERIT, quod erat in Postumum. Quum in Gabinium iudex esses, nihil de Rabirio auditum, nihil quum lites aestimarentur. At nunc audio.

*A. Gabinii*) Sic Lambin. e MSS. Memmii. Vulg. *a Gabinio.*

*Qua illatione*) Sic legendum esse censuit Lambinus. Vulgo *appellatione*, Pantagathus malebat *aestimatione.*

*Cuius conscientiam*) Sic Lambin. Ern. Vulgo *conscientia.*

*Illo*) Ernestius coni. *immo*, vel *immo illo.*

*Illo — aestimarentur*) Vulgo corrupte et sine sensu: *Illo, inquit capite quod erat in Postumum, quod in Gabinium iudex esses, nihil Gabinio datum, quum in eum lites aestimarentur.* Ego h. l. partim de Mureti, partim de Graevii sententia constitui. — Iam Lallemandus praciverat. *T.*

Reus igitur Postumus est ea lege, qua non modo ipse, sed totus etiam ordo solutus ac liber est.

VI. Hic ego nunc non vos prius implorabo, equites romani, quorum ius iudicio tentatur, quam vos, senatores, quorum agitur fides in hunc ordinem: quae quidem quum saepe ante, tum in hac ipsa causa nuper est cognita. Nam quum, optimo et praestantissimo consule Cn. Pompeio de hac ipsa quaestione referente, exsisterent nonnullae, sed perpaucae tamen acerbae sententiae, quae censerent, ut tribuni, ut praefecti, ut scribae, ut comites omnes magistratuum, lege hac tenerentur: vos, vos, inquam, ipsi, et senatus frequens restitit: et, quamquam tum, propter multorum delicta, etiam ad innocentium periculum tempus illud exarserat, tamen, quum odium non restingueretis, huic ordini ignem novum subiici non sivistis. Hoc animo igitur senatus. Quid? vos, equites romani, quid tandem estis acturi? Glaucia solebat, homo impurus, sed tamen acutus, populum monere, ut, quum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet; si esset DICTATOR, CONSVL, PRAETOR, MAGISTER EQVITVM, ne laboraret; sciret nihil ad se pertinere; sin autem, QVICVMQVE POST HANC LEGEM, videret, ne qua nova quaestione alligaretur. Nunc vos, equites romani, videte. Scitis, me ortum e vobis; omnia semper sensisse pro vobis; nihil horum sine magna cura et summa caritate vestri ordinis loquor. Alius alios homines et ordines; ego vos semper complexus sum. Moneo et praedico; integra re causaque denuntio; omnes homines, deosque testor: dum potestis, dum

*Quorum ius iudicio tentatur*) Vestrum ius est, ne quis vos lege de repetundis accusare possit. Hoc ius tentatur, uno equite rom. in iudicium vocato; qui si damnatur, erit, cur eandem sibi quisque vestrum calamitatem pertimescat. MAN.

licet, providete, ne duriorem vobis conditionem statuatis, ordinique vestro, quam ferre possit. Serpet hoc malum (mihi credite) longius, quam putatis.

VII. Potentissimo et nobilissimo tribuno plebis, M. Druso, unam in equestrem ordinem quaestionem ferenti, SI QVIS OB REM IVDICATAM PECVNIAM CEPISSET, aperte equites romani restiterunt. Quid? hoc licere volebant? minime: neque solum hoc genus pecuniae capiendae turpe, sed etiam nefarium arbitrabantur. Attamen ita disputabant, eos teneri legibus oportere, qui suo iudicio essent illam conditionem vitae sequuti. « Delectat amplissimus civitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, provinciae, sacerdotia, triumphi, denique imago ipsa, ad posteritatis memoriam prodita. Est simul etiam sollicitudo aliqua, et legum et iudiciorum maior quidam metus. Nos ista nunquam contempsimus (ita enim disputabant); sed hanc vitam quietam atque otiosam sequuti sumus. Quae quoniam honore caret, careat etiam molestia. » — Tam es tu iudex, quam ego senator. — « Ita est: sed tu istud petiisti, ego hoc cogor. Quare aut iudici mihi non esse liceat, aut legem lege senatoria non timere. Hoc vos, equites romani, ius a patribus acceptum amittetis? moneo, ne faciatis. Rapientur homines in haec iudicia ex omni non modo invidia, sed sermone ma-

*Neque solum*) Patricius coni. *nec enim solum*.

*Delectat*) Schützius, auctore Patricio, addidit *te*. T.

*Est simul etiam sollicitudo aliqua*) Sensus est: istis honoribus et ornamentis aliqua etiam sollicitudo atque molestia, nimirum ob maiorum iudiciorum pericula, immixta est: *maiorum* enim lego non *maior*. Hot.

*Tam es tu iudex, quam ego senator*) Obiectio senatorum. Cur ea lege, qua nos tenemur, vos equites liberi ac soluti esse vultis; quandoquidem, si senatores nos sumus, vos iudices estis. Tu eques tam es iudex, quam ego sum senator. Quod si ego senator iudicia non recuso, quid est, cur tu iudex ea recuses? Man.

*Aut legem*) Ernestius coni. *leges*. Haud scio tamen an verius sit *aut quaestionem lege senatoria non timere*.

livolorum, nisi cavetis. Si iam vobis nuntiaretur, in senatu sententias dici, ut his legibus teneremini, concurrendum ad curiam putaretis. Si lex ferretur, convolaretis ad rostra. Vos senatus liberos hac lege esse voluit; populus nunquam alligavit; soluti huc convenistis; ne constricti discedatis, cavete. Nam, si Postumo fraudi fuerit, qui nec tribunus, nec praefectus, nec ex Italia comes, nec familiaris Gabinii fuit: quonam se modo defendent posthac, qui vestri ordinis cum magistratibus nostris fuerint his causis implicati?

VIII. Tu, inquit, Gabinium, ut regem reduceret, impulisti. Non patitur mea me iam fides de Gabinio gravius agere. Quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim, hunc afflictum violare non debeo. Quocum stante si me Cn. Pompeii auctoritas in gratiam non reduxisset, nunc iam ipsius fortuna reduceret. Sed tamen, quum ita dicis, Postumi impulsu Gabinium profectum Alexandriam: si defensioni Gabinii fidem non habes, obliviscerisne etiam accusationis tuae? Gabinius se id fecisse dicebat reipublicae causa, quod classem Archelai timeret, quod mare refertum fore praedonum putaret. Lege etiam id sibi licuisse dicebat. Tu inimicus negas. Ignosco; et eo magis, quod est contra illud iudicatum. Redeo igitur ad crimen et accusationem tuam. Quid vociferabare, decem millia talentum Gabinio esse promissa? Huic videlicet persuasor blandus reperiendus fuit, qui hominem, ut tu vis, avarissimum exoraret, sestertium bis millies et quadringenties ne magnopere contemneret. Gabinius illud,

*Ex tantis inimicitiis*) Consul Gabinius tribunum pl. in eiiciendo Cicerone Clodium adiuverat. MAN.

*Illud*) Ernestio hoc de glossa suspectum. — *Persuasor blandus*) Sic Hotomannus e cod. MSto emendavit. Vulgo *perblandus*.

quoquo consilio fecit, fecit certe suo. Quaecumque mens illa fuit, Gabinii fuit: sive ille, ut ipse dicebat, gloriam; sive, ut tu vis, pecuniam quaesivit, quaesivit sibi. * Num Gabinii comes, vel sectator? negat. Non enim ad Gabinii, cuius id negotium non erat, sed ad P. Lentuli, clarissimi viri, auctoritatem, a senatu profectam, et consilio certo, et spe non dubia, Roma contenderat.

IX. « At dioecetes fuit regius. » Et quidem in custodia etiam fuit regia; et vita [1] ei ablata paene est. Multa praeterea, quae libido regis, quae necessitas coëgit ferre, pertulit. Quarum omnium rerum una reprehensio est, quod regnum intrarit, quod potestati se regis commiserit. Verum si quaerimus, stulte. Quid enim stultius, quam equitem romanum, ex hac urbe, huius, inquam, reipublicae civem, quae est una maxime, et fuit semper libera, venire in eum locum, ubi parendum alteri et serviendum sit? Sed ego in hoc tamen Postumo non ignoscam, homini mediocriter docto, in quo videam sapientissimos homines esse lapsos? Virum unum totius Graeciae facile doctissimum, Platonem, iniquitate Dionysii, Siciliae tyranni,

* *Quaesivit sibi*) Hic excidisse verba quaedam omnes fatentur. Hotomannus conieeit omissa esse verba in hanc sententiam: *At profectus Alexandriam est Postumus;* quae si suppleantur, nihil amplius desideretur.

*A senatu profectam*) Scil. quia ei negotium Ptolemaei regis in regnum reducendi mandatum erat, ut supra dixit.

*Dioecetes*) Procurator, et quasi dispensator regius, ἀπὸ τοῦ διοικεῖν. Infra: *Ut ventum est Alexandriam ad Auleten, haec una ratio a rege proposita Postumo est servandae pecuniae, si curationem, et quasi dispensationem regiam suscepisset; id autem facere non poterat, nisi dioecetes. Hoc enim nomine utitur, qui a rege esset constitutus.* Ex hoc loco satis apparet Aegyptum Graeca lingua usam esse. Atque etiam infra, quum de legatis Alexandrinis Cicero loquatur, Graecos appellat. *Nostis*, inquit, *insulsitatem Graecorum.* MAN.

(1) Sic MSS. Mureti. Codd. Pall. *vita eius.*

*Sed ego in hoc tamen*) Ita cod. Hotom. Et recepit Ern. Vulg. *tandem.* Idem deinde maluit *in quo* pro *quo.*

cui se ille commiserat, in maximis periculis insidiisque esse versatum accepimus; Callisthenem, doctum hominem, comitem Magni Alexandri, ab Alexandro necatum; Demetrium et ex republica Athenis, quam optime gesserat, et ex doctrina nobilem et clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Aegypti regno, aspide ad corpus admota, vita esse privatum. Plane confiteor, fieri nihil posse dementius, quam scientem in eum locum venire, ubi libertatem sis perditurus. Sed huius istius facti stultitiam maior iam superior stultitia defendit; quae facit, ut hoc stultissimum facinus, quod in regnum venerit, quod regi se commiserit, sapienter factum esse videatur. Siquidem non tam semper stulti, quam sero sapientis est, quum stultitia sua impeditus sit, quoquo modo possit, se expedire. Quamobrem illud maneat et fixum sit, quod neque moveri, neque mutari potest; in quo aequi sperasse Postumum dicunt, peccasse iniqui, ipse etiam insanisse se confitetur, quod suam, quod amicorum pecuniam regi crediderit cum tanto fortunarum suarum periculo; hoc quidem semel suscepto atque contracto, perpetienda illa fuerunt, ut se aliquando ad suos vindicaret. Itaque obiicias licet, quam voles saepe, palliatum fuisse, aliqua habuisse non romani hominis

*Gesserat*) Ita Graev. Vulgo *digesserat*. Ernestio totum illud *quam optime gesserat* additamentum glossatoris esse videbatur.

*Superior stultitia*) Quod regi grandem pecuniam credidit, non modo postquam regno pulsus est, sed antea quoque, quum regnaret. Eam pecuniam, rege restituto, ut recuperaret, in regnum venit stulte: quid enim stultius quam venire in eum locum, ubi parendum alteri, et serviendum sit? Sed haec stultitia necessaria, superior illa voluntaria fuit. Itaque hanc ab illa, unde orta est, defendi, atque excusari, quis non videt? Max.

*Siquidem non*) Negandi particulam vulgo omissam addiderunt Lamb. Graev. Ern.

*Ad suos vindicaret*) Recte Manutius interpr. *ut ad suos redire posset, tanquam e servitute liberatus.*

*Palliatum*) Pallio potius, ut Alexandrinum hominem, quam toga, ut Romanum, usum esse. Max.

insignia. Quoties eorum quippiam dices, toties unum dices, atque illud, temere hunc pecuniam regi credidisse; suas fortunas atque famam libidini regiae commisisse. Fecerat temere; fateor: mutari factum iam nullo modo poterat: aut pallium sumendum Alexandriae, ut et Romae togato esse liceret; aut omnes fortunae abiiciendae, si togam retinuisset.

X. Deliciarum causa et voluptatis, non modo cives romanos, sed et nobiles adolescentes, et quosdam etiam senatores, summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli, in celeberrimo oppido, cum mitella saepe vidimus. Chlamydatum L. Sullam imperatorem; L. vero Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque devicit, non solum cum chlamyde, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam videtis. Quorum impunitas fuit non modo a iudicio, sed etiam a sermone. Facilius certe P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defendet: qui quum a Mithridate Mitylenis oppressus esset, crudelitatem regis in togato vestitus mutatione vitavit. Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentiae, consularis homo, soccos habuit et pallium; nec vero id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putavit: Postumo crimen

*Si togam retinuisset*) Haec Ernestio claudicare, et ex annotatione glossatoris orta esse videbantur.

*Cum mitella*) Bene deliciis et voluptatibus mitellam adiungit. Fuit enim mitra, tegumentum capitis virorum mollium, aut etiam feminarum. Quare viris probrosum fuit gestare mitram. IV Aeneid. 216: *At nunc ille Paris cum semiviro comitatu Maeonia mentum mitra, etc.* Vide et IX, 616. Ab.

*Vidimus*) Bene Ern. hoc substituit vulg. *videmus*.

*Chlamydatum*) Plerumque enim togatae dicari statuae solebant, quemadmodum scribit Plinius, lib. XXXII, cap. 5. Atque horum quidem mentionem facit Valerius Max. libro III, cap. 6, sed quum hunc Ciceronis locum inserere in suam ille historiam cogitaret, verborum oblivione Neapoli Syllam cum chlamyde ambulasse scribit. Hot.

vestitus afferret is, in quo spes fuit, posse se aliquando ad fortunas suas pervenire? Nam, ut ventum est Alexandriam ad Auletem, iudices, haec una ratio a rege proposita Postumo est servandae pecuniae, si curationem et quasi dispensationem regiae suscepisset. Id autem facere non poterat, nisi dioecetes; hoc enim nomine utitur, qui a rege esset constitutus. Odiosum negotium Postumo videbatur, sed erat nulla omnino recusatio. Molestum etiam nomen ipsum; sed res habebat nomen hoc apud illos, non hic imposuerat. Oderat vestitum etiam illum; sed sine eo nec nomen illud poterat, nec munus tueri. Ergo aderat vis, ut ait poëta ille noster, *quae summas frangit infirmatque opes*. Moreretur, inquies. Nam id sequitur. Fecisset certe, si sine maximo dedecore, tam impeditis suis rebus, potuisset emori. Nolite igitur fortunam convertere in culpam; neque regis iniuriam, huius crimen putare; nec consilium ex necessitate, nec voluntatem ex vi interpretari; nisi forte eos etiam, qui in hostes, aut in praedones inciderint, si aliter quippiam coacti faciant, quam libere, vituperandos putetis. Nemo nostrum ignorat, etiamsi experti non sumus, cousuetu-

*Ad Auletem*) Quintilian. Inst. or. IV, 2, 18 omittit haec verba.

*Auletem*) Latine, tibicinem. Cognomen Ptolemaei regis, quia fidibus praecipue delectaretur. Man.

*Servandae pecuniae*) Ernestius probabiliter coniicit excidisse *suae*.

*Regiae*) Sic Patricius et Ernestius corrigendum recte censuerunt vulg. *regiam*.

*Nam id sequitur*) Holomannus interpr. *id sequitur ex tanta fortunarum tuarum iactura et naufragio*. Fieri tamen potest ut Cicero significet illud moriendi consilium apud eundem illum poëtam sequi, cuius illum versiculum laudaverat.

*Si sine maximo dedecore*) Retorquet argumentum. Mori debuit, quo dedecus effugeret. Immo vero mori, tam impeditis rebus suis, sine dedecore et quidem maximo, non potuit: ad priorem enim culpam rei familiaris temere proiectae, desperationis, animique debilitati, et fracti, et fortunae cedentis infamiam addidisset. Man.

*Quam libere*) Graevius corrigendum putabat *liberi*.

dinem regiam. Regum autem haec sunt imperia, *animadverte;* et, *dicto pare;* et, *praeter rogitatum si quippiam;* et illae minae, *si te secundo lumine hic offendero, Moriere:* quae non, ut delectemur solum, legere et spectare debemus, sed ut cavere etiam et effugere discamus.

XI. At ex hoc ipso crimen exoritur. Ait enim, dum Gabinio pecuniam Postumus cogeret, ex decumis imperatorum pecuniam sibi coëgisse. Non intelligo, hoc quale sit: utrum accessionem decumae, ut nostri facere coactores solent centesimae, an decessionem de summa fecerit. Si accessionem, undecim millia talentum ad Gabinium pervenerunt. At non modo abs te decem millia obiecta sunt, sed etiam ab his aestimata. Addo illud etiam: qui tandem convenit, aut, tam gravi onere tributorum, ad tantam pecuniam cogendam mille talentum accessionem esse factam; aut, in

*Si quippiam*) Hoc ex ed. Iuol. revocavit Ern. Intelligitur *scil. loquare.* Ald. et alii seqq. ediderunt *si querare.* Hotomanni cod. *si loquare.* Et sic Lambin.

*Moriere*) Verba sunt Creontis ex Ennii Medea; vid. Ennii fragmenta ed. Hessel. p. 205.

*Imperatorum*) Scil. tributorum; quae scilicet Ptolemaeus rex Aegyptiis imperaverat, ut Gabinio promissam pro reductione pecuniam solvere posset.

*Utrum accessionem — an decessionem de summa fecerit*) Gabinio, regis iussu, cogebatur illa pecunia, nempe decem millia talentum. Postumus unde sibi sumpsit? Nam si ex decumis fiunt decem millia talentum, quae Gabinii sunt, pro Postumo quid superest? Exegit, inquies, centesimam nostrorum coactorum more, praeter illa decem millia talentum Gabinio coacta, ex quibus, quum ei pro reductione regis promissa essent, detrahi nihil oportuit. Si hoc verum est, respondet Cicero, tota coacta pecunia undecim millia talentum fuisset, non decem millia: quae ab accusatore obiecta, iudices, damnato Gabinio, aestimarunt. Id autem quis verum putabit? Nam tantum novi oneris, id est mille talentum, imponi populis, rex non videtur passurus fuisse. Sin autem Postumum in cogenda sibi pecunia non accessionem fecisse ad decem millia talentum, sed ex ipsis decem millibus, Gabinio promissis, centesimam sibi sumpsisse dices: cui verisimile videbitur Gabinium, hominem, ut tu vis, avarissimum, tantum pecuniae de promissa sibi summa detrahi passum esse? MAN.

tanta mercede hominis, ut vis, avarissimi, mille talentum decessionem esse concessam? Neque enim fuit Gabinii, remittere tantum de suo; nec regis, imponi tantum pati suis. Aderunt testes, legati Alexandrini. Hi nihil in Gabinium dixerunt; immo Gabinium laudaverunt. Vbi ergo mos? ubi consuetudo iudiciorum? ubi exempla? Soletne is dicere in eum, qui pecuniam redegit, qui in illum, cuius nomine ea pecunia redigeretur, non dixerit?

XII. Age, si is, qui non dixit, solet; etiamne is solet, qui laudavit? iisdem testibus, et quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi praeiudicata res ad has causas deferri solet? Et ait etiam meus familiaris et necessarius, eandem causam Alexandrinis fuisse, cur laudarent Gabinium, quae mihi fuerit, cur eundem defenderem. Mihi, C. Memmi, causa defendendi Gabinii fuit reconciliatio gratiae. Neque me vero

*Nec regis, imponi*) Ita scribendum esse vidit Graevius. Vulgo *imponere.* In cod. Hutomanni erat: *non regis imponere tanto plus suis.* At illa accessio pecuniae non regis imperio, sed a Rabirio facta esse dicebatur.

*Immo Gabinium laudaverunt. Vbi ergo mos?*) Sic de Ernestii sententia edidi. Vulgo *immo hi Gabinium laudaverunt, ubi ergo ille mos?*

*Soletne is dicere in eum, qui pecuniam redegit*) Quum a coactoribus imperatorum nomine pecunia redigeretur, solebat imperatoris nomen in tabulas expensi et accepti, id est, Alexandrinorum et coactorum referri. Qua de causa si postea quaerendum civibus videretur, primum in eum, cuius nomine redacta erat pecunia, accusatio intendebatur, ut si furtum factum appareret, tum is quoque qui coegerat et accessionem receperat, in crimen similiter vocaretur, ut, eius causa tanquam appendicula quaedam causae indicatae et damnatae fuisse videatur. Pendet enim eius causae veritas a prioris causae bonitate: nam si furtum decuma factum est, reddi quoque furti accessionem oportet. Neque prius intelligi potest furtum fecerit coactor, et iniuria corollarium acceperit, quam iudicatum sit, furtum in sorte ac principali factum esse. Hot.

*Etiamne is solet, qui laudavit*) Si is, qui non dixit in eum, cui redigitur pecunia, nunquam solet dicere in eum, qui pecuniam redegit, num hoc faciet, quum laudaverit eum, cuius nomine redacta est pecunia? Graev.

*Eandem causam*) Amicitiam Pompeii, cuius opera Ptolemaeus redierat in regnum, Cicero autem ab exilio. Man.

poenitet, mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere. Nam si me invitum putas, ne Cn. Pompeii animum offenderem, defendisse causam; et illum, et me vehementer ignoras. Neque enim Pompeius me sua causa quidquam facere voluisset invitum; neque ego, cui omnium civium libertas carissima fuisset, meam proiecissem. Quamdiu inimicissimus Gabinio fui, non amicissimus mihi non Pompeius fuit; nec, posteaquam illius auctoritati eam dedi veniam, quam debui, quidquam simulavi, ne, cum mea perfidia, illi etiam ipsi facerem, cui beneficium dedissem, iniuriam. Nam non redeundo in gratiam cum inimico, non violabam Pompeium. Si per eum reductus insidiose redissem, me scilicet maxime, sed proxime me, illum quoque fefellissem. At de me omittamus; ad Alexandrinos istos revertamur. Quod habent os! quam audaciam! Modo, vobis inspectantibus, in iudicio Gabinii, tertio quoque verbo excitabantur; negabant, pecuniam Gabinio datam. Recitabatur identidem Pompeii testimonium: regem ad se scripsisse, nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem militarem, datam. « Non est, inquit, tum Alexandrinis testibus creditum. » Quid postea? « Creditur nunc. » Quamobrem? « Quia nunc aiunt, quod tunc negabant. » Quid? ergo ista conditio est

*Iniuriam*) Fortasse legendum *ne quum mihi mea perfidia, tum illi etiam ipsi facerem e. b. d. iniuriam.*

*Sed proxime me*) Vulgo abest *me* quod auctore Ernestio interposui.

*Quid postea? « Creditur nunc. » Quamobrem?*) Ita recte h. l. emendavit Manutius. Vulgo *quid? postea creditum? non. Quamobrem* etc.

*Quid postea?*) Necesse est credi vel negantibus, vel affirmantibus. Negantibus in Gabinii iudicio creditum non est: itaque iudices eum damnarunt: affirmantibus igitur contra Postumum creditur. Hic Cicero ducit argumentum a testium inconstantia. Quid ergo? inquit: iisdem testibus in eadem re creditur nunc, quibus creditum antea non sit? Disputationis autem hic est ordo. *Accusator* dicit: Non est etc. MAN.

*Negabant*) Haec sic affirmative enuntiata tribuo cum Manutio accusatori. Ernestius cum interrogatione dictum accepit et defensori tribuendum; sic: *Quamobrem? Quia nunc*

testium, ut, quibus creditum non sit negantibus, iisdem credatur dicentibus? At, si verum tum verissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur. Si tunc mentiti sunt, doceant nunc nos verum. Quid multa? sileant. *Dudum* audiebamus Alexandriam; nunc cognoscimus. Illinc omnes praestigiae; illinc, inquam, omnes fallaciae; omnia denique ab his mimorum argumenta nata sunt. Nec mihi longius quidquam est, iudices, quam videre hominum vultus. Dixerunt hic modo nobiscum ad haec subsellia. Quibus superciliis renuentes huic decem millium crimini! Iam nostis insulsitatem Graecorum; humeris gestum agebant: tum temporis, credo, causa; nunc scilicet tempus nullum est. Vbi semel quis peieraverit, ei credi postea, etiamsi per plures deos iuret, non oportet; praesertim, iudices, quum in his iudiciis ne locus quidem novo testi soleat esse, ob eamque causam iidem iudices retineantur, qui fue-

*aiunt quod tunc negabant? Quid* etc.

*Tum verissima fronte*) Vulgo *cum verissima fronte.* Ernestius malebat, *At si tum verissima fronte dixerunt.*

*Doceant nunc nos verum?*) Inserui *nunc*, quod oppositio requirit.

*Quid multa? sileant*) Vulgo *quid vultis? sileant.* Sed in cod. Memm. scriptum *quod multi?* unde Lambinus recte elicuit *quid multa?* Et vero sic habent ed. Waldarf. 1480, Ven. 1495.

*Dudum audiebamus Alexandriam*) Vulgo sine sensu: *dicere audiebamus Alexandriam.* Rescripsi *dudum;* ut est in Bruto cap. 72, *dudum audiebamus.*

*Ad haec subsellia*) Scil. testimonium dixerunt pro Gabinio, quum ego eum defendebam.

*Quibus superciliis*) Quo verius eorum testimonium videretur, admirationem superciliis ostendebant, negantes omnino verum esse crimen decem millium talentorum. Man.

*Humeris gestum agebant*) Sensus est, ut opinor: *Quum illi Alexandrini pro Gabinio testimonium dicebant, alto supercilio et fronte ad severitatem composito renuebant decem millium crimini: attamen, adeo insulsi erant, simul humeros allevabant, ut significarent, se temporis causa negare, quod verum esse sciant.* Nimirum *humeros allevare* gestus est interdum eorum, qui se aliquid invitos et necessitate coactos facere significant. Et hic est ille *gestus humilis, servilis et quasi fraudulentus* quem notat Quintilianus Inst. or. XI, 3, 83.

*Nunc scilicet tempus nullum est*) Ironia. Aeque nunc mentientur odio in Postumum, ut antea mentiti sunt benevolentia in Gabinium. Fern.

rint de reo, ut his nota sint omnia, neque quid fingi novi possit.

XIII. Lites, QVO EA PECVNIA PERVENERIT, non suis propriis iudiciis, sed in reum factis condemnari solent. Itaque si aut praedes dedisset Gabinius, aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset; quamvis magna ad Postumum ab eo pecunia pervenisset, non redigeretur: ut intelligi facile possit, quod ex ea pecunia ad quem *sociorum eius*, qui damnatus est, pervenisse in illo primo iudicio planum factum sit, id hoc genere iudicii redigi solere. Nunc vero quid agitur? ubi terrarum sumus? quid tam insolens, tam perversum, praeposterumve dici, aut excogitari potest? Accusatur is, qui non abstulit a rege, sicut Gabinius iudicatus est; sed qui maximam regi pecuniam credidit. Ergo is Gabinio dedit, qui non

*Vt intelligi facile possit, quod ex ea pecunia*) Hunc locum male affectum sese non tantum ostendit sententia, et haesitatio doctorum virorum, sed et antiquorum librorum varietas. Franc. MS. et editio Mediolanensis: *Quod ex ea pecunia, quae ad quem eorum, qui damnatus est, pervenisse ad aliquem in illo primo iudicio planum factum sit.* Editio prima: *Quod ex ea pecunia, quae ad aliquam eorum, qui damnatus est, pervenisset ad aliquam nullo praemio iudicio planum factum sit.* Legendum censeo sequutus vestigia veterum librorum: *Quod ex ea pecunia, quae ad aliquem comitum eius, qui damnatus est, pervenisset, in illo primo iudicio planum factum sit.* Quis ignorat comites Proconsulum et Praetorum dici, qui erant in cohorte praetoria, qui et eorum contubernales appellabantur? Ex *comitum*, quod vocabulum scriptoribus posteriorum saeculorum in hac notione erat minus tritum et notum, facile potuit *eorum* nasci. Aut hanc vocem, aut similem esse pro *eorum* substituendam ipsa clamat sententia. Nam damnabantur repetundarum ipsi magistratus provinciales: si vero quid ex illa pecunia pervenisset ad aliquem eorum, qui in illorum comitatu erat, et in illo iudicio, in quo damnabatur Proconsul, id probatum esset, redigebatur ex illius comitis bonis ea, quae ad illum pervenerat, pecunia. GRAEV.

*Ad quem sociorum eius qui damnatus est*) Vulgo mendose: *ad quem eorum qui damnatus est.* Graevius corrigebat *ad quem comitum eius.* Ernestius *ad quem sociorum eius*, quod recepi.

*Sicut Gabinius iudicatus est*) Gabinium ipse defenderat, eique Pompeii causa amicus erat: propterea non fatetur abstulisse Gabinium a rege pecuniam, sed ait, *iudicatus est.* MAN.

huic reddidit. Iam cedo, quum is, qui pecuniam Postumo debuit, non huic, sed Gabinio dederit: condemnato Gabinio, utrum illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet?

XIV. At habet, et celat. Sunt enim, qui ita loquantur. Quod genus tandem est illud ostentationis et gloriae? Si nihil habuisset unquam, tamen, si quaesisset, cur dissimularet habere, causa non esset. Qui vero duo lauta et copiosa patrimonia accepisset, remque praeterea bonis et honestis rationibus auxisset: quid esset tandem causae cur existimari vellet nihil habere? An, quum credebat inductus usuris, id agebat, ut haberet quam plurimum; posteaquam exegit, quod crediderat, ut existimaretur egere? Novum genus hoc gloriae [concupiscit?] «Dominatus est enim, inquit, Alexandriae.» Immo vero in superbissimo dominatu fuit; pertulit ipse custodiam; vidit in vinculis familiares suos; mors ob oculos saepe versata est; nudus atque egens ad extremum fugit e regno. «At permutata aliunde pecunia est; ductae naves Postumi Puteolos sunt; auditae visaeque merces, fallaces quidem et fucosae, chartis et linteis et vitro celatae:

*Vt existimaretur — (concupiscit?)* Vulgo: *ut existimaretur egere, novum genus hoc gloriae concupiscit.* In cod. Francii post *egere* notam interrogationis positam invenit Graevius, unde is coniecit, verbum intrusum esse ad vulgatam distinctionem sublevandam. Sane mihi videtur verum vidisse. Itaque voc. *concupiscit* uncis inclusi. In vulgata lectione Ernestius vel *concupivit*, vel *existimetur* reponendum esse censebat, ita tamen ut hoc ei magis placeret.

*Puteolos*) Sic emendavit Manutius, probante Ernestio. Vulg. *Puteolis.* Turnebo tamen placuit *ductae naves Postumi: Puteolis sunt auditae visaeque merces.* Lambinus praeferebat: *actae naves Postumi Puteolos sunt.*

*Fallaces quidem et fucosae*) Id est, quae longe aliud erant, ac prae se ferebant. Obductae namque et opertae fuerant charta, vitro, et linteis, quae tria sunt mercium genera, quae Alexandria Romam vehebantur: quemadmodum scribit Plin. lib. XIII, cap. 11, et lib. XXXVI, cap. 26. Latebant autem sub iis mercibus aliae pretiosae, in quibus erat et pars aliqua pecuniae. Hot.

*Vitro*) Fuerunt qui mallent *nitro.*

quibus quum multae naves refertae fuissent, una non patuit parva.» Cataplus ille Puteolanus, [sermo illius temporis] [1] vectorumque [cursus atque] ostentatio, tum subinvisum apud malivolos Postumi nomen, propter opinionem pecuniae nescio quam, aestatem unam, non plures, aures refersit istis sermonibus.

XV. Verum autem, iudices, si scire vultis: nisi C. Caesaris summa in omnes, incredibilis in hunc eadem liberalitas exstitisset, nos hunc Postumum iam pridem in foro non haberemus. Ille onera multorum huius amicorum excepit unus; quaeque multi homines necessarii secundis Postumi rebus descripta sustinuerunt, nunc eius afflictis fortunis universa sustinet. Vmbram equitis romani et imaginem videtis, iudices, unius amici conservatam auxilio et fide. Nihil huic eripi potest, praeter hoc simulacrum pristinae dignitatis, quod Caesar solus tuetur et sustinet: quae quidem, in miserrimis rebus, huic tamen tribuenda est maxima. Nisi vero hoc mediocri virtute effici potest, ut tantus ille vir tanti ducat hunc, afflictum praesertim et absentem, et in tanta fortuna sua, ut aliena respicere magnum sit; tanta occupatione maximarum

*Celatae*) Sic Lambin. e MSS. Idem Turnebo placuerat (et Hutomano, uti patet ex interpretatione). Vulg. *delatae*.

*Cataplus*) Κατάπλους proprie dicitur, quum ex alto redit navis, et in portum, unde exierat, remeat. Vnde *cataplus* etiam Latinis, classis quae Alexandriam ibat, ac redibat Romam. SALM.

(1) Vocis inclusa Ernestio spuria videntur, cui et ipse assentior.

*In foro non haberemus*) Amisso enim equestri censu, quem ad CD millia pervenire oportebat, equestrem simul ordinem, equitumque propria ornamenta, ut clavatam tunicam, amisisset. Ita publico carere cogeretur. MAN.

*Descripta*) Describere hoc loco partiri significat et distinguere, quasi diverse et seorsim scribere. Sumpta ab exactoribus tributorum dicendi forma, a quibus partite et separatim singulorum nomina civium describi solent. HOT.

*Vt aliena*) scil. *negotia*. Patricius tamen malebat *alienam*, scil. *fortunam*. Sed haec sententia iam est in priore membro.

*Occupatione*) Recte sic Lambinus, cui assensi sunt Graev. Ern. Vulgo inepte *oppugnatione*.

rerum, quas gerit atque gessit, ut vel oblivisci aliorum non sit mirum, vel, si meminerit, oblitum esse, facile possit probare.

XVI. Multas equidem C. Caesaris virtutes, magnas incredibilesque cognovi. Sed sunt ceterae maioribus quasi theatris propositae, et paene populares: castris locum capere, exercitum instruere, expugnare urbes hostium, aciem profligare; hanc vim frigorum hiememque, quam nos vix huius urbis tectis sustinemus, excipere; his ipsis diebus hostem persequi, tum, quum etiam ferae latibulis se tegant, atque omnia bella iure gentium conquiescant. Sunt ea quidem magna: quis negat? sed magnis excitata sunt praemiis ad memoriam hominum sempiternam. Quo minus admirandum est, eum facere illa, qui immortalitatem concupiverit. Haec *nimirum* laus est, quae non poëtarum carminibus, non annalium monumentis celebratur, sed prudentium iudicio expenditur: equitem romanum, veterem amicum suum, studiosum, amantem, observantem sui, non libidine, non turpibus impensis cupiditatum atque iacturis, sed experientia

*Facile possit probare*) Sine causa hic haesit Ern. Recte interpretatus est Hotomannus: *si tamen meminerit et velit oblivionem simulare, omnes facile credant oblitum re vera esse.* Ernestius: «sed ita, inquit, non differt hoc satis a priori, *non sit mirum oblivisci aliorum*». Quidni differat? Prorsus contraria sunt, *oblivisci*, et *meminisse quidem sed oblivionem simulare.*

*Et paene populares*) Minime audiendus Patricius, qui corrigendum putabat *haec paene popularis;* etsi Ernestius quoque ei assentitur. Populares virtutes sunt eae, quae accommodatae sunt ad vulgarem sensum, ut de iis populus quoque iudicare possit. His opponitur *laus ea quae prudentium iudicio expenditur.*

*Expugnare — profligare*) Sic Patricius emendavit. Vulg. *expugnare urbes, aciem hostium profligare.*

*Hiememque*) Patricius malebat *hiemisque.*

*Tum, quum etiam*) Particulam *tum* delendam censuerunt Patricius, Ern.

*Haec nimirum laus*) Vere sic scribendum esse iudicavit Ern. Vulgo *haec mira laus est.*

*Iacturis*) Est sumptibus, ut saepius apud Caesarem, et Tullium. Graev.

*Experientia*) Forlasse leg. *experimentis.* Ern.

patrimonii amplificandi, labentem excepit, [corruere non sivit][1] fulsit et sustinuit re, fortuna, fide, hodieque sustinet; nec amicum pendentem corruere patitur; nec illius animi aciem praestringit splendor sui nominis, nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunae et gloriae. Sint sane illa magna, quae revera magna sunt; de iudicio animi mei, ut volet, quisque sentiat: ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna, liberalitatem in suos, memoriam amicitiae, reliquis virtutibus omnibus antepono. Quam quidem vos, iudices, in novo genere bonitatem, inusitatam claris ac praepotentibus viris, non modo non aspernari ac refutare, sed complecti etiam et augere debetis; et eo magis, quod videtis hos quasi sumptos dies ad labefactandum illius dignitatem; ex qua illi nihil detrahi potest, quod non aut fortiter ferat, aut facile restituat. Amicissimum hominem si honestate spoliatum audierit; nec sine magno dolore feret, nec id amiserit, quod posse speret recuperari.

XVII. Satis multa hominibus non iniquis haec esse debent; nimis etiam multa vobis, quos aequissimos esse confidimus. Sed, ut omnium vel suspicioni, vel malivolentiae, vel crudelitati satis fiat: occultat pecuniam Postumus, latent regiae divitiae. Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Postumi nummo

(1) Vocis inclusa spuria videntur.

*Praestringit*) Vulgo *perstringit.* Lambin. *praestinguit.*

*Ad labefactandum illius dignitatem*) Non constat quid adversarii tum temporis moliti sint contra Caesaris dignitatem: nisi forte illud est, quod tradit Appianus II bellorum civilium: *Pompeius ..... tulit legem, ut ex eo tempore, quo ipso primum consul fuerat, usque in praesentem consulatum, liceret ab iis qui magistratus gesserant, rationem actorum expeti. Erat autem id tempus annorum paene viginti, quod et Caesaris consulatum complectebatur. Id factum Caesariani interpretabantur in patroni sui sigillationem ac contumeliam, dum tam longe repetantur elapsa tempora.* Abr.

*Illi nihil*) Legendum videtur *aliud nihil.*

*Occultat — latent*) Fortasse legendum: *occultet — lateant*, ut concessionem se simulare indicet.

sestertio sibi addici velit? Sed, miserum me! quanto haec dixi cum dolore! Hem, Postume, tune es Curii filius, C. Rabirii, iudicio et voluntate, filius, natura, sororis? tune ille in omnes tuos liberalis? cuius multos bonitas locupletavit? qui nihil profudisti? nihil ullam in libidinem contulisti? tua, Postume, nummo sestertio a me addicuntur? O meum miserum acerbumque praeconium! At hoc etiam optat miser, ut condemnetur a vobis: ita bona veneant, ut solidum suum cuique solvatur. Nihil iam aliud nisi fidem curat; nec vos huic, si iam oblivisci vestrae mansuetudinis volueritis, quidquam praeterea potestis eripere. Quod, iudices, ne faciatis, oro obtestorque vos, atque eo magis, si adventitia pecunia petitur ab eo, cui sua non redditur. Nam in eum, cui misericordia opitulari debebat, invidia quaesita est. Sed

*Tune es Curii filius*) Dixi iam, duos Postumo patres fuisse, a quibus etiam duo ei lauta, et copiosa patrimonia relicta sunt, Curium naturalem, adoptivum Rabirium, matris fratrem: a quo praenomen, et nomen accepit, ut in adoptionibus mos erat. Man.

*Sororis?*) Vulgo iterum additur *filius* quod Ernestio auctore delevi.

*Postume*) Patricius addendum putat *omnia*.

*O meum miserum acerbumque praeconium!*) Quintilian. Inst. or. XI, 3, 172: *Et quum bona C. Rabirii uno sestertio addicit:* O meum miserum acerbumque praeconium.

*At hoc etiam optat miser, ut condemnetur a vobis*) Hotom. suspicabatur mendosum ac mutilum esse locum. Emendabat igitur: *At hoc tamen optat miser, ut si condemnetur a vobis, ita bona veneant* etc. Tvr.

*Vt solidum suum cuique solvatur*) Creditoribus nempe, a quibus pecuniam sumpserat mutuo, quam Alexandrino Regi crederet. Sed hoc tamen loco quaeri illud potest, quum supra nummum sestertium in bonis Postumi fuisse neget, quomodo ex iisdem bonis absolvi creditores poterunt. Nec me latet hanc multis impeditam videri posse quaestionem, quo lubentius quid de ea sentiam explicabo. Arbitror equidem intelligendum hoc loco ac subaudiendum esse regulam, quae in libris iuris civilis usurpatur, et sermone iuris consultorum trita est: ea duntaxat in bonis esse cuiusque videri, quae deducto aere alieno supersunt. Tanta autem fuisse Rabirii debita, ut iis exsolutis ac deductis, ne unus quidem sestertius in eius bonis superesset. Hot.

iam, quoniam, ut spero, fidem, quam potui, tibi praestiti, Postume, reddam etiam lacrymas, quas debeo: quas quidem ego tuas in meo casu plurimas vidi. Versatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, quum tu totum te cum tuis copiis ad me detulisti. Tu comitibus, tu praesidio, tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud postulabat, discessum illum sustentasti: tu nunquam meis, me absente, liberis, nunquam coniugi meae defuisti. Possum excitare multos reductos, testes liberalitatis tuae: quod saepe audivi patri tuo, qui id fecisset, magno adiumento in iudicio capitis fuisse. Sed iam omnia timeo; bonitatis ipsius invidiam reformido. Iam indicat tot hominum fletus, quam sis carus tuis; et me dolor debilitat, includitque vocem. Vos obsecro, iudices, ut huic optimo viro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis romani, et usuram huius lucis, et vestrum conspectum ne eripiatis. Hic vos aliud nihil orat, nisi ut rectis oculis hanc urbem sibi intueri, atque in hoc foro vestigium facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat, nisi unius amici opes subvenissent.

*Possum excitare multos reductos*) Possum adducere multos testes liberalitatis tuae, quos tu, quum aere alieno concidissent, et solum vertissent, reduxisti, restituisti, aere alieno ipsorum tua liberalitate dissoluto; quod quum pater tuus fecisset, ei opem tulit in iudicio capitis, adeoque tibi etiam prodesse debet. ERN.

*Et me dolor debilitat*) Patricius cod. *et mi dolor debilitat.*

*Vt rectis oculis hanc urbem sibi intueri*) Hoc est, sine pudore ac dolore, quo exules solent, et foro eiecti. ERN.

*Quod ipsum*) Frustra Patricius corrigendum opinabatur *quod ipsi.*

# ORATIO

PRO

# Q. LIGARIO

# ORATIO

PRO

# Q. LIGARIO

### SVMMARIVM

A. V. C. 703, C. Considius Longus ex lege Pompeia et SCto Africam provinciam pro praetore obtinuit, ex qua quum decederet, Q. Ligarium legatum suum ei praefecit. Anno sequente quum subito bellum civile inter Caesarem et Pompeium exarsisset, Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, etsi eum cives et reliqui provinciales, qui Pompeii partibus favebant, ducem habere volebant, nullo se negotio implicari passus est. Interim Atius Varus, qui praetor A. V. 702 Africam obtinuerat, Vticam venit; is delatum ad se imperium cupide arripuit. Quae quum geruntur, L. Aelius Tubero ex S. C. in provinciam venit, a Varo iam occupatam (Caes. de B. C. I, 30). Exclusus igitur una cum filio Q. se in Macedoniam ad Pompeium contulit. Ligarius in Africa permansit; Pompeianis autem in Africa devictis, quum Caesar, iratior iis, qui bellum illud pertinacius continuassent, vitam tamen, Adrumeto capto, Ligario concessisset (de bello Afr. c. 89) exsul ibi vixit, nec ausus est in Italiam redire. Attamen pro eius salute fratres et propinqui Caesari supplicare non desistebant. Exeunte autem A. V. 707, Q. Aelius Tubero, Caesaris clementia una cum patre restitutus, Ligarium absentem apud Caesarem accusavit, quod in Africa fuisset. Eum hac oratione in foro habita Cicero defendit.

In exordio fatetur Ligarium belli illius tempore in Africa fuisse, sed si hoc delictum sit, id esse ei cum Tuberone eiusque patre commune. Duo autem tempora carere crimine, unum quum sit legatus in Africam profectus, alterum quum efflagitatus a provincia praepositus sit Africae; tertium autem, quo post ad-

ventum Vari in Africa restiterit, necessitatis crimen esse, non voluntatis; c. 1-3. In quo Cicero suam ipsius et Tuberonis rationem cum Ligarii conditione comparat; quibus quum Caesar multo maiores causas irascendi habuerit, et tamen ignoverit, mirum esse eum a Tuberone accusari, qui multo meliorem causam quam accusator habeat; c. 4. Praeterea quum Ligarius iam in exsilio sit, hanc accusationem eam vim habere videri, non ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Quam crudelitatem graviter reprehendit; ac si hanc Tubero a se alienam dicat, satis durum esse, si postulet ne Ligario ignoscatur; c. 5. Et quod Tubero dixerat se velle de Q. Ligarii scelere dicere, negat Cicero causam eorum, qui cum Pompeio contra Caesarem steterint, scelus appellandum esse; c. 6. Deinde Ligarii causam cum Tuberonis comparat, et hanc illa multo graviorem fuisse ostendit; c. 7-9. Postremo se in hac causa apud Caesarem non ut ad iudicem agere, sed ut ad parentem loqui, ad clementiam eius confugere, et ut Ligario ignoscat orare; c. 10. In quo simul illud confirmat, Caesarem in Q. Ligario conservando, omnibus Sabinis, T. Broccho Ligarii avunculo eiusque filio, inprimis autem duobus Ligarii fratribus, denique multis equitibus Romanis gratissimum esse facturum; c. 11. Postremo rogat, ut in Ligario restituendo eadem bonitate et misericordia utatur, quam nuper in Marcello senatus precibus concedendo ostenderit. Nihil enim nec fortunam eius habere maius, quam ut possit, nec naturam melius, quam ut velit quam plurimos conservare; c. 12.

Hac oratione Caesar victus Q. Ligario ignovit, qui tamen huius beneficii immemor postea cum ceteris in eum coniuravit (Appian. de B. C. lib. II, c. 113.); deinde vero (ibid. IV, 22) proscriptus una cum altero fratre periit.

Ceterum Tuberonis in Ligarium oratio Quintiliani aetate exstitit, qui eam cum Ciceronis oratione utiliter comparari censet X, 1, 23. Eamque ab ipso lectam esse hic locus confirmat, XI, 1, 80, ubi *Tubero*, inquit, *iuvenem se patri haesisse, illum a senatu missum, non ad bellum, sed ad frumentum coëmendum ait, ut primum licuerit, a partibus recessisse, Ligarium et perseverasse, et non pro Cn. Pompeio, inter quem et Caesarem dignitatis fuerit contentio, quum salvam uterque rempublicam vellet, sed pro Iuba atque Afris inimicissimis populo Romano stetisse.*

# I.

Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit,

## ANONYMI VETERIS INTERPRETIS SCHOLIA

Q. Ligarius quum legatus cum Considio fuisset profectus in Africam, hanc ita administravit, ut quum Considius ad consulatus petitionem vellet venire Romam, pro se Ligarium faceret. Coepit Ligarius Africam tenere legati iure discedente Considio. Interea evenere bella civilia inter Pompeium et Caesarem. Fratres Ligarii cum Caesare senserant. Senatus iussit in sortem mitti nomina senatorum, ut imperatores novi mitterentur ad tenendas provincias. Africa evenit Tuberoni. Rumor pervenit ad Africam, iam bella geri Pompeiana. Africa studio ferebatur in Pompeium; quaerebat ducem. Quodam tempore Varus in Africa praetor fuerat. Sic placuerat Afris, ut quum se obtulisset, statim fieret imperator in Africa contra Caesarem. Navigavit Tubero cum Pansa patre. Quum venisset ad Africam pro Pompeio mandavit illis Varus: Decedite; iam ego teneo Africam. Pompeianis commissa est. Interea sicut dixit Livius, oppressus est Tubero et Pansa; fugerunt ad Pompeium, quum quaererentur. Inter has moras supervenit Curio ad Africam. Victus est a Iuba rege Curio. Mandavit Varus ad Pompeium: Scias Curionem occisum esse in Africa, tua est provincia. Gratulatus Pompeius vocavit Tuberonem et Pansam. Quid querimini, inquit, et illi nostri sunt. Pro nobis dimicarunt; non possum vos vindicare. Occisus postea Pompeius. Perseveravit in armis sola Africa. Ibi periclitatus usque ad extremum Caesar. Vnde oderat eos vel maxime, qui in Africam ierant, quia iam non pro Pompeio pugnabant, sed pertinacia. Vnde inexorabilis vel maxime fuerat his, qui in Africa contra Caesarem susceperant. Victus est in Africa postea Iuba rex; occisus est Petreius; occisus Cato, occisus Scipio, occisus Labienus in Africa. Ligarius latuit semper; quaerebat illum ad interitum Caesar eo tempore, quo dedit indulgentiam Marcello vel maxime inimico. Spem coeperunt fratres Ligarii posse habere, collecta multitudine populi. Postquam ignovit Marcello in senatu, coepit quasi populus romanus pro Ligario petere. Stetit Caesar dubius, quum vellet paene ignoscere. Surrexit Tubero, cui iam indulgentiam dederat, et dixit: in Africa fuit. Sciebat enim, quia eos maxime execrabatur, qui in Africa fuerant. Accusat modo Tubero vel Pansa pater eius. Accusant Ligarium, quod in Africa fuit. Adest illi Cicero. Status venialis per casum, per imprudentiam, per necessitatem. Omni igitur parte consistit. Narrationem probamus. Genus causae admirabile, quod iste odit reum; qood odiosa persona est Caesari. In ista oratione per ironiam esse principia intelligamus.

Cap. I. *Novum crimen*) per irrisionem. Lapsa est admirabilitas. Magnum crimen affero, quia in Africa Ligarius fuit; quia oderat locum Caesar. Ideo ergo ille locum obiecit Caesari Africae. — *Propinquus meus*) Dicebatur enim

*Propinquus meus*) Affinis, non cognatus: ut infra patet. Propinquitatem appellat, ne cum inimico homine disputare videatur; et ut eo maior orationi fides accedat; quod Ligarii innocentiam, et causae boni-

Q. Ligarium in Africa fuisse: idque C. Pansa, praestanti vir ingenio, fretus fortasse ea familiaritate, quae est ei tecum, ausus est confiteri. Itaque, quo me vertam, nescio. Paratus enim veneram, quum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses, ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. Sed quoniam diligentia inimici investigatum est id, quod latebat, confitendum est, opinor, praesertim quum meus necessarius, C. Pansa, fecerit, ut id iam integrum non esset; omissaque controversia, omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est, qua plurimi sunt conservati, quum a te non liberationem culpae, sed errati veniam impetravissent. Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum; sed tamen ita confitentem, se in ea parte fuisse, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius

Tubero sororem Ciceronis duxisse uxorem. — *Idque C. Pansa*) irridet patrem etiam. — *Ingenio praestanti fretus*) Fortasse quia ipse Pansa voluerat Africam tenere; C. Pansa non ausus esset hoc dicere, nisi fretus familiaritate. Nam si crimen esset tenere Africam, ipse crimen de se intelligeret. Pansa enim ad Africam obtinendam cum filio venerat. — *Quo me vertam*) Totum irridet. — *Quum meus necessarius*) Consilium habuimus negandi. Fecit Tubero, ut non habeamus integrum consilium, id quod cogitabamus; fecit, ne iam sit integrum. Totum irridet. — *Omissaque controversia*) Ecce venialis oratio. — *Qua plurimi sunt conservati*) Tangit ipsum Tuberonem et patrem ipsius, qui indulgentiam meruerant.

tatem propinquitati Tuberonis antepouat. MAN.

*Ausus est confiteri*) Ironiam in hoc exordio agnoscit Quintilian. IV, 1, 39: *Quid enim agebat aliud ironia illa, quam ut Caesar, minus se in rem, tanquam non novam, intenderet?*

*Per te scires*) *Scire* aliquot MSS. teste Grutero.

*Investigatum est id, quod latebat*) Sic cod. Erf. Pal. 9, Colon. alii et recepit Grut. Vulg. abest *id*.

*Opinor*) Vulgo *ut opinor*. Graevius auctoritate codd. Col. Dresd. omisit *ut*.

*Tubero*) Laudat hanc apostrophen Quintilian. IV, 2, 67.

*Sed tamen ita confitentem*) *Sed tamen hoc confitentem* cod. Erf. et Colon. *sed tamen hunc confitentem* cod. Pith. *sed tamen hic confitentem* cod. Dresd.

de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis.

II. Q. enim Ligarius, quum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est: qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Itaque Q. Ligarius, quum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus: cui sic praefuit in pace, ut et civibus et sociis gratissima esset eius integritas et fides. Bellum subito exarsit; quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. Quo audito, partim cupiditate inconsiderata, partim caeco quodam timore, primo salutis, post etiam studii sui, quaerebant aliquem ducem: quum Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Atius Varus, qui praetor Africam obtinuerat, Vticam venit.

Cap. II. *Quintus enim Ligarius*) Dixit principia. Narratio incipit per imprudentiam. Nam partibus imprudentiae utitur ad venialem. — *Decedens Considius*) ad consulatus petitionem. — *Bellum subito exarsit*) Pompeii et Caesaris. Quare non hoc pacto statim venit et iunxit se fratribus. — *Quod qui*

*Q. enim Ligarius*) Sic plerique codd. MSS. Nonnulli, ut Pal. 9, *Q. igitur Ligarius.*

*Quum esset nulla*) Vulgo *quum esset adhuc nulla.* Sed *adhuc* delevit Graev. auctoritate codd. Erf. Colon. Dresd.

*Cupiditate inconsiderata*) Nimirum studium partium, sive, ut barbari loquuntur, partialitas. Sic *cupidus iudex*, *testis*, ut alibi vidimus. Pro *cupiditate*, in sequentibus verbis statim dicit *studium.* Graev.

*Caeco quodam timore*) Timebant Caesarem, sed, cur timerent, causae nihil videbant. Man.

*Salutis*) Haec sententia est: Primo salutis ducem quaerebant, deinde etiam studii sui. Lamb.

*Negotio passus est*) Laudat h. l. Quintilian. IV, 2, 110.

*P. Attius Varus*) Varus hic cum Sex. Pompeio et Labieno ex Africana pugna, devictis Scipione Pompeii socero, et Iuba Mauritaniae rege, in Hispaniam profugit: ubi renovato simul cum Pompeii liberis bello, Mundensi proelio a Caesare victus interiit. Man.

Ad eum statim concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulum adventu Vari conquievit. Adhuc, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere. Num igitur remansio? multo minus. Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio necessitatem etiam honestam. Ergo haec duo tempora carent crimine: unum, quum est legatus profectus; alterum, quum efflagitatus a provincia, praepositus Africae est. Tertium est tempus, quo post adventum Vari in Africa restitit: quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc ullo modo evadere, Vticae potius, quam Romae; cum P. Atio, quam cum concordissimis fratribus; cum alienis esse, quam cum suis maluisset? Quum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset propter incredibilem quendam fratrum amo-

*erant in Africa*) Ergo iam non poterant. — *Non modo nullum ad bellum*) Pacis enim tempore profectus est. — *Nam profectio voluntatem habuit*) Ve-

*Tale negotium*) *Tale* Patricius delendum putabat.

*Conquievit*) Ideo festinabat decedere provincia, ne dux eligeretur contra Caesarem: ubi timor ille evanuit adventu Vari, non erat, cur adeo festinaret illinc discedere: itaque parumper conquievit. Ferr.

*Suspicionem belli*) *Belli suspicionem* apud Quintilian. IV, 2, 51. Idem tamen alibi IV, 2, 110, *suspicionem belli*.

*Expediret*) Ii cupere bellum solent, qui male gesta provincia iudicium timent. Ferr.

*Necessitatem etiam*) Sic Goërenzius ad Cic. de Fin. p. 280. Vulgo *etiam necessitatem*.

*Necessitatis*) Coactus enim parere P. Varo novo proconsuli. Ferr.

rem, hic aequo animo esse potuit, belli discidio distractus a fratribus?

III. Nullum igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario signum alienae a te voluntatis: cuius ego causam, animadverte, quaeso, qua fide defendam, quum prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, praedicatione, literis, monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse; nec tuas tacitas cogitationes extimescit, nec, quid tibi, de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat. Vide, quam non reformidem; vide, quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero, voce contendam, ut populus hoc romanus exaudiat. Suscepto bello, Caesar, gesto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio ac voluntate ad ea arma profectus sum, quae erant sumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, quum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reipublicae reddidit; qui ad me ex Aegypto literas misit, ut essem idem, qui fuissem; qui, quum ipse imperator in toto imperio populi romani unus esset, esse me alterum passus est; a quo, hoc

nialis per casum et necessitatem. — *Cuius ego causam*) Omne leve peccatum vel magnum paene innocentiae personam sumit comparatione peioris. Puta homicida est; compara illi parricidam et innocens invenitur. Voluntate ipse Cicero arma suscepit et voluntate pugnavit. Et defendendo Ligarium non voluntate pugnasse, quum illum sic defendit, se perdidit. Damnat enim eos, qui voluntate sumpserunt arma. Ergo si hi, qui voluntate sumpserunt arma, absoluti sunt, ille, qui necessitate oppressus est, damnari non debet.

Cap. III. *Suscepto bello*) Ista confessio Ciceronis defensió est Ligarii. — *Qui, quum hoc sciret*) quia voluntate ad arma venissem. — *Vt essem idem, qui fuissem*) Iussit enim illum etiam imperatorio iure tenere Italiam dictatorio

*Voce contendam*) Lambinus malebat *vocem*.

*Esse me alterum passus est*) M. Tullius Ser. Sulpicio et M. Marcello coss. in Ciliciam pro consule profectus, Amano pacato, perpetuoque hoste inde sublato, rem satis prospere gessit, imperatorque salutatus fuit lib.

ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi; qui mihi tum denique se salutem putavit dare, si eam nullis spoliatam ornamentis dedisset. Vide, quaeso, Tubero, ut, qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. Atque haec propterea de me dixi, ut mihi Tubero, quum de se eadem dicerem, ignosceret: cuius ego industriae gloriaeque faveo, vel propter propinquam cognationem, vel quod eius ingenio studiisque delector, vel quod laudem adolescentis propinqui existimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quaero, quis putet esse crimen, fuisse in Africa Ligarium? Nempe is, qui et ipse in eadem Africa esse voluit, et prohibitum se a Ligario queritur, et certe contra ipsum Caesarem est congressus armatus. Quid enim tuus

iure. — *Hunc nuntium*) Inter *nuntia* et *nuntium* multum interest. *Nuntius* est qui nuntiat. *Nuntia* sunt, quae nuntiantur, neutro genere. Sed hic pro neutro masculinum posuit. Nam si de re dicit, quae nuntiata est, non de persona quae nuntiavit, *hunc nuntium*, inquit, *audivi;* non hunc nuntium, sed hoc nuntium dicere debuit quia de re dicit. — *De Ligarii*) sc. facto autem. — *Non audeam*) quia non voluntate suscepit arma. — *Quid enim*

V ad Attic. epist. X, lib. 2 et 3, et lib. 15 famil. Vnde Plutarchus exponens res a Cicerone in Cilicia gestas, *Gessit etiam*, inquit, *bellum*, *latronibus*, *qui Amanum tenebant*, *devictis*: *iustaque victoria Imperator a militibus appellatus est.* Anno sequente, L. Paulo et C. Marcello coss. e provincia in Italiam reversus, ad urbem accessit pridie non. ianuarii, quum iam Lentulo et Marcello coss. bellum civile conflatum esset. *Epist.* 10, lib. XVI *Famil.* Verum quia urbem ingressus non fuit, imperium retinuit, et pro consule mansit. Nam, ut ait Appianus lib. I, Proconsulibus imperii retinendi tamdiu potestas est, quoad Romam reversi fuerint. *Proconsul* autem *portam Romae ingressus*, *deponit imperium*, inquit Vlpianus in l. ult. de officio procons. Fabr.

*Quoad tenendos putavi*) Tenuisse lictores laureatos M. Tullius videtur usque ad mensem octobrem, Caesare dictatore iterum, anno urbis DCCVII, quo demum tempore in urbem venisse, imperiumque deposuisse videtur ex epist. ult. lib. IX ad Attic. et epist. 20, lib. XIV Fam. ita ut cum imperio fuerit annis quatuor. Id.

*De Ligarii non audeam confiteri*) *De Ligarii audeam confiteri* Quintil. V, 10, 93. Et sic MSS. nonnulli.

*Quid enim — in acie*) Sic hic locus

ille, Tubero, destrictus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo: commoveri videtur adolescens: ad me revertar. Iisdem in armis fui. Quid autem aliud egimus, Tubero, nisi, ut, quod hic potest, nos possemus? Quorum igitur impunitas, Caesar, tuae clementiae laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atque in hac causa nonnihil equidem, Tubero, etiam tuam, sed multo magis patris tui prudentiam desidero: quod homo quum ingenio, tum etiam doctrina excellens, genus hoc causae quod esset, non viderit. Nam, si vidisset, quovis profecto, quam isto modo a te agi maluisset.

IV. Arguis fatentem. Non est satis. Accusas eum, qui causam habet, aut, ut ego dico, meliorem quam tu, aut, ut tu vis, parem. Haec admirabilia sunt;

*Tubero, tuus ille*) quemadmodum arguit pudorem illius. — *Commoveri videtur*) Erubuit Tubero. — *Atque in hac causa nonnihil equidem*) quod non intellexit non stare controversiam. — *Nam si vidisset*) id est, si intellexisset genus causae.

Cap. IV. *Arguis fatentem*) Ecce monameres. — *Aut ut tu vis parem*) Ecce a pari. — *Haec non modo mirabilia*) Hoc incredibile est contra naturam, quia

ter apud Quintil. laudatur VIII, 4, 27, it. c. 6, 12, IX, 2, 7. Vulga *quid enim Tubero destrictus ille tuus in acie.*

*Commoveri videtur adolescens*) Tubero scilicet. Atque etiam Caesar ipse, ut est apud Quintilianum, magnopere verbis iisdem illis commotus fuisse fertur. Quum diceret Cicero: *Quid enim, Tubero*, inquit, *tuus ille in acie Pharsalica destrictus gladius agebat*? etc. Et Plutarchus in vita Ciceronis scribit, ad hanc solam Pharsalicae aciei mentionem, tam commotum fuisse Caesarem, ut quam prius dicis tantum causa audire Ciceronem pro eo dicentem voluerit, ipsum Ligarium pro condemnato iam habuerit, hoc loco perturbatum corripuisse se, et schedas, quas tum forte gerebat, abiecisse, et denique contra quam statuerat, reum absolvisse. Patr.

*Quid enim — nos possemus*) Laudat h. l. Quintilian. V, 13, 5.

*Te acuet oratio*) *Earum te ipsorum ad crudelitatem acuet oratio* Quintil. VIII, 5, 10.

*Haec admirabilia sunt*) Sic cod. Colon. Vulga *haec non modo mirabilia sunt*.

sed prodigii simile est, quod dicam. Non habet eam vim ista accusatio, ut Q. Ligarius condemnetur, sed ut necetur. Hoc egit civis romanus ante te nemo. Externi isti sunt mores. Vsque ad sanguinem incitari solet odium aut levium Graecorum, aut immanium Barbarorum. Nam quid aliud agis? ut Romae ne sit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho, avunculo suo, ne cum eius filio, consobrino suo, ne nobiscum vivat? ne sit in patria? Num est? num potest magis carere his omnibus, quam caret? Italia prohibetur, exsulat. Non tu ergo hunc patria privare, qua caret, sed vita, vis. At istud, ne apud eum quidem dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quisquam egit isto modo. Ipse iubebat occidi, nullo postulante; praemiis etiam invitabat. Quae tamen crudelitas ab eodem aliquot annis post, quem nunc crudelem esse vis, vindicata est?

V. Ego vero istud non postulo, inquies. Ita mehercle existimo, Tubero. Novi enim te, novi patrem, novi domum nomenque vestrum; studia denique generis ac familiae vestrae, virtutis, humanitatis, doctrinae plurimarum artium atque optimarum, nota

sanguinem petit. — *Extremi isti mores* etc.) Gallos quosdam et Graecos secum habebat, qui illum ad inimicitias impellebant. Hos tangit. — *Ne apud eum quidem dictatorem*) apud Sullam dicit. Constat enim Caesarem contra Sullam fuisse. Nam paene occisus est. Denique post mortuum Sullam multos accussvit et damnavit Sullanos.

*Vsque ad sanguinem*) Hoc est, leves Graeci, aut immanes barbari, more istiusmodi suo, nobis externo et peregrino, solent incitare odium usque ad sanguinem, fervare odio usque ad caedem. I. F. Gron.

*Vindicata est*) Quum Caesar, ut refert Suetonius c. 11, in exercenda de sicariis quaestione eos quoque sicariorum numero haberet, qui proscriptione ob relata civium romanorum capita, pecunias ex aerario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus.

sunt mihi omnia. Itaque certo scio, vos non petere sanguinem: sed parum attenditis. Res enim eo spectat, ut ea poena, in qua adhuc Q. Ligarius sit, non videamini esse contenti. Quae est igitur alia, praeter mortem? Si enim in exsilio est, sicuti est, quid amplius postulatis? An, ne ignoscatur? Hoc vero multo acerbius, multoque est durius. Quod nos domi petimus, precibus et lacrymis, strati ad pedes, non tam nostrae causae fidentes, quam huius humanitati, id ne impetremus, pugnabis? et in nostrum fletum irrumpes? et nos iacentes ad pedes, supplicum voce prohibebis? Si, quum hoc domi faceremus, quod et fecimus, et, ut spero, non frustra fecimus, tu derepente irrupisses, et clamare coepisses: Caesar, cave ignoscas, cave te fratrum, pro fratris salute obsecrantium, misereatur; nonne omnem humanitatem exuisses? quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id te in foro oppugnare? et in tali miseria multorum perfugium misericordiae tollere? Dicam plane, C. Caesar, quod sentio. Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines (intelligo, quid loquar), acerbissimo luctu redundaret ista victoria. Quam multi enim essent de victoribus, qui te crudelem esse vellent, quum etiam de victis reperiantur? quam multi, qui quum a te nemini ignosci vellent, impedirent clementiam tuam,

Cap. V. *Quod nos domi petimus*) Peius est inquit. Petis ne ignoscat. Nam iam non unius, sed omnium excludis petitionem. — *Et in tali miseria*) Ecce quae dicit in publico. — *Per te inquam obtines*) Qua tum dedit clementiam

*Quod nos domi*) *Domi* delendum censuerunt Fabr. Lamb.

*Strati ad pedes*) Sic Graev. Ern. e codd. Colon. Erf. Dresd. Egmont. Vulgo *prostrati.*

*Id te in foro oppugnare*) Sic auctore Ern. rescripsi pro vulg. *id a te in foro oppugnari*, quod non consentit cum sequente *tollere.*

*Si in hac tanta*) *Quod si* est apud Quintilian. VIII, 4, 85.

quum etiam ii, quibus ipse ignovisti, nolint te in alios esse misericordem? Quod si probare Caesari possemus, in Africa Ligarium omnino non fuisse; si honesto et misericordi mendacio saluti civis calamitosi consultum vellemus; tamen hominis non esset, in tanto discrimine et periculo civis, refellere et coarguere nostrum mendacium; et, si esset alicuius, eius certe non esset, qui in eadem causa et fortuna fuisset. Sed tamen aliud est errare Caesarem nolle, aliud nolle misereri. Tum diceres: cave, Caesar. credas, fuit in Africa Ligarius; tulit arma contra te. Nunc quid dicis? Cave ignoscas. Haec nec hominis, nec ad hominem vox est: qua qui apud te, C. Caesar, utetur, suam citius abiiciet humanitatem, quam extorquebit tuam.

VI. Ac primus aditus et postulatio Tuberonis haec, ut opinor, fuit: velle se de Q. Ligarii scelere dicere. Non dubito, quin admiratus sis, vel quod de nullo alio quisquam, vel quod is, qui in eadem causa fuisset, vel quidnam novi sceleris afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alii errorem appellant; alii timorem; qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissime, temeritatem; scelus, praeter te, adhuc

soli, ipsi ne videatur suasione aliorum ignoscere. — *Quod si probare Caesari possemus*) Si vellemus dicere, quia Ligarius in Africa non fuit. Nam semper honestum est pro salute mendacium.

Cap. VI. *Ac primus aditus et postulatio*) Sic coepit oratio Tuberonis. Volo de scelere Ligarii dicere. De verbo hoc modo contendit. Quare dixisti partem Pompeianam, in qua etiam tu fuisti. Caesar dicit errorem fuisse reipublicae,

*Saluti civis calamitosi consultum vellemus*) Alteram librorum veterum lectionem *saluti calamitoso civi esse vellemus* praetulerunt Lambinus et Graev.

*Haec nec hominis, nec ad hominem vox est*) Cod. Pal. 2, 3, *haec ne hominis ad hominem vox est?* quae lectio vulgatae non praeferenda.

*Novi sceleris*) Sic. codd. Erf. Col. Pith. Dresd. Egm. quod recepit Graev. pro vulg. *facinoris*.

nemo. Ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quaeratur, fatalis quaedam calamitas incidisse videtur, et improvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat, humana consilia divina necessitate esse superata. Liceat esse miseros, quamquam hoc victore esse non possumus. Sed non loquor de nobis; de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces; sceleris vero crimine, furoris, parricidii, liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc quisquam ex te, Caesar, audivit, aut tua quid aliud arma voluerunt, nisi a te contumeliam propulsare? Quid egit tuus ille invictus exercitus, nisi ut suum ius tueretur, et dignitatem tuam? Quid? tu, quum pacem esse cupiebas, idne agebas, ut tibi cum sceleratis, an ut cum bonis civibus conveniret? Mihi vero, Caesar, tua in me maxima merita tanta certe non viderentur, si me ut sceleratum a te conservatum putarem. Quomodo autem tu de republica bene meritus esses, si

tu scelus. — *Ac mihi quidem si proprium*) Per necessitatem venialem tangit. — *Quando hoc ex te quisquam*) Hoc scelus partem Pompeii fuisse contendit. — *Contumeliam propulsare*) quia tibi negabatur triumphus. *Non par fortasse eorum*) quia senatus cum Pompeio fuit.

*Liceat Cn. Pompeio*) Non dubitat Pompeium, praesente Caesare, nominare, quum ipse Caesar nunquam eum nisi honorificentissime appellaret. De quo ad Caecinam: *Admirari soleo gravitatem, et iustitiam, et sapientiam Caesaris: nunquam nisi honorificentissime Pompeium appellat. At in eius persona multa fecit asperius: armorum ista, et victoriae sunt facta, non Caesaris.* MAN.

*Nisi a te contumeliam propulsare*) Quod eripi tibi diceres inimicorum iniuria beneficium a populo romano datum; id est, quod tibi non liceret absenti alterum consulatum petere, quemadmodum iusserat. Caesar ipse, lib. I bell. civ. *Doluisse se, ait, quod populi romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur.* ID.

*Vt suum ius tueretur*) Ius populi romani. Multi enim ex iis, qui cum Caesare militabant, suffragium tulerant in illa lege, quae absenti Caesari consulatus petendi potestatem dabat. ID.

tot sceleratos incolumi dignitate esse voluisses? Secessionem tu illam existimavisti, Caesar, initio, non bellum; non hostile odium, sed civile dissidium; utrisque cupientibus rempublicam salvam, sed partim consiliis, partim studiis a communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat paene par; non par fortasse eorum, qui sequebantur; causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari posset; nunc melior certe ea iudicanda est, quam etiam dii adiuverunt. Cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, nisi armatus?

VII. Sed, ut omittam communem causam, veniamus ad nostram. Vtrum tandem existimas facilius fuisse, Tubero, Ligario ex Africa exire, an vobis in Africam non venire? Poteramusne, inquis, quum senatus censuisset? Si me consulis, nullo modo. Sed tamen Ligarium senatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, quum parere senatui necesse erat; vos tum paruistis, quum paruit nemo qui noluit. Reprehendo igitur? minime vero. Neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiae, disciplinae. Sed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis,

Cap. VII. *Sed ut omittam communem causam*) Coepit de civili bello tractare, et omisit causam. Modo redit ad negotium et causae contentionem. Dicit enim, quod facilius potuit Tubero non ire ad Africam, quum Ligarius reverteretur ex Africa. Facilius erat ut tu non ires, nam liberum erat arbitrium, quam illum exire. Sed obiecit Tubero dicens: senatus me misit; non potui nisi obsequi senatui. Sed et Cicero dicit: Ligarium senatus miserat; et mise-

*Civile dissidium*) Olim nonnulli *discidium*.

*Principum dignitas*) Citat Quintilian. IX, 3, 36.

*Non par fortasse eorum, qui sequebantur*) Hic certe Pompeianos Caesarianis dignitate praefert. Consularis enim cum Caesare, ut arbitror, nemo fuit; cum Pompeio multi praeter ipsos consules, et magistratus. Man.

*Etiam dii adiuverunt*) Laudat h. l. Quintilian. V, 11. 42; it. c. 14, 1.

*Qui noluit*) *Nollet* malebat Ern. latinitatem sinceram id postulare opinatus.

easdem in aliis reprehendatis. Tuberonis sors coniecta est ex senatusconsulto, quum ipse non adesset, morbo etiam impediretur; statuerat excusare. Haec ego novi propter omnes necessitudines, quae mihi sunt cum L. Tuberone. Domi una eruditi, militiae contubernales, post affines, in omni denique vita familiares. Magnum etiam vinculum, quod iisdem studiis semper usi sumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluisse; sed ita quidam agebat, ita reipublicae sanctissimum nomen opponebat, ut, etiamsi aliter sentiret, verborum tamen ipsorum pondus sustinere non posset. Cessit auctoritati amplissimi viri vel potius paruit. Vna est profectus cum iis, quorum erat una causa; tardius iter fecit. Itaque in Africam venit iam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius. Nam, si crimen est, illum voluisse, non minus magnum est, vos Africam, omnium provinciarum arcem,

ral in pace; tu in bello isti. — *Post affines*) quia sororem Ciceronis habuit. — *Verborum pondus*) Pondus verborum est, quia dicebatur illi: solus tu pro Pompeio non sentis. — *Vna est profectus*) quia ad diversas provincias miserant oblinendas. — *Vos Africam — arcem*) Verba ipsius repetit. Tubero enim hoc obiiciebet Ligario. Africam tenuit provinciam natam semper contra imperium populi romani. Vnde modo Cicero verba ipsius refert. Nam si crimen est aliquem voluisse Africam tenere, quod dico eliquem, non fuit

*Tuberonis sors coniecta est*) In urnam, quum provinciarum sortitio fieret. De qua consule Caesaris commentarium primum de bello civili, ubi post hanc sortitionem expositam hoc quoque leges: *Africam sorte Tubero obtinere debebat.* Fabr.

*Statuerat excusare*) Sic codd. Erf. Pith. Egm. Dresd. Franc. Vulgo olim *statuerat se excusare.* At in *statuerat excusare* intelligendum est *morbum.*

*Agebat — opponebat*) Olim edebatur *agebant — opponebant.* Sed singulari opus est. Nonnulli MSS. *aiebant,* Inde Graev. etc. dederunt *aiebat.*

*Amplissimi viri*) Pompeii scil.; Gruterus putabat Catonis.

*Cum iis*) Eodem tempore quo reliqui Praetores ad obtinendas reliquas imperii romani provincias iussu Pompeii et senatus exibant paludati, votis prius in Capitolio nuncupatis, ipse etiam Tubero Roma profectus est. Abr.

*Occupatam*) a P. Varo.

*Si crimen est*) Si crimini, inquit, detis Ligerio, quod vos Africa prohibere voluerit, nihilominus eodem vos atque etiam iam pari condemnabo crimine, quod vos eam obtinere vo-

natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere, quam aliquem, maluisse. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus imperium se habere dicebat, fasces certe habebat.

VIII. Sed quoquo modo sese illud habet, haec querela vestra, Tubero, quid valet? Recepti in provinciam non sumus. Quid si essetis? Caesarine eam tradituri fuissetis, an contra Caesarem retenturi? Vide, quid licentiae, Caesar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciae. Si responderit Tubero, Africam, quo senatus eum sorsque miserat, tibi patrem suum traditurum fuisse: non dubitabo apud ipsum te, cuius id eum facere interfuit, gravissimis verbis eius consilium reprehendere. Non enim si tibi ea res grata fuisset, esset etiam probata. Sed iam hoc totum omitto; non tam, ut ne offendam tuas patientissimas aures, quam ne Tubero, quod nunquam cogitavit, facturus fuisse videatur. Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriae maxime infestam; in qua erat rex potentissimus, inimicus huic causae, aliena voluntas, conventus

Ligarius sed Varus. — *Vide quid licentiae sit nobis*) Hoc vult dicere: si volebas prodere Pompeium, merito pulsus es. — *Non enim si tibi ea res grata fuisset*) Prodidisti amicum tuum, inimicum meum mihi; quamquam res est grata, tamen tibi non probata. — *Vnam*) Ex omnibus iterum verbis illius repetit quemadmodum obierit Ligarius. — *Rex potentissimus*) Iuba rex Mau-

luistis. Ergo, *non minus magnum est*, crimen, subaudio. Atque hic iam fesire adversarium incipit, quum hactenus parcere ei videretur. Patr.

*Quoquo modo*) Sive imperium Ligarius, sive Varus habuerit. Man.

*Non tam, ut ne offendam*) Cod. Erf. Dresd. *non tam propter id ne offendam*. Cod. Colon. *non tam propter id non ultra offendam*.

*Rex*) Iuba. Man.

*Inimicus huic causae*) Cn. Pompeii beneficio, qui patrem eius Hiempsalem, Mauritaniae regem constituerat. Id.

*Aliena voluntas*) Abram. coni. *aliena sociorum voluntas*.

*Aliena voluntas*) Cuius? Africae videlicet ipsius. Hoc autem est, omnium qui Africam scilicet incolebant. Sed auget rem, quum absolute et praecise loquitur, non homines ibi

firmi atque magni. Quaero, quid facturi fuistis? Quamquam quid facturi fueritis, dubitem, quum videam, quid feceritis? Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, et prohibiti, ut perhibetis, summa cum iniuria. Quomodo id tulistis? Acceptae iniuriae querelam ad quem detulistis? Nempe ad eum, cuius auctoritatem sequuti, in societatem belli veneratis. Quod si Caesaris causa in provinciam veniebatis, ad eum profecto exclusi provincia venissetis. Venistis ad Pompeium. Quae est ergo haec apud Caesarem querela, quum eum accusatis, a quo queramini vos prohibitos contra Caesarem bellum gerere? Atque in hoc quidem vel cum mendacio, si vultis, gloriemini per me licet, vos provinciam fuisse Caesari tradituros, si a Varo et a quibusdam aliis prohi-

rorum. — *Quum videam quid feceritis*) quia ad Pompeium profecti sunt expulsi e provincia quam dederat senatus.

fuisse aliena voluntate, non terram ipsam alienae voluntatis, sed ipsam alienam voluntatem. Quamquam ego quidem propemodum legerem sic: *Aliena voluntate conventus firmi.* Vt significet, non tam in privatis hominibus indicia extitisse alienae voluntatis a Caesare, quam in conventibus ipsis hominum. At in qualibus conventibus? num in solitariis aut in imbecillis? respondet, conventus illos fuisse et *firmos*, ne quis putet animis et voluptatibus fluctuabundos, et *magnos*, ut significet fuisse frequentissimos. PATR.

*Quid facturi fuistis*) Sic Graev. Ern. auctoritate cod. Erf. et Colon. Vulgo *fuissetis*.

*Dubitem*) Edd. pr. et Graev. *non dubitem*, scil. sine interrogandi signo. Alii *non dubito*.

*Quum videam, quid feceritis*) Video enim vos, Africa prohibitos in Graeciam ad Pompeium ivisse. PATR.

*Vt perhibetis*) Haec in edd. aliquot absunt, et Lambinus delevit.

*Cuius auctoritatem sequuti*) Neque hoc artificio vacat. Latenter enim id significat: Auctoritas amplissimi viri, non causa, vos ad belli societatem adduxit. PATR.

*Quae est ergo haec apud Caesarem querela*) Queri vobis apud Caesarem de Ligario non licet, quia vos Africa prohibuerit. Id est, quia fecerit, ne bellum in Africa contra Caesarem gerere possetis. ID.

*Gloriemini*) Sic Lambin. Graev. Vulgo *gloriari*.

*Si a Varo — prohibiti non essetis*) Sic vetus liber Vrsini (ita etiam malebat Farratius. *T.*). Vulgo *etiam si a Varo et quibusdam aliis prohibiti essetis*.

biti non essetis. Ego autem confitebor, culpam esse Ligarii, qui vos tantae laudis occasione privaverit.

IX. Sed vide, quaeso, C. Caesar, constantiam ornatissimi viri, L. Tuberonis: quam ego, quamvis ipse probarem, ut probo, tamen non commemorarem, nisi a te cognovissem in primis eam virtutem solère laudari. Quae fuit igitur unquam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio an melius patientiam possim dicere. Quotus enim istud quisque fecisset, ut, a quibus in dissensione civili non esset receptus, essetque etiam cum crudelitate reiectus, ad eos ipsos rediret? Magni cuiusdam animi, atque eius viri esset, quem de suscepta causa, propositaque sententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum posset depellere. Vt enim cetera paria Tuberoni cum Varo fuissent; honos, nobilitas, splendor, ingenium, quae nequaquam fuerunt: hoc certe praecipuum Tuberonis fuit, quod iusto cum imperio ex senatusconsulto in provinciam suam venerat. Hinc prohibitus, non ad Caesarem, ne iratus, non domum, ne iners, non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam sequutus esset, videretur; in Macedoniam ad Cn. Pompeii castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat reiectus cum iniuria. Quid? quum ista res nihil commovisset eius animum, ad quem veneratis, languidiore, credo, studio in causa

*Probarem*) Graev. et alii nonnulli minus bene *probarim*.

*Possim dicere*) Sic MS. Colon. et edd. antiquiores nonnullae; quod Ern. revocavit. Aliae *possem*.

*A quibus in dissensione*) Olim edebatur *a quibus partibus*. Sed *partibus* auctoritate codd. Pall. meliorum delevit Gruterus. Hactenus recte, sed intactum reliquit *eas ipsas*. Id correxit Ern. reposuitque *eos ipsos* scil. Pompeianos.

*Cum crudelitate*) Ex Pomponio D. de origine iuris: *Infirmum Tuberonem applicare non permisit, nec aquam haurire.* Ex Caesare, *Tuberonem portu atque oppido prohibet, neque affectum valetudine filium exponere patitur.* Abr.

*Reiectus*) Cod. Colon. *eiectus*.

fuistis; tantummodo in praesidiis eratis; animi vero a causa abhorrebant. An, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur? Pacis equidem semper auctor fui: sed tum sero. Erat enim amentis, quum aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus; tu certe praecipue, qui in eum locum venisses, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses. Quamquam, ut nunc se res habet, non dubito, quin hanc salutem anteponas illi victoriae. Haec ego non dicerem, Tubero, si aut vos constantiae vestrae, aut Caesarem beneficii sui poeniteret. Nunc quaero, utrum vestras iniurias, an reipublicae persequamini. Si reipublicae, quid de vestra in ea causa perseverantia respondebitis? Si vestras, videte, ne erretis, qui Caesarem vestris inimicis iratum fore putetis, quum ignoverit suis.

X. Itaque num tibi videor, Caesar, in causa Ligarii occupatus esse? num de eius facto dicere? Quidquid dixi, ad unam summam referri volo vel humanitatis, vel clementiae, vel misericordiae tuae. Causas, Caesar, egi multas, et quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe nunquam hoc modo,

*Tantummodo*) Tantummodo videlicet in castris Pompeii corpore versabamini: causam autem eius animis vestris non probabatis. Patr.

*Studio tenebamur*) *Tenebantur* codd. Pith. Colon. Dresd.

*Sed tam*) *Sed tamen* codd. Dresd. Colon.

*Omnes, inquam*) *Omnes* repetite scripsit Schützius, auctore Goërenz. ad Cic. Acad. II, 24. Vulgatam sequor. Typ.

*In eum locum*) In ipsa Pompeii castra. Nam Cicero, quum in Pharsalia dimicatum est, abfuit, Dyrrhachii cum M. Varrone, et M. Catone commoratus, ut narrat de divin. lib. 1. Man.

*Si reipublicae*) Eius, quae nunc est, et Caesaris consilio, ac sapientia gubernatur. Id.

*In ea causa*) Patricius coni. *in eadem causa*, vel *in ea ipsa causa*.

*Et quidem tecum*) Goërenzius ad Cic. de Fin. II, 9, e duobus MSS. legendum censet *equidem tecum*; quod Schützius recepit. Typ.

*Et quidem tecum*) Caesar etiam inter oratores in foro versatus est. Fabius libro X. *C. vero Caesar si*

*Ignoscite, iudices; erravit; lapsus est; non putavit; si unquam posthac* ... Ad parentem sic agi solet; ad iudices: *Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen.* Dic, te, Caesar, de facto Ligarii iudicem esse: quibus in praesidiis fuerit, quaere. Taceo. Ne haec quidem colligo, quae fortasse valerent etiam apud iudicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppressus, in eo non acerbus, tum etiam totus animo et studio tuus. Ad iudicem sic agi solet; sed ego ad parentem loquor: Erravi; temere feci; poenitet; ad clementiam tuam confugio; delicti veniam peto; ut ignoscas, oro. Si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tu idem fer opem, qui spem dedisti. An sperandi Ligario causa non sit, quum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi? Quamquam neque in hac oratione spes est posita causae, nec in eorum studiis, qui a te pro Ligario petunt, tui necessarii. Vidi enim et cognovi, quid maxime spectares, quum pro alicuius salute multi laborarent; causas apud te rogantium gratiosiores esse, quam preces; neque spectare te, quam tuus esset necessarius is, qui te oraret, sed quam illius, pro quo laboraret.

*tantum foro vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat.* Sed Atticum Ciceronianum libro de claris oratoribus loquentem audiamus: *Splendidum quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo.* Vide Tranquillum in Iulio, cap. 55, 56; Plutarchum in Caesare. Abr.

*Si umquam posthac...*) Vtitur h. l. Quintilian. VII, 4, 17.

*Et studio tuus*) Ern. putabat hic excidisse *fuit.*

*Locus sit*) Ita Quintilian. V, 10. Vulgo *sit locus.*

*Gratiosiores*) Sic Lamb. et Graev. ex aliquot MSS. Vulgo *gratiores.* Mich. Brutus, Ernest. et Schütz. *graviores*; male, iudice Amar. Typ.

*Quam preces*) Ita cod. Erf. et al. edd. pr. Victorius ex aliquot MSS. dedit *vultus* quod Graev. Ern. alii servarunt. At postea diserte dicit Cicero: *apud te causas*, ut dixi, *rogantium valere plus quam preces.* Neque vero satis aptum est *vultus.* Itaque aut *preces* verum est, aut pro *vultus* certe scribendum *voluntates.*

Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores illi esse videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam tu ipse, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen, apud te causas, ut dixi, rogantium valere plus, quam preces; ab iisque te moveri maxime, quorum iustissimum dolorem videas in petendo.

XI. In Q. Ligario conservando multis tu quidem gratum facies necessariis tuis: sed hoc, quaeso, considera, quod soles. Possum fortissimos viros, Sabinos, tibi probatissimos, totúmque agrum Sabinum, florem Italiae ac robur reipublicae proponere. Nosti optime homines. Animadverte horum omnium moestitiam et dolorem: huius T. Brocchi, de quo non dubito, quid existimes, lacrymas squaloremque ipsius et filii vides. Quid de fratribus dicam? Noli, Caesar, putare, de unius capite nos agere. Aut tres tibi Ligarii retinendi in civitate sunt, aut tres ex civitate exterminandi. Quodvis exsilium his est optatius, quam patria, quam domus, quam dii penates, uno illo exsulante. Si fraterne, si pie, si cum dolore faciunt, moveant te horum lacrymae; moveat pietas, moveat germanitas; valeat tua vox illa, quae vicit. Te enim dicere audiebamus, nos, omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent; te, omnes, qui contra te non essent, tuos. Videsne igitur hunc splendorem, omnem hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Caesetium, L. Corfidium, hosce omnes equites romanos, qui adsunt veste mutata, non solum notos tibi, verum etiam probatos viros, tecum fuisse? Atque his irascebamur,

*L. Corfidium*) Nomen *L. Corfidii* tolli ex hac oratione voluit Cicero, monitus ab Attico (ad *Att. XIII*, 44) quod ille tum iam mortuus esset, quum illa oratio dicta esset. In editionibus ante Gruterum est *L. Cornificium.*

*Tecum fuisse*) Ex antecedentibus et sequentibus intelligitur, *qui tecum fuerunt*, hic dici non de iis, qui cum

hos requirebamus, his nonnulli etiam minabantur. Conserva igitur tuis suos, ut, quemadmodum cetera, quae dicta sunt a te, sic hoc verissimum reperiatur.

XII. Quod si penitus perspicere posses concordiam Ligariorum, omnes fratres tecum iudicares fuisse. An potest quisquam dubitare, quin, si Q. Ligarius in Italia esse potuisset, in eadem sententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis est, qui horum consensum conspirantem et paene conflatum, in hac prope aequalitate fraterna, non noverit? qui hoc non sentiat, quidvis prius futurum fuisse quam ut hi fratres diversas sententias fortunasque sequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt; tempestate abreptus est unus; qui si consilio id fecisset, esset eorum similis, quos tu tamen salvos esse voluisti. Sed ierit ad bellum; discesserit non a te solum, verum etiam a fratribus. Hi te orant tui. Equidem, quum tuis omnibus negotiis interessem, memoria teneo, qualis T. Ligarius quaestor urbanus fuerit erga te et dignitatem tuam. Sed parum est, me hoc meminisse; spero etiam te, qui oblivisci nihil soles, nisi iniurias, quoniam hoc est animi, quoniam etiam ingenii tui, te, aliquid de huius illo quaestorio officio cogitantem, etiam de aliis qui-

sequuti sunt ad bellum, sed de Q. Ligarii fratribus, deque eius avunculo T. Broccho, et aliis supra nominatis, qui, suscepto civili bello, domi remanere, quam alterutram partem sequi, maluerunt. Nam eos aeque suos Caesar appellabat, atque illos, qui cum eo in bello fuerant. Dixit enim supra: *Te enim dicere audiebamus, nos omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent: te omnes, qui contra te non essent, tuos.* Eos autem significari, qui domi remanserant, sequentibus quoque verbis ita constat, ut dubitare prorsus nemo possit. Man.

*Atque his irascebamur*) Sic Graev. e MSS. it. Ern. Vulgo *his maxime.*

*Minabantur*) Ern. dedit *minabamur.*

*Discesserit*) Sic Grut. e MSS. Alii olim *dissenserit.*

*Et dignitatem tuam*) Soluto tibi stipendio, quod tibi decretum erat Lentulo et Philippo coss. Vid. ad Fam. VII, 1. Ern.

*Qui oblivisci nihil soles, nisi iniurias*) *Qui nihil soles oblivisci nisi iniurias* Quintilian. IV, 3, 109.

busdam quaestoribus reminiscentem recordari. Hic igitur T. Ligarius qui tum nihil egit aliud (neque enim haec divinabat), nisi ut tu eum studiosum tui, et bonum virum iudicares, nunc a te supplex fratris salutem petit. Quam, huius admonitus officio, quum utrisque his dederis, tres fratres optimos et integerrimos, non solum sibi ipsis, neque his tot ac talibus viris, neque nobis necessariis suis, sed etiam reipublicae condonaveris. Fac igitur, quod de homine nobilissimo et clarissimo M. Marcello fecisti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis et huic omni frequentiae probatissimis fratribus. Vt concessisti illum senatui, sic da hunc populo, cuius voluntatem carissimam semper habuisti. Et, si ille dies tibi gloriosissimus, populo romano gratissimus fuit, noli, obsecro, dubitare, C. Caesar, similem illi gloriae laudem quam saepissime quaerere. Nihil est enim tam populare, quam bonitas; nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius, quam ut possis; nec natura tua melius, quam ut velis servare quam plurimos. Longiorem orationem causa forsitan postulat, tua certe natura breviorem. Quare quum utilius esse arbitrer, te ipsum, quam aut me, aut quemquam, loqui tecum, finem iam faciam: tantum te ipsum admonebo, si illi absenti salutem dederis, praesentibus his omnibus te daturum.

*Studiosum tui*) *Tui* additum a Graev. Ern. e MS. Colon.

*Vtrisque his dederis*) Duobus fratribus, qui adsunt, et pro tertio deprecantur. FABR.

*Non solum sibi ipsis*) *Ipsis* pro vulg. *ipsos* dedi auctore Ernestio. Opponitur enim *reipublicae*.

*Vt velis servare*). Sic Graev. e MSS. Erf. Colon. item Quintil. IX, 4, 107. Sequutus est Ern. Vulgo *conservare*.

*Admonebo*) Heumannus maluit *admoneo*.

EVENTVS.

Plutarchus in vita Ciceronis : « Quum Q. Ligarius reus factus esset, quod in numero hostium Caesaris fuisset, eiusque patrocinium Cicero suscepisset, tum Caesarem dixisse ferunt : quid est caussae, cur Ciceronem orantem aliquandiu non audiamus? Nam reum quidem hominem improbum et hostem esse, iampridem certum est. Vbi vero Cicero ingressus dicere, mirificos motus concitavit, et oratio progressa quum affectibus varia, tum venustate admirabilis fuit, perspicue cognitum aiunt, varios colores Caesaris vultum subire, eiusque animum omnibus modis commutari : ac tandem, quum Pharsalici proelii mentionem facere orator coepisset, immodicis perturbationibus incitatum, corpore contremuisse, et libellos quosdam e manu eiecisse. Victos igitur orationis vi, Ligarium crimine liberavit. » Haetenus Plutarchus. Vnde perspicitur, quantus ardor Ciceronis in agendo fuerit, qui Caesaris animum Ligario infensissimum ita commoverit, ut absolveret eum, quem iampridem hominem improbum et hostem iudicaverat. Tuberoni vero Ligarii accusatori hac oratione forensis gloriae spes omnis ita praecisa fuit, ut in hac caussa victus, quum eloquentiae laudem desperasset, e foro se ad ius civile transtulerit. Qua de re Pomponius, de origine iuris. Fabr.

In eum tamen ingratus fuit a quo salutem acceperat. De quo Plutarchus in Bruto : *Erat quidam Q. Ligarius Pompeii amicus, quem eo nomine accusatum exemarat Caesar noxae. Hic non quod ab iudicio liberatus fuisset, gratiam Caesari tribuens, sed propter quam vocatus in periculum fuerat, dominationem prorsus ei infensus erat, Bruto autem in primis familiaris. Hunc Brutus invisens aegrotum, quum socios coniurationis in Caesarem quaereret:* Quali, *inquit*, tempore, Ligari, aegrotas? *Ille statim cubito innixus, arrepta dextera eius :* At ego, *inquit*, si quid te, Brute, dignum cogitas, valeo. Abr.

## IN ORATIONEM PRO LIGARIO

# SCHOLIA ANTIQVA INEDITA

### QVAE VIDENTVR EXCERPTA E COMMENTARIIS DEPERDITIS ASCONII PEDIANI

Cap. IV. *At istud ne apud eum quidem dictatorem*) Syllam significat, qui tantae crudelitatis fuit, ut in Marianae partis viros, accusatores commoveret, ad delationem primus invitaret, qui perpetuus dictator non alio modo, quam hodie Caesar est, fuit. (1)

Cap. VII. *Tuberonis sors*) Quum enim ageretur ab senatu quis esset mittendus in Africam ad tutandas Pompeii partes, placuit rem sortito gerere. Ergo plurima in urnam coniecta sunt nomina, quae inter Tuberonis etiam fuit, cuique proficisci in Africam sorte venit.

Cap. VIII. *In qua erat rex potentissimus*) Iubam significat Mauritaniae regem, qui Pompeii amicissimus, Caesari vero invisus fuit.

Cap. XII. *Similem illi gloriae laudem quam saepissime quaerere*) Acceptam scilicet populo et amabilem rem, plausibilem omnibus diligentibus plebem.

(1) Oratio pro Ligario habita est post bellum Caesaris Africanum, quo tempore Caesar iam tertiam dictaturam gerebat. Maivs. Mirum vero est auctorem huius scholii his verbis uti « *qui perpetuus dictator non alio modo, quam hodie Caesar est, fuit* » unde colligi posset illud scholion vivente etiamnum Caesare scriptum fuisse. Sed nimirum auctor scholii Ciceronis nomine loquitur, cuius verba explicat. Sch.



# ORATIO

PRO

# REGE DEIOTARO

# ORATIO

PRO

# REGE DEIOTARO

## SVMMARIVM

Deiotarus nobilis Galatiae seu Gallograeciae tetrarches, in bellis, quae Romani in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria gerebant, fidelissimus imperatorum Romanorum socius fuit, eosque opibus et copiis adiuvit. Itaque de eo Sulla, Murena, Servilius, Lucullus, saepe honorifice in Senatu praedicaverunt, Pompeius autem eum populi Romani amicum et socium fidelissimum ac benivolentissimum indicavit. Quapropter a Pompeio regno Armeniae minoris donatus et a Senatu Rex est appellatus. Exorto inter Caesarem et Pompeium bello civili Pompeio auxilia misit (*Caes. de B. C. III*, 4), ipse etiam proelio Pharsalico interfuit. Devicto Pompeio se in regnum suum recepit. Interea Pharnaces Mithridatis filius, qui partem tantum regni paterni, Bosporum Cimmerium a Pompeio acceperat, cupiens recuperare ceteras illius regni partes, Deiotarum absentem, item Ariobarzanem aggressus est, ut illi Armeniam minorem, huic Cappadociam eriperet. Itaque Deiotarus (*de bello Alexandr.* c. 33), dum Caesar in Aegypto res gerebat, ad Domitium Calvinum, cui Caesar Asiam finitimasque provincias administrandas tradiderat, venit oratum, ne Armeniam minorem regnum suum, neve Cappadociam regnum Ariobarzanis possideri vastarique pateretur a Pharnace; quo malo nisi liberaretur, imperata se facere, pecuniamque promissam Caesari non posse persolvere. Itaque Domitius nuntios confestim ad Pharnacem misit, Armenia Cappadociaque decederet; legati responsum referunt a Pharnace, Cappadocia se decessisse; Armeniam minorem recepisse, quam paterno nomine iure obtinere deberet. Postquam aliquan-

tum tempus de pace actum est, Domitius adhibitis etiam Deiotari legionibus cum Pharnace conflixit, sed parum feliciter rem gessit, et Pontica legione paene tota amissa, magna parte Deiotari militum interfecta, reliquiis exercitus dissipati collectis, per Cappadociam se in Asiam recepit. Caesar post bellum Alexandrinum in Syriam ex Aegypto venit. Inde quum propius Pontum finesque Gallograeciae accessisset, rex Deiotarus *(de bello Alexandr. c. 67)*, depositis regiis insignibus, neque tantum privato vestitu, sed etiam reorum habitu, supplex ad Caesarem venit oratum, ut sibi ignosceret, quod in ea parte positus terrarum, quae nulla praesidia Caesaris habuisset, excitus imperiis in Pompeii castris fuisset; neque enim se iudicem debuisse esse controversiarum populi Romani, sed parere praesentibus imperiis. Contra quem Caesar quum plurima sua commemorasset officia, quae consul ei decretis publicis tribuisset; quumque defensionem eius nullam posse excusationem eius imprudentiae recipere coarguisset, quod homo tantae prudentiae ac diligentiae scire potuisset, quis urbem Italiamque teneret, ubi senatus populusque Romanus, ubi respublica esset, quis deinde post L. Lentulum C. Marcellum consul esset: tamen se concedere id factum superioribus beneficiis, veteri hospitio atque amicitiae, dignitati aetatique hominis, precibus eorum qui frequentes concurrissent hospites atque amici, ad deprecandum; de controversiis tetrarcharum postea se cogniturum esse dixit; regium vestitum ei restituit. Legionem autem eam, quam ex genere civium suorum Deiotarus armatura disciplinaque Romana constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere iussit. Postea vero bello Pontico confecto, Caesar Armeniam maiorem, et partem Gallograeciae a Deiotaro occupatam ei ademit, et hanc quidem Mithridati Pergameno, quem regem Bospori constituerat, attribuit. Reliquam Gallograeciae partem, quam Deiotarus iure paterno possederat, nomenque regium ei concessit.

A. V. C. 708, postquam Caesar ex Hispania Romam redierat, Castor Deiotari ex filia quae Saocondario nupserat, nepos, Deiotarum apud Caesarem accusavit, eum, quum Caesarem hospitio accepisset, ei insidias fecisse, eumque domi suae interficere voluisse. Huic accusationi ut socius accederet Castor Phidippum avi Deiotari servum medicum praemiis corruptum impulit. Legati Deiotari causam ad Ciceronem detulerunt; qui re-

gem antiquum hospitem et amicum intra parietes domesticos coram Caesare hac oratione defendit.

In exordio Cicero ait se in hac causa compluribus de causis initio dicendi vehementer conturbari. Primum quod sibi pro capite fortunisque regis, et eius quidem regis dicendum ait, quem antea solitus sit cuncto cum senatu ornare. Deinde accusatorum alterius (Castoris) crudelitate, alterius (Phidippi) indignitate commoveri. Tum hoc etiam se interdum perturbare, quod de facinore contra vitam Caesaris apud eum ipsum iudicem dicendum sit, in quo tamen Caesaris humanitate se levari metumque minui ostendit. Denique se loci ipsius insolentia moveri, quod non in foro sed intra domesticos parietes dicturus sit; c. 1, 2.

Iam antequam de accusatione ipsa dicat, pauca se de spe accusatorum dicturum denuntiat. Nimirum eos quum Deiotaro Caesarem olim iratum fuisse, illumque ab eo quibusdam incommodis ac detrimentis affectum esse meminissent, fore sperasse ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Itaque Cicero Caesarem orat et obsecrat, ut eos, qui Deiotaro bene cupiant, metu liberet, ne residere in se ullam partem iracundiae suspicentur. Simul Deiotarum, quod a Pompeii partibus steterit, excusat, eumque post proelium Pharsalicum omnibus Caesaris utilitatibus paruisse ostendit; c. 3-5.

Quod igitur Deiotarus domi suae Caesarem interficere voluisse arguatur, Cicero ostendit, tam atrox facinus nullo modo in Deiotari prudentiam, et probitatem cadere, totumque crimen ab accusatoribus non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem confingi; c. 6, 7. Deinde Cicero refutat id quod accusatores dixerant, Deiotarum exercitum contra Caesarem comparasse, c. 8, et alieno ab eo animo semper in speculis fuisse c. 9, in quo simul graviter in Castoris inhumanitatem atque immanitatem in hac avi accusatione proditam invehitur; c. 10, 11. Postremo hoc maledictum diluit, quod accusator obiecerat, Blesamium ad Deiotarum scribere solitum, Caesarem in invidia esse, tyrannum existimari, statua eius inter reges posita animos hominum vehementer offensos esse, plaudi ei non solere; ostenditque ea omnia ex urbanis malivolorum sermunculis esse collecta; c. 12.

In peroratione id agit, ut plane Deiotarum Caesari reconciliet, virtutes regis collaudando, negandoque eum Caesari suc-

censere, denique huius clementiam et mansuetudinem implorando; c. 13-15.

Habita est oratio mense circiter Octobri vel Novembri A. V. C. 708, eamque Cicero conscriptam mense Decembri misit ad Dolabellam (*Epp. ad Fam. IX*, 12) quem rogat, ut eam sic legat, ut causam tenuem et inopem, nec scriptione magnopere dignam. Sed se hospiti veteri et amico Deiotaro munusculum mittere voluisse levidense, crasso filo, cuiusmodi ipsius soleant esse munera.

Ceterum iam antea M. Brutus Nicaeae Deiotarum coram Caesare defenderat, et valde vehementer ac libere dixerat. (*Epp. ad Att. XIV*, 1).

## I.

Quum in omnibus causis gravioribus, C. Caesar, initio dicendi commoveri soleam vehementius, quam videtur vel usus, vel aetas mea postulare: tum in hac causa ita me multa perturbant, ut, quantum

Deiotarus tetrarchus fuit. Postea providentiâ quam habuit circa populum romanum, regium nomen accepit ipse et filius. Is in matrimonio dederat filiam. Ex ea susceperat nepotem Castorem. Post eum genero litem habuit. Hic contra avum pro patre bello Pompeiano cum Pompeio fuit. Victor Caesar Pharsalico proelio contra Aegyptum coepit pugnare. Statim contra Alexandriam Deiotarus se tradidit. Meruit veniam, et tamen regni parte multatus est. Reversus Caesar contra Pharnacem regem Ponti. Suscepit illum hospitio Deiotarus. In acie etiam stetit pro Caesare. Reversus est Caesar Romam. Ambiebat quomodo Deiotarus perveniret ad partem regni. Hoc audito gener misit, qui accusarent Deiotarum, quod insidias fecisset Caesari eo tempore, quo illum invitavit hospitio. Audito hoc Deiotarus misit legatos, qui se defenderent. Inter quos legatos misit Phidippum medicum, quem iste dicit servum, ne illi credatur in caput domini: nam tanta auctoritate fuit iste medicus, ut inter legatos mitteretur ad defensionem Deiotari. Iste corruptus a nepote Castore transiit, et coepit accusare Deiotarum. Accusat ergo utrumque indignitas et impietas, servus et nepos. Status coniecturae. Genus causae admirabile. Nam offensus est amicus Caesaris, sed non satis, quia indulgentiam dederat. Haec causa dicitur in domo Caesaris, non in foro. Adest Cicero.

Cap. I. *Quum in omnibus causis*) quasi in reliquis securus sit; tantum in principio commovetur. — *Commoveri*) Timor virilis commotio. — *Tum in hac causa ita me multa perturbant*) Amamus periclitantibus subvenire. Hac arte dixit, quemadmodum in Cornelianis et in Cluentiana. Et dedit exemplum Virgilius. Sinon nisi miserabilem personam sumpsisset, non haberet, quem-

mea fides studii mihi afferat ad salutem regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primum dico pro capite fortunisque regis: quod ipsum etsi non iniquum est, in tuo dumtaxat periculo, tamen est ita inusitatum, regem capitis reum esse, ut ante hoc tempus non sit auditum. Deinde eum regem, quem ornare antea cuncto cum senatu solebam, pro perpetuis eius in nostram rempublicam meritis, nunc contra atrocissimum crimen cogor defendere. Accedit, ut accusatorum alterius crudelitate, alterius indignitate conturber. Crudelem Castorem! ne dicam sceleratum et impium; qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiaeque suae terrorem intulerit ei, cuius senectutem tueri et tegere debebat, commendationemque ineuntis aetatis ab impietate et scelere duxerit; avi servum, corruptum praemiis, ad accusandum dominum impulerit, et a legatorum pedibus abduxerit. Fugitivi autem, dominum accusantis, et dominum absentem, et dominum amicissimum nostrae reipublicae, quum os videbam, quum verba audiebam, non tam afflictam

admodum Troianis extorqueret misericordiam. Quippe hostis, ut eius fallax audiretur oratio, finxit turbari. *Turbatus*, inquit, *inermis constitit.* Sic et modo Cicero, quia apud Caesarem de hoste Caesaris loquitur, finxit se moveri, ut eius audiatur oratio. — *Primum dico pro capite*) Magnitudo negotii attentum facit. Ergo tu accusas regem apud Caesarem, sub quo rege sum. — *Quem ornare pro perpetuis eius meritis*) Commendat personam. — *Alterius crudelitate*) Nepotis crudelitate, Castoris. — *Indignitate*) servi Phidippi. — *Crudelis*) tantum ne possit dicere sceleratum et impium. *Commendationemque ineuntis aetatis*) quia ante adolescentes ex accusatione commendabantur ad famam. — *A legatorum pedibus*) Quasi ad obsequium legatorum missus fuis.

*In tuo dumtaxat periculo*) Iniquum esset, si de quapiam alia re ageretur; at quum de tuo periculo agatur, inusitatum quidem, sed non iniquum putandum est. Ferr.

*Conturber*) Sic recte Gruterus e MSS. Vulgo *perturber*.

*Crudelem Castorem!*) Ita MSS. Gruteri. In aliis quibusdam scriptis et editis *Crudelis Castor*.

*Commendationemque*) *Commendationem* ed. Gothofr. al.

regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. Nam, quum more maiorum de servo in dominum, ne tormentis quidem, quaeri liceat; in qua quaestione dolor veram vocem elicere possit etiam ab invito: exortus est servus, qui quem in equuleo appellare non posset, eum accusaret solutus.

II. Perturbat me, C. Caesar, etiam illud interdum: quod tamen, quum te penitus recognovi, timere desino. Re enim iniquum est, sed tua sapientia fit aequissimum. Nam dicere apud eum de facinore, contra cuius vitam consilium facinoris inisse arguare, si per se ipsum consideres, grave est; nemo enim fere est, qui sui periculi iudex, non sibi se aequiorem, quam reo praebeat; sed tua, C. Caesar, praestans singularisque natura hunc mihi metum minuit. Non enim tam timeo, quid tu de rege Deiotaro, quam intelligo, quid de te ceteros velis iudicare. Moveor etiam loci ipsius insolentia, quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conventum et eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent; in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco; te unum intueor; ad te unum omnis mea spectat oratio. Quae

sel. Quis servus ideo *pedibus*. — *Nam quum more maiorum*) Ecce quare dicit? servo ne credatur.

Cap. II. *Perturbat me etiam illud*) Ars dicendi. Apud Caesarem loquitur de periculo Caesaris. Cui habet favere Caesar nisi ei qui videtor eum defendere? Arguitur Deiotarus, quod voluit Caesarem occidere. Apud Caesarem ipsum causa dicitur. Favet certe huic, qui videtur pro se facere. Hoc ergo vult dicere. Iniquum est apud te de periculis tuis causam dicere. Sed si hoc dixerit, facit iniuriam Caesari. Et temperat, quasi nihil sit. — *Ad te unum*

*Eum accusaret*) Sic Ern. Vulgo *accuset*.

*Loci ipsius insolentia*) Cod. Colon. Dresd. ed. pr. *loci vel vocis ipsius insolentia;* quod non displicebat Graevio. Attamen dubitari non potest quin illud *vel vocis* glossema sit.

mihi ad spem obtinendae veritatis gravissima sunt, ad motum animi et ad omnem impetum dicendi contentionemque leviora. Hanc enim, C. Caesar, causam si in foro dicerem, eodem audiente et disceptante te, quantam mihi alacritatem populi romani concursus afferret? Quis enim civis ei regi non faveret, cuius omnem aetatem in populi romani bellis consumptam esse meminisset? Spectarem curiam, intuerer forum, caelum denique testarer ipsum. Sic, quum et deorum immortalium, et populi romani, et senatus beneficia in regem Deiotarum recordarer, nullo modo mihi deesse posset oratio. Quae quoniam angustiora parietes faciunt, actioque causae maxime debilitatur loco: tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre; quo facilius tum aequitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

III. Sed antequam de accusatione ipsa dico, de accusatorum spe pauca dicam. Qui quum videantur neque ingenio, neque usu rerum atque exercitatione valere, tamen ad hanc causam non sine aliqua spe et cogitatione venerunt. Iratum te regi Deiotaro fuisse non erant nescii; affectum illum quibusdam incom-

*omnis spectat oratio*) Ergo displicet tibi iudex. — *Caelum denique testarer*) Quare caelum? *Sic quum et deorum immortalium.* Quare forum et curiam? *et populi romani et senatus beneficia in regem Deiotarum recordarer.* — *Qui pro multis saepe dixisti*) quia et ipse orator fuit.

Cap. III. *Iratum te regi Deiotaro*) quia multaverat illum regno. — *Afflictum illum*) non dixit partem regni. — *Quibusdam incommodis*) ne videatur iratus voluisse occidere. Non si dixisset partem regni. Ergo ideo iratus hoc

*Caelum denique testarer*) Patricius malebat *contemplarer*.

*Vsu rerum atque exercitatione*) Vulgo *usu atque exercitatione rerum*. Veriorem verborum ordinem intellexit Ern.

*Quibusdam incommodis et detrimentis*) Lenioribus verbis in hac re utitur. Alibi de eadem invidiosius lib. II de divinat. c. 37.

*Quibusdam incommodis*) Adempta Galatiae parte, et Armenia minore, quam ei senatus antea largitus erat. Manvt.

modis et detrimentis, propter offensionem animi tui, meminerant; teque quum huic iratum, tum sibi amicum cognoverant: quumque apud ipsum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret. Quamobrem hoc nos primum metu, C. Caesar, per fidem et constantiam et clementiam tuam, libera, ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexisti; istam, inquam, dexteram, non in bellis et in proeliis, quam in promissis et fide firmiorem. [1] Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti; te eius dii penates acceperunt; te amicum et placatum Deiotari regis arae focique viderunt. Quum facile exorari, Caesar, tum semel exorari soles. Nemo unquam te placavit inimicus, qui ullas resedisse in te simultatis reliquias senserit. Quamquam cui sunt inauditae cum Deiotaro querelae tuae? Nunquam tu illum accusavisti, ut hostem, sed ut amicum officio parum functum, quod propensior in Cn. Pompeii amicitiam fuisset, quam in tuam. Cui tamen ipsi rei

fecit. — *Quamobrem hoc nos metu Caesar*) Venialis pars. Ergo rogo te, ne adhuc irascaris. — *Tu vetus hospitium renovare voluisti*) quasi non iste invitaril; ne videatur ad insidias invitasse. Tu sponte egisti. — *Quamquam cui sunt inauditae cum Deiotaro querelae*) eo tempore, quo Deiotarus in partem transierat Pompeii, dedit ad eum literas Caesar. Turpe est. Et ego amicus tuus fui, quae causa est, ut ad Pompeium transires. Sed ignosco tibi, si sequutus es nomen senatus. Mitte exercitum Pompeio; mitte filium. Tu tantum excusatione utere, quia senex es. Sic ergo eum accusaverat non quasi hostem, sed quasi perfidum amicum. — *Neque enim ille odio tui*) Adhuc ....

*Propter offensionem animi tui*) Vitat mentionem belli civilis, quo Caesarem Deiotarus, pro Pompeio pugnans, offenderat. Id.

(1) *Non in bellis*) Vulgo *non tam in bellis*. Et sic etiam Priscianus III, 1. Apud eundem est *neque in proeliis*. Particulam *tam* hic delendam esse viderunt Manut. Heumann.

*Cui tamen ipsi rei*) Vulg. erat *ipsi regi*. Graevius e tribus MSS. *ipsi rei*. Recte Heumann. utrumque delendum esse censuit.

veniam te daturum fuisse dicebas, si tantum auxilia Pompeio, vel si etiam filium misisset, ipse excusatione aetatis usus esset. Ita quum maximis eum rebus liberares, perparvam amicitiae culpam relinquebas. Itaque non solum in eum non animadvertisti, sed omni metu liberavisti, hospitem agnovisti, regem reliquisti.

IV. Neque enim ille odio tui progressus, sed errore communi lapsus est. Is rex, quem senatus hoc nomine saepe honorificentissimis decretis appellavisset, quique illum ordinem ab adolescentia gravissimum sanctissimumque duxisset, iisdem rebus est perturbatus, homo longinquus et alienigena, quibus nos in media republica nati, semperque versati. Quum audiret, senatus consentientis auctoritate arma sumpta; consulibus, praetoribus, tribunis plebis, nobis imperatoribus rempublicam defendendam datam: movebatur animo, et vir huic imperio amicissimus de salute populi romani extimescebat, in qua etiam suam inclusam videbat. In summo tamen timore quiescendum sibi esse arbitrabatur. Maxime vero perturbatus est, ut audivit, consules ex Italia profugisse, omnesque consulares (sic enim nuntiabatur), cunctum senatum, totam Italiam esse effusam. Talibus enim nuntiis et rumoribus patebat ad Orientem via, nec ulli veri

*Si tantum*) Sic Graev. e MS. Colon. Vulg. *si quum*.

*Ipse excusatione*) Vulg. *ipse tamen*. Sed Graev. particulam delevit, quae aberat MSS. Colon. Pith.

*Perparvam amicitiae culpam*) *Perparvam in amicitia culpam* MSS. nonnulli probante Heumanno.

*Neque enim illo odio tui*) Vulg. *ille*. Sed aptius est *illo* i. q. *illuc*, quod vidit Heumannus, Patricius volebat eo.

*Quum audiret*) Sic Grut. Graev. alii olim *audisset*, quod Heumannus restituit.

*Nobis imperatoribus*) Sic recte rescribi iussit Abramius. Vulgo *novis imperatoribus*. At *nobis* etiam Manutio, Oliveto, Ernestio placuit.

*Suam inclusam videbat*) Vulgo *suam inclusam esse videbat*. Ernest. delevit *esse*, ut vitaretur clausula hexametri.

subsequebantur. Nihil ille de conditionibus tuis, nihil de studio concordiae et pacis, nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. Quae quum ita essent, tamen usque eo se tenuit, quoad a Cn. Pompeio ad eum legati literaeque venerunt. Ignosce, ignosce, Caesar, si eius viri auctoritati rex Deiotarus cessit, quem nos omnes sequuti sumus: in quem quum dii atque homines omnia ornamenta congessissent, tum tu ipse plurima et maxima. Neque enim, si tuae res gestae ceterorum laudibus obscuritatem attulerunt, idcirco Cn. Pompeii memoriam amisimus. Quantum nomen eius fuerit, quantae opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi romani, quanti senatus, quanti tui, quis ignorat? tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praestitisti. Itaque Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, consulatus admirantes numerabamus: tuos enumerare non possumus.

V. Ad eum igitur rex Deiotarus venit, hoc misero fatalique bello, quem antea iustis hostilibusque bellis adiuverat, quocum erat non hospitio solum, verum etiam familiaritate coniunctus; et venit vel rogatus, ut amicus; vel arcessitus, ut socius; vel evocatus, ut is, qui senatui parere didicisset; postremo venit, ut ad fugientem, non ut ad insequentem, id est, ad periculi, non ad victoriae societatem. Itaque, Pharsalico proelio facto, a Pompeio discessit; spem infinitam persequi noluit; vel officio, si quid debuerat,

*Certorum hominum*) L. Domitii, P. Scipionis, M. Bibuli, M. Catonis; quorum alios ad bellum spes rapinarum, alios Caesaris odium, et privatae inimicitiae impellebant. MANUT.

*A Pompeio discessit*) Pompeio acie Pharsalica superato, reversus est ad suam Tetrarchiam, nec voluit spem instaurandi belli persequi, quae infinita erat, id est finem et exitum non habebat. Vide II de Divin. cap. 37. ABR.

vel errori, si quid nescierat. satisfactum esse duxit; domum se contulit, teque Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit. Ille exercitum Cn. Domitii, amplissimi viri, suis tectis et copiis sustentavit; ille Ephesum ad eum, quem tu ex tuis fidelissimum et probatissimum omnibus delegisti, pecuniam misit; ille iterum, ille tertio, auctionibus factis, pecuniam dedit, qua ad bellum utereris; ille corpus suum periculo obiecit, tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hostem esse duxit suum. Quae quidem a te in eam partem accepta sunt, C. Caesar, ut eum amplissimo regis honore et nomine affeceris.

VI. Is igitur, non modo a te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi te suae interficere voluisse. Quod tu, nisi eum furiosissimum iudicas, suspicari profecto non potes. Vt enim omittam, cuius tanti sceleris fuerit, in conspectu deorum penatium, necare hospitem; cuius tantae importunitatis, omnium gentium, atque omnis memoriae clarissimum lumen exstinguere; cuius tantae ferocitatis, victorem orbis terrarum non extimescere; cuius tam inhumani et ingrati animi, a quo rex appellatus esset, in eo tyrannum inveniri: ut haec omittam, cuius tanti furoris fuit, omnes reges, quorum multi

*Vtilitatibus tuis paruit*) Fecit quidquid utilitates tuae postulabant. Eodem verbo uans est ad Plancium lib. XIII: *Res familiaris C. Capitoni praesto fuit, et paruit et temporibus, et fortunae meae. Vtilitatis*, pro commodis accipiuntur. Ad Tironem: *Vtilitatibus tuis possum carere: te volere, tua causa primum volo, tum mea, mi Tiro.* Man. — Lamb. correxit *patuit*.

*Cn. Domitii*) Calvini, qui consul fuerat cum M. Messala. Is cum Caesare, Domitius autem Ahenobarbus cum Pompeio fuit. In.

*Contra Pharnacem*) Regem Ponti, filium Mithridatis, qui occasione belli civilis Armeniam occuparat. In.

*Regis honore et nomine*) Graevius *amplissimo regis honore et nomine.*

*In eo*) Vulgo *in eum*. Sic Graev. Ern. e MS. Colon.

*Vt hoec omittam*) Heumannus malebat: *ut et hoc omittam c. t. f. fuerit — excitore, quonam.*

erant finitimi, omnes liberos populos, omnes socios, omnes provincias, omnia denique omnium arma contra se unum excitare? Quonam ille modo, cum regno, cum domo, cum coniuge, cum carissimo filio distractus esset, tanto scelere non modo perfecto, sed etiam cogitato? At, credo, haec homo inconsultus et temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Deiotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto. Nota tibi est, C. Caesar, hominis probitas, noti mores, nota constantia. Cui porro, qui modo populi romani nomen audivit, Deiotari integritas, gravitas, virtus, fides non audita est? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere posset, propter metum praesentis exitii, nec in facinorosum, nisi esset idem amentissimus, id vos et a viro optimo et ab homine minime stulto cogitatum esse confingitis. At quam non modo non credibiliter, sed ne suspiciose quidem! Quum, inquit, in castellum Luceium venisses, et domum re-

*Distractus*) Divulsus ab aliorum regum societate et amicitia. ABR. Immo *distractus* est discerptus. GRAEV.

*Quis tectior?*) Non est laus, hominem essa tectum, κρυψίνοον, sive occultum, qui simulat amicitiam, et eam fronte prae se fert, quum corde premat odium capitale. Tecto opponitur apertus, simplex. Si fuisset homo tectus Deiotarus, facile potuisset hoc scelus contra Caesarem suscipere de nece ei inferenda, si sibi persuasisset, id tuto se posse et secreto facere: sed Cicero nititur omni ope id ostendere, cogitationem huius sceleris abesse tum ab eius prudentia, quam probitate. *Tectus* igitur hic locum habere non potest, ut recte vidit Patricius. In Erfurt. Dresd. Colon. Pith. est *rectior*. *Recta* dicuntur omnia, quae sunt sine *vitio, labe, macula*. Igitur *quis rectior* est hic, quis est in consiliis rectis capiendis promptior, quis est rectioris ingenii, ut in illud non possit cadere tantum facinus? Non ausim quidem praestare Tullium scripsisse *rectior*: aptior tamen est haec vox huic loco, quam *tectior*, quia tectum esse semper vitio vertitur. Est enim hominis callidi, versuti, malitiosi, non prudentis et considerati. GRAEV.

*Probitas — integritas*) Vulgo olim *probitas, integritas* utroque loco. Sed *probitas* recte abest MSS. nonnullis.

*Venisses*) *Voluisses* malebat Puteanus.

gis, hospitis tui, devertisses, locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus rex te munerare constituerat. Huc te e balneo, priusquam accumberes, ducere volebat. Erant enim armati, qui te interficerent, in eo ipso loco collocati. En crimen, en causa, cur regem fugitivus, dominum servus accuset.

VII. Ego mehercule, C. Caesar, initio, quum est ad me ista causa delata, Phidippum medicum, servum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum, hac suspicione sum percussus: medicum indicem subornavit; finget videlicet aliquod crimen veneni. Etsi a veritate longe, tamen a consuetudine criminandi non multum res abhorrebat. Quid ait medicus? nihil de veneno. At id fieri potuit primo occultius in potione, vel in cibo; deinde etiam impunius fit, quod quum est factum, negari potest. Si palam te interemisset, omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma convertisset; si veneno, Iovis illius quidem hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines fortasse celavisset. Quod igitur et occultius conari, et efficere cautius potuit, id tibi, et medico callido, et servo, ut putabat, fideli, non credidit: de armis, de ferro, de insidiis celare te noluit? At quam festive crimen contexitur? Tua te, inquit, eadem, quae semper, for-

*Subornavit*) Olim edebatur: *ab ipso adolescente existimari esse corruptum hac suspicione sum percussus: medicum iudicem subornabit.* Ego Mureti correctionem sequutus sum Var. lect. II, 16.

*In potione, vel in cibo*) Hoc spurium et e glossa natum videbatur Ernestio, saltem illud *in cibo*. Idem iam olim Patricio visum erat; qui etiam verba *fit, quod quum est factum negari potest* e glossemate addita putabat. Itaque brevius hoc modo legendum censuit: *At id fieri potuit primo occultius, deinde etiam impunius.* Alio modo sic legi posse opinabatur: *deinde etiam impunius: etenim impunius fit, quod, quum est factum, negari potest.*

*Id tibi et medico*) Post *id tibi* excidisse videtur *Phidippe*. Hunc enim his verbis alloquitur. Sic infra: *Di te perduint, fugitive.*

tuna servavit. Negavisti tum te inspicere velle. Quid postea? an Deiotarus, re illo tempore non perfecta, continuo dimisit exercitum? nullus erat alius insidiandi locus? At eodem te, quum coenavisses, rediturum dixeras: itaque fecisti. Horam unam aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerant, retinere magnum fuit? Quum in convivio comiter et iucunde fuisses, tum illuc isti, ut dixeras. Quo in loco Deiotarum talem erga te cognovisti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit: cui magnificentissima dona, ut scriptum legimus, usque ad Numantiam misit ex Asia; quae Africanus, inspectante exercitu, accepit. Quod quum praesens Deiotarus, regio et animo et more, fecisset, tu in cubiculum discessisti. Obsecro, Caesar, repete temporis illius memoriam; pone illum ante oculos diem; vultus hominum te intuentium atque admirantium recordare: num qua trepidatio? num qui tumultus? num quid, nisi moderate, nisi quiete, nisi ex hominis gravissimi et sanctissimi disciplina? Quid igitur causae excogitari potest, cur te lautum voluerit, coenatum noluerit occidere? In posterum, inquit, diem distulit, ut, quum in castellum Luceium ventum esset, ibi cogitata perficeret. Non video cau-

*Inspicere*) Illa, quibus te Deiotarus munerare constituerat. MANUT.

*Continuo dimisit exercitum*) Ex Eunucho Terentii actu 4, scen. 7, ubi Thraso qui suos servulos instar aciei gloriosius instruxerat, re non succedendo, neque perfecta, *Iam dimitto exercitum*, inquit. De quo eruditus Victorius lib. XV Variarum lection. cap. 6. Mollum autem, ut opinor, hoc valuit ad falsum illud crimen explodendum: et, ni fallor, risum movit: quae ratio in iudicio quoque adhibetur, ac fructum fert: tanquam enim Deiotarus nullius consilii homo esset, ac similis Thrasoni, qui postquam statim insidiae non successerint, non potuerit, retentis in armis insidiatoribus, efficere quod destinasset, Caesare post coenam ad eas balneas veniente. ABR.

*Tum illuc isti*) Sic Graev. e cod. Erf. et Lamb. Vulgo *visti*.

*Attalus*) Ant. Bendinellos, Robortellus aliique correxerunt *Antiochus*, coll. Liv. Epit. lib. 57. Schütz. correctionem admisit. Sed vid. not. in fine orationis. TYP.

sam loci mutandi: sed tamen acta res criminose est. Quum, inquit, vomere te post coenam velle dixisses, in balneum te ducere coeperunt. Ibi enim erant insidiae. At te eadem tua fortuna servavit; in cubiculum te ire malle dixisti. Dii te perduint, fugitive! ita non modo nequam et improbus, sed fatuus et amens es. Quid? ille signa aenea in insidiis posuerat, quae e balneo in cubiculum transferri non possent? Habes crimina insidiarum. Nihil enim dixit amplius. Horum, inquit, eram conscius. Quid? ita demens ille erat, ut eum, quem conscium tanti sceleris habebat, a se dimitteret, Romam etiam mitteret, ubi et inimicissimum sciret esse nepotem suum, et C. Caesarem, cui fecisset insidias? praesertim quum is unus esset, qui posset de absente se indicare? At fratres meos, inquit, quod erant conscii, in vincula coniecit. Quum igitur eos vinciret, quos secum habebat, te solutum Romam mittebat, qui eadem scires, quae illos scisse dicis?

VIII. Reliqua pars accusationis duplex fuit: una,

*Sed tamen acta*) Schütz. edidit *dicta*, ex Ernestii coniectura. Frustra. *A.*

*Vomere te post coenam velle*) Ex hoc loco intelligitur, post coenam ad vomitum isse homines, ut cibo alvum exonerarent, ne larga sumptus noceret. Celsus, lib. 2: *Reiectum esse ab Asclepiade vomitum video: nec reprehendo, si eorum offensus est consuetudine, qui, quotidie eiiciendo, vorandi facultatem moliuntur. — Commoneo tamen, ne quis, qui valere et senescere volet, hoc quotidianum habeat.* De hac igitur Caesaris consuetudine sermo est ad Atticum lib. XIII, epist. 52. *Accubuit*, ἐμετικὴν agebat. Ernest.

*Et improbus, sed fatuus et amens es*) Graev. e cod. Erf. recepit: *et improbus et fatuus, sed et amens es*; quod recte improbavit Heumann.

*In cubiculum transferri non possent*) Acute simul et lepide. De *signis*, ut de hominibus, de inanimatis, ut de animatis ipsis. Quid ita? Verbo enim ad *signa* illa aenea respicit, quorum modo fecit mentionem: cogitatione autem respicit, ad homines illos armatos, qui dicuntur fuisse in insidiis collocati. Ern.

*Quid?*) Vulgo *quid tum?* Sed bene Heumannus *tum* delendum esse monuit.

*Indicare*) Vulgo *vindicare*. Sed Graevius bene emendavit *indicare*. Idem tamen deleri volebat verba *de absente se*; quod non est necesse.

*At fratres*) Sic recte correxit Heumannus. Vulgo *Et fratres*.

*Quae illos scisse dicis?*) Sic e coniectura Ernestii edidi. Vulg. *scire*,

regem semper in speculis fuisse, quum a te animo esset alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparasse. De exercitu dicam breviter, ut cetera. Nunquam eas copias rex Deiotarus habuit, quibus inferre bellum populo romano posset; sed quibus fines suos ab excursionibus hostium et latrociniis tueretur, et imperatoribus nostris auxilia mitteret. Atque antea quidem maiores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri potest. At misit ad Caecilium, nescio quem; sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula coniecit. Non quaero, quam verisimile sit, aut non habuisse regem, quos mitteret; aut eos, quos misisset, non paruisse; aut, qui dicto audientes in tanta re non fuissent, eos vinctos potius, quam necatos fuisse. Sed tamen quum ad Caecilium mittebat, utrum causam illam victam esse nesciebat, an Caecilium istum magnum hominem putabat? quem profecto is, qui optime nostros homines novit, vel quia nosset, vel quia non nosset, contemneret. Addidit etiam illud, equites non optimos misisse tibi. Veteres, credo, Caesar; nihil ad tuum equitatum; sed misit ex iis, quos habuit, electos. Ait nescio quem ex eo numero servum iudicatum. Non arbitror; non audivi. Sed in eo, etiamsi accidisset, culpam regis nullam fuisse arbitrarer.

*Excursionibus*) Quidam olim, et nuper praeferebant *incursionibus*. Vulgatum mutandum non esse docuit Heumann.

*Caecilium*) Sic Abramius legendum esse vidit. Confirmant MSS. et Schol. Ambr. Est Caecilius Bassus. Vulgo *Caelium*.

*Vel quia nosset, vel quia non nosset*) Ita Pal. 9, Colon. Olim *vel quia non nosset, vel si nosset*.

*Misisse tibi*) *Tibi* recte revocavit Heumannus, a Grutero et Graevio male omissum. Nam quum antea de militibus ad Caecilium missis ageretur, nunc autem de equitibus ad Caesarem missis, *tibi* non potest omitti.

*Veteres, credo*) Patricius coniiciebat: *Misisse tibi veteres credo*.

*Sed misit ex iis*) Respondet misisse, quales haberet: immo quales ex iis, quos haberet, elegisset. PATR.

*Electos*) *Lectos* malebat Patricius.

*Servum iudicatum*) Quum servis

IX. Alieno autem a te animo fuit. Quomodo? Speravit, credo, difficiles tibi Alexandria fore exitus, propter regionis naturam et fluminis. At eo ipso tempore pecuniam dedit, exercitum aluit; ei, quem Asiae praefeceras, nulla in re defuit; tibi victori, non solum ad hospitium, sed ad periculum etiam, atque ad aciem praesto fuit. Sequutum est bellum Africanum: graves de te rumores sparsi; qui etiam furiosum illum Caecilium excitaverunt. Quo tum erga te rex animo fuit? qui auctionatus sit, seseque expoliare maluerit, quam tibi pecuniam non subministrare. At eo, inquit, tempore ipso Nicaeam Ephesumque mittebat, qui rumores Africanos exciperent, et celeriter ad se referrent. Itaque quum esset ei nuntiatum, Domitium naufragio periisse, te in castello circumsideri; de Domitio dixit versum graecum eadem sententia, qua etiam nos habemus latinum:

*Pereant amici, dum una inimici intercidant;*

quod ille, si esset tibi inimicissimus, nunquam tamen dixisset: ipse enim mansuetus, versus immanis. Qui autem Domitio poterat esse amicus, qui tibi esset inimicus? Tibi porro inimicus cur esset, a quo quum

militare, praesertim equestri loco, non liceret. MAN.

*Tibi victori*) Caesar victor e bello Alexandrino per Gallograeciam transivit, et contra Pharnacem arma convertens, *legionem* (verba sunt Hirtii) *quam ex genere civium suorum Deiotarus natura disciplinaque nostra constitutam habebat, equitatumque omnem ad bellum gerendum adducere iussit.* ABR.

*Sequutum est bellum Africanum*) Quod tu parta de Pharnace victoria, paucos dies in Italia moratus, Iubae Numidiae regi, Scipioni et Catoni, qui magnis exercitibus Africam occupaverant, intulisti. ID.

*Quo tum erga te*) *Erga te* abest aliquot MSS. ut Erfurt. Omiserunt Lambin. Graev. Ernestio videbatur scribendum: *Quo tum ergo rex* vel *q. t. ergo in te rex.*

*Pereant amici*) Quia amicus Domitio esset: ut paulo post. Graecus versus mihi quidem nondum compertus: Latinus quoque cuius poëtae sit, ignorare me fateor. Opto feliciores esse alios. MANUT.

vel interfici, belli lege, potuisset, regem et se et filium suum constitutos esse meminisset?

X. Quid deinde? furcifer quo progreditur? ait, hac laetitia Deiotarum elatum, vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. Quae crux huic fugitivo potest satis supplicii afferre? Deiotarum saltantem quisquam, aut ebrium vidit unquam? Omnes sunt in illo rege regiae virtutes, quod te, Caesar, ignorare non arbitror; sed praecipue singularis et admiranda frugalitas. Etsi hoc verbo scio laudari reges non solere. Frugi hominem dici, non multum habet laudis in rege; fortem, iustum, severum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem; hae sunt regiae laudes; illa privata est. Vt volet, quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam et temperantiam, virtutem esse maximam iudico. Haec in illo est ab ineunte aetate, tum a cuncta Asia, tum a magistratibus, legatisque nostris, tum ab equitibus romanis, qui in Asia negotiati sunt, perspecta et cognita. Multis ille quidem gradibus officiorum erga rempublicam nostram ad hoc regium nomen ascendit; sed tamen quidquid a bellis populi romani vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res rationesque iungebat: ut non solum tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, et diligentissimus agricola

*In illo rege*) *Rege* recte addidit Graev. e cod. Erfurt.

*Diligentissimus agricola*) Nemo iure mirabitur laudari regem, quod fuerit bonus agricola, qui antiquorum mores animo perspexerit. Nam, ut ait Plinius: *De cultura agri praecipere principale fuit etiam apud exteros. Siquidem et reges fecere, Hiero, Philometor, Attalus, Archelaus: et duces Xenophon, et Poenus etiam Mago: cui quidem tantum honorem Senatus noster habuit Carthagine capta, ut quum Regulis Africae bibliothecas donaret, unius eius duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, quum iam M. Cato praecepta condidisset.* Eadem testantur Columella et Varro. uterque cap. 1 de re rustica. Et ut omittam Laërtem illum Ithacae regulum, quem Homerus tenientem

et pecuarius haberetur. Qui igitur adolescens, nondum tanta gloria praeditus, nihil unquam, nisi severissime et gravissime fecerit, is ea existimatione, eaque aetate saltavit? Imitari potius, Castor, avi tui mores, disciplinamque debebas, quam optimo et clarissimo viro fugitivi ore maledicere. Quod si saltatorem avum habuisses, neque eum virum, unde pudoris pudicitiaeque exempla peterentur: tamen hoc maledictum minime in illam aetatem conveniret. Quibus ille studiis ab ineunte aetate se imbuerat, non saltandi, sed bene ut armis, optime ut equis uteretur; ea tamen illum cuncta iam, aetate exacta, defecerant. Itaque Deiotarum quum plures in equum sustulissent, quod haerere in eo senex posset, admirari solebamus. Hic vero adolescens, qui meus in Cilicia miles, in Graecia commilito fuit, quum in illo nostro exercitu equitaret cum suis delectis equitibus, quos una cum eo ad Pompeium pater miserat, quos concursus facere solebat? quam se iactare? quam ostentare? quam nemini in illa causa studio et cupiditate concedere? quum vero exercitu amisso, ego, qui pacis auctor semper fuissem, post Pharsalicum proelium suasor

desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum, et eum stercorantem facit; notum est Diocletianum imperio se abdicasse, ut agriculturae se reique hortensi liberius applicaret. Abr.

*Pecuarius*) Varro lib. 2 de re rustica, cap. 1: *De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendunt veteres poëtae qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur: ut in Colchide Aeta, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautae: ut in Libya Hesperides, unde aurea mala* etc. Et certe regum pueros ut plurimum pastores olim fuisse, testatur Paris et Ganymedes. Id.

*Non saltandi, sed*) Patricius putabat vel omittenda verba *non saltandi, sed*, vel legendum esse *non ut saltaret, sed* —

*Semper fuissem*) Vulgo *semper fui — suasor fuissem*, in quo *fui* omittendum putabant Lamb. et Patricius. Ego Ernestii rationem sequutus sum; qui tamen etiam verba *post Pharsalicum etiam proelium* insititia esse arbitrabatur.

essem armorum non deponendorum, sed abiiciendorum, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere, quod et ipse ardebat studio ipsius belli, et patri satisfaciendum esse arbitrabatur. Felix ista domus, quae non impunitatem solum adepta sit, sed etiam accusandi licentiam: calamitosus Deiotarus, qui et ab eo, qui in iisdem castris fuerit, non modo apud te, sed etiam a suis accusetur. Vos vestra secunda fortuna, Castor, non potestis sine propinquorum calamitate esse contenti?

XI. Sint sane inimicitiae, quae esse non debebant. Rex enim Deiotarus vestram familiam, abiectam et obscuram, e tenebris in lucem evocavit. Quis tuum patrem ante, qui esset, quam cuius gener esset, audivit? Sed quamvis ingrate et impie necessitudinis nomen repudiaritis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere. Esto: concedatur haec quoque acerbitatis et odii magnitudo. Adeone, ut omnia vitae salutisque communis, atque etiam humanitatis iura violentur? Servum sollicitare verbis, spe promissisque corrumpere, abducere domum, contra dominum armare: hoc est, non uni propinquo, sed omnibus familiis bellum nefarium indicere. Nam ista corruptela servi, si non modo impunita fuerit,

*Hunc non potui adducere*) Castori persuadere non potui, ut meam auctoritatem et tum consilium, tum exemplum sequutus, a persequendis belli reliquiis desisteret, tum quod ille magno studio et animi ardore statuerat ad extremum belli aleam experiri, tum quod patri se satis esse facturum non putaret, si a bello discederet. Abr.

*Ipsius belli*) Ernestio placebat *istius* vel *illius*.

*Vt omnia vitae*) Vulgo *ut etiam*. Sed illud *etiam* hic melius omitti vidit Patricius.

*Atque etiam humanitatis iura violentur?*) Patricius coni. *vitae, salutis, atque etiam communis humanitatis iura*.

*Abducere domum*) Vulgo erat *adduceres domum*. At Ern. e MS. Dresd. ed. Waldarf. reposuit *abducere*. Graevius e MS. Fr. et ed. Med. *abducere domo*.

sed etiam a tanta auctoritate approbata, nulli parietes nostram salutem, nullae leges, nulla iura custodient. Vbi enim id, quod intus est atque nostrum, impune evolare potest, contraque nos pugnare, fit in dominatu servitus, in servitute dominatus. O tempora, o mores! Cn. Domitius ille, quem nos pueri consulem, censorem, pontificem maximum vidimus, quum tribunus plebis M. Scaurum, principem civitatis, in iudicium populi vocasset, Scaurique servus ad eum clam domum venisset, et crimina in dominum delaturum se esse dixisset: prehendi hominem iussit, ad Scaurumque deduci. Vide, quid intersit, etsi inique Castorem cum Domitio comparo, — sed tamen ille inimico servum remisit; tu ab avo abduxisti: ille incorruptum audire noluit; tu corrupisti: ille adiutorem servum contra dominum repudiavit; tu etiam accusatorem adhibuisti. At semel iste est corruptus a vobis? Nonne quum esset productus, et quum tecum fuisset, refugit ad legatos? Nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? Nonne audiente hoc Ser. Sulpicio, clarissimo viro, qui tum casu apud Domitium coenabat, et hoc T. Torquato, optimo adolescente, se a te corruptum, tuis promissis in fraudem impulsum esse confessus est? Quae est ista tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? Idcirco in hanc urbem venisti, ut huius urbis iura et exempla corrumperes, domesticaque immanitate nostrae civitatis humanitatem inquinares?

*Quod intus est*) Servi, qui nobiscum in eadem domo versantur. ABR.

*Ad Scaurumque deduci*) *Reduci* quod est in MSS. nonnullis placuit Lambino.

*Productus*) *Perductus* e MSS. edidit Lamb. Idem voc. *testis* quod in edd. sequebatur auctoritate codd. MSS. delevit.

*Refugit ad legatos*) Deiotari, a quorum pedibus abstractus per te erat. PATRIC.

*Impudens*) Codd. aliquot ap. Lamb. et Vrsin. *impotens*.

*Domesticaque*) Olim addebatur *tua*, quod recte deleverunt Graev, Ern.

XII. At quam acute collecta crimina! Blesamius, inquit, (eius enim nomine, optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad regem scribere solebat, te in invidia esse; tyrannum existimari; statua inter reges posita animos hominum vehementer offensos; plaudi tibi non solere. Non intelligis, Caesar, ex urbanis malivolorum sermunculis haec ab istis esse collecta? Blesamius tyrannum Caesarem scriberet? Multorum enim civium capita viderat; multos iussu Caesaris vexatos, verberatos, necatos; multas afflictas et eversas domos; armatis militibus refertum forum. Quae semper in civili victoria sensimus, ea te victore non vidimus. Solus, inquam, es, C. Caesar, cuius in victoria ceciderit nemo, nisi armatus. Et quem nos liberi, in summa populi romani libertate nati, non modo non tyrannum, sed etiam clementissimum in victoria ducimus: is Blesamio, qui vivit in regno, tyrannus videri potest? Nam de statua quis queritur, una praesertim, quum tam multas videat? Valde enim invidendum est eius statuis, cuius tropaeis non invidemus. Nam, si locus affert invidiam, nullus locus est, ad statuam quidem, rostris clarior. De plausu autem quid respondeam? qui nec desideratus unquam a te est, et nonnunquam, obstupefactis

*Blesamius*) Homo Gallograecus, qui Deiotari legatus aderat. Man.

*Optimi hominis*) *Optimi viri* codd. MSS. ap. Lambin. Ursin. item Priscian. lib. VIII.

*Statua inter reges posita*) In Capitolio septem regum statuae fuerunt, et inter eas statua L. Bruti strictum gladium tenentis. Inter eas etiam Caesaris statua fuit excitata: quod animos hominum vehementer offendit, ratos illius ambitionem iam in apertam tyrannidem erumpere. Quod aiebat accusator a Blesamio scriptum fuisse ad Deiotarum. Abr.

*Valde enim*) Patricius coni. *Valde nimirum.*

*Invidemus*) Sic habent edd. vett. aliquot probante Ernestio. Vulgo *invidimus.*

*Rostris clarior*) In quibus tamen tua, o Caesar, statua alias est locata. Patr.

hominibus, ipsa admiratione compressus est; et fortasse eo praetermissus, quia nihil vulgare te dignum videri potest.

XIII. Nihil a me arbitror praetermissum, sed aliquid ad extremam causae partem reservatum. Id autem aliquid est, te ut plane Deiotaro reconciliet oratio mea. Non enim iam metuo, ne tu illi succenseas: illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere. Quod abest longissime, mihi crede, Caesar; quid enim retineat per te, meminit, non quid amiserit; neque se a te multatum arbitratur; sed, quum existimaret, multis tibi multa esse tribuenda, quo minus a se, qui in altera parte fuisset, ea sumeres, non recusavit. Etenim si Antiochus, [1] magnus ille rex Asiae, quum, posteaquam a Scipione devictus, Tauro tenus regnare iussus esset, omnemque hanc Asiam, quae est nunc nostra provincia, amisisset, dicere est solitus: benigne sibi a populo romano esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur: potest multo facilius se Deiotarus consolari. Ille enim furoris multam sustinuerat, hic erroris. Omnia tu Deiotaro, Caesar, tribuisti, quum et ipsi et filio nomen regium concessisti. Hoc nomine retento atque conservato, nullum beneficium populi romani, nullum iudicium de se senatus imminutum putat. Magno animo et erecto est, nec unquam succumbet inimicis, ne fortunae quidem. Multa se arbitratur et peperisse ante factis, et habere in animo atque virtute, quae nullo modo possit amittere. Quae enim fortuna, aut quis casus, aut quae tanta possit

(1) Alii *Magnus ille, rex A.* TYP.

*Sustinuerat*) *Subierat* codd. Lambiniani plerique.

*Nullum iudicium de se senatus*) Ernestius malebat *nullum senatus de se iudicium.*

*Quae tanta*) *Quae tandem* coni. Patricius.

iniuria omnium imperatorum de Deiotaro decreta delere? Ab omnibus enim his ornatus est, qui postquam in castris esse potuit per aetatem, in Asia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria, bella gesserunt. Senatus vero iudicia de illo tam multa, tamque honorifica, quae publicis populi romani literis monumentisque consignata sunt, quae unquam vetustas obruet, aut quae tanta delebit oblivio? Quid de virtute eius dicam? quid de magnitudine animi, gravitate, constantia? quae omnes docti atque sapientes summa, quidam etiam sola bona esse dixerunt, hisque non modo ad bene, sed etiam ad beate vivendum, contentam virtutem esse.

XIV. Haec ille reputans, et dies noctesque cogitans, non modo tibi non succenset (esset enim non solum ingratus, sed etiam amens), verum omnem tranquillitatem et quietem senectutis acceptam refert clementiae tuae. Quo quidem animo quum antea fuit, tum non dubito, quin tuis literis, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Blesamio dedisti, se magis etiam erexerit, ab omnique sollicitudine abstraxerit. Iubes enim eum bene sperare, et bono esse animo: quod scio, te non frustra scribere solere. Memini enim iisdem fere verbis ad me te scribere, meque tuis literis bene sperare non frustra esse iussum. Laboro equidem regis Deiotari causa, quocum mihi amicitiam respublica conciliavit, hospitium voluntas utriusque coniunxit, familiaritatem consuetudo attulit, summam vero necessitudinem magna eius officia in me et in exercitum meum effecerunt: sed quum

*Et dies noctesque cogitans*) Sic pro vulg. *dies et noctes* scribendum esse Patricius censuit. Idem Goerenzius ad Cic. de Fin. p. 73 auctoritate MSS. confirmavit.

*Quibus semel ignotum*) Nihil opus reponere *simul*, quod Patricio in mentem venerat.

de illo laboro, tum de multis amplissimis viris, quibus semel ignotum a te esse oportet, nec beneficium tuum in dubium vocari, nec haerere in animis hominum sollicitudinem sempiternam, nec accidere, ut quisquam te timere incipiat eorum, qui semel a te sint liberati timore.

XV. Non debeo, C. Caesar, quod fieri solet in tantis periculis, tentare, quonam modo dicendo misericordiam tuam commovere possim. Nihil opus est. Occurrere ipsa solet supplicibus et calamitosis, nullius oratione evocata. Propone tibi duos reges, et id animo contemplare, quod oculis non potes. Dabis profecto misericordiae, quod iracundiae negavisti. Multa sunt tuae clementiae monumenta; sed maxime eorum incolumitates, quibus salutem dedisti. Quae si in privatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in regibus. Semper regium nomen in hac civitate sanctum fuit; sociorum vero regum et amicorum sanctissimum. Quod nomen hi reges ne amitterent, te victore, timuerunt; retentum vero, et a te confirmatum, posteris etiam suis tradituros confido. Corpora vero sua, pro salute regum suorum, hi legati tibi regii tradunt, Hieras, et Blesamius, et Antigonus, tibi nobisque omnibus iam diu noti, eademque fide et virtute praeditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus est ad te missus, tum regum amicissimi, tum tibi etiam, ut spero, probati. Exquire de Blesamio, nunquid ad regem contra dignitatem tuam scripserit. Hieras quidem causam omnem suscipit, et criminibus illis pro rege se supponit reum; memoriam tuam

*Quonam modo*) *Ecquonam modo* malebat Gulielmus.

*Duos reges*) Deiotaros, patrem et filium. Videtur solus pater accusatus fuisse. Filium tamen appellat, ut magis duorum quam unius misericordia moveatur; vel quia Caesari filius erat acceptior, ideo causam utriusque coniunxit. Abr.

implorat, qua vales plurimum; negat unquam se a te in Deiotari tetrarchia pedem discessisse; in primis finibus tibi se praesto fuisse dicit, usque ad ultimos prosequutum; quum e balneo exisses, tecum se fuisse, quum illa munera inspexisses coenatus, quum in cubiculo recubuisses; eandemque assiduitatem tibi se praebuisse postridie. Quamobrem, si quid eorum, quae obiecta sunt, cogitatum sit, non recusat, quin id facinus suum iudices. Quocirca, C. Caesar, velim existimes, hodierno die sententiam tuam, aut cum summo dedecore miserrimam pestem importaturam esse regibus, aut incolumem famam cum salute: quorum alterum optare, illorum crudelitatis est; alterum conservare, clementiae tuae.

*Illorum*) Adversariorum. Videtur certe quidem hac oratione nihil Deiotaro impetravisse. Philipp. II, 37. *Quis enim cuiquam inimicior quam Deiotaro Caesar?* etc. PATR.

IN ORATIONEM PRO REGE DEIOTARO

# SCHOLIA ANTIQVA INEDITA

QVAE VIDENTVR EXCERPTA E COMMENTARIIS
DEPERDITIS ASCONII PEDIANI

Cap. I. *Ad accusandum dominum*) Deiotarus enim trahens (1) apud Caesarem suspicionem, quod ob dolorem amissi regni alieno animo esset effectus, purgandi sui gratia legatos miserat Romam Hieram et Blesamium et Astigonum, quibus servum suum Phidippicum medicum adiunxerat: quem a pedibus legatorum ad criminandum regem Castor nepos idemque accusator abduxit.

Cap. III. *Adflictum illum quibusdam incommodis*) Bene minuit iniuriam regni amissionis, cuius eum Caesar parte multaverat: quo extenuando quod passus erat, adimeret in Caesarem iusti causam doloris, ex qua insidiae poterant oboriri.

Cap. IV. *Ornamenta tu ipse plurima et maxima*) Non erat, inquit, mirandum tantum auctoritatis habuisse Pompeium, qui cum divinis praecelleret ornamentis, etiam tuis *instructus est.* Vult autem intelligi, quod eum Caesar ob tot exempla virtutis delegerit generum. Ornamenta igitur in Pompeium conlata, filia Caesaris intelligenda est. (2)

Cap. VII. *Qualis rex Attalus* (3) *in P. Africanum fuit*) Rex

(1) Nempe *contrahens*) Sic apud Cic Philipp. III. 6: « Cognomen ex contumelia *traxit* » nempe *contraxit*. Et Ovid. Fast. I. haud procul a fine

*Ille Numantina traxit ab urbe notam.*

Nempe ille Scipio Aemilianus splendorem a Numantia contraxit. Maius

(2) Nempe *Iulia*, quam Caesar Cn. Pompeio collocavit. Vid. Sueton. in Caesare XXI. Id.

(3) Vrsinus in hoc loco Ciceronis mallet τῷ *Attalus* substituere *Antiochus*

Attalus populo Romano artissima fuit societate coniunctus, usque adeo, ut eum quoque regni sui heredem fecerit. Idem igitur oppugnanti Numantiam Scipioni non tantum a quibus fulciretur belli necessitas in Hispaniam misit, verum etiam dona praetiosa, quae sumpsit gratulans Africanus. Regis Deiotari *tantam* in Caesarem liberalitatem, *quantam* in Africanum Attali, fuisse confirmat.

CAP. IX. *Secutum bellum est Africanum. Graves de te rumores*) Rumor enim repente ortus falsissimus fuit, Caesarem in Africa circumiectu Maurorum cum omnibus copiis occidisse. Qua spe ad resuscitandas Pompeii partes erectus Caecilius videbatur. — *Admiranda frugalitas*) Sordidus enim, laudis egenus; in rege frugalitatem esse mirandam.

CAP. X. *Suasor fuissem armorum non ponendorum sed abiiciendorum*) Integris, inquit, rebus pacem Pompeio suasi, et arma debere deponi. Post Pharsalicum autem proelium *arma abiicienda* non deponenda Pompeio concederem. Dicit ergo: omnium infractis et comminutis animis, solus Castor constantiam retinebat.

a quo munera missa ad Scipionem narrat Liviana epitome Lib. LVII. Sed tamen et textus cod. nostri satis antiqui et Scholiastes confirmant lectionem *Attalus*, nec non reliqui omnes Ambrosiani codices. ID.

# ORATIONES PHILIPPICAS

IN

M. ANTONIVM

# ORATIONES PHILIPPICAS

IN

# M. ANTONIVM

---

## PROLEGOMENA

A. V. C. DCCIX, C. Iulius Caesar quum dictaturam gereret, M. Aemilio Lepido magistro equitum, simul vero quintum consul esset una cum M. Antonio, Kal. Ianuariis in senatu dixit se priusquam ad Parthicum bellum proficisceretur, P. Cornelium Dolabellam consulem esse iussurum (Philipp. II, 32). M. Antonius restitit, dixitque se comitia eius auspiciis aut habenda impediturum aut habita vitiaturum. Comitiis habitis, Dolabella cos. creatur; confecto demum negotio Antonius ALIO DIE dixit (ibid. c. 32). Lupercalibus XV Kal. Mart. quum Caesar pro rostris sedens in sella aurea Lupercos spectaret, Antonius consul idemque Lupercus capiti eius diadema admovit, quod ille cum populi plausu reiecit (Philipp. II, 54). Antonius tamen in fastis ad Lupercalia adscribi iussit: *C. Caesari dictatori perpetuo M. Antonium consulem populi iussu regnum detulisse, Caesarem uti noluisse* (ib. c. 34). Diadema illud Caesar in Capitolium Iovi Opt. Max. misisse dicitur, solum eum Romanorum regem esse dictitans (Sueton. Caes. c. 79, Dio Cass. XLIII, 60, Plutarc. in Caes. c. 61). Idibus Martiis Caesar a coniuratis quorum principes fuerunt M. Brutus, C. Cassius, Decimus Brutus Albinus, Cn. Domitius, C. Trebonius, Cassius Parmensis, tribus et viginti vulneribus in curia confossus est. Interfectores quum e curia in forum properarent, M. Brutus cruentum pugionem tenens Ciceronem exclamavit, eique recuperatam libertatem gratulatus est. Ex quo Antonius collegit eum coniu-

rationis conscium fuisse (Philipp. II, 12). Constat autem inter omnes, coniuratos Ciceronem consilium interficiendi Caesaris diligenter celasse, quod scilicet eius timiditatem, senilemque εὐλαβείαν vererentur (Plutarch. in Cic. c. 42). Ceterum etsi coniuratis aliquando propositum fuerat, Antonium una cum Caesare interficere, abiectum tamen est hoc consilium Decimo Bruto potissimum auctore. Trebonius tamen Antonium ante curiam, ne forte Caesari subvenire posset, confabulatione detinuit. E foro coniurati se in Capitolium receperunt. Antonius a curia fugiens domi se continebat. In Capitolio quum coniurati Ciceronem Antonium adire vellent, ut eum ad defendendam rempublicam hortaretur, Cicero se iturum constanter negavit, ostenditque Antonium, quoad metueret, omnia promissurum, simul ac metuere desiisset, similem eum futurum sui (Philipp. II, 35). Tertio autem post Caesaris caedem die, Liberalibus a. d. XVI Kal. April. senatus habitus est in aede Telluris; eo Cicero etiam, quamvis invitus, venit, quum omnes aditus armati obsiderent (Philipp. II, 35). Ibi oratione habita, quam Dio Cassius stilo suo expositam retulit (XLIV, 63), iecit quantum in ipso fuit fundamenta pacis, Atheniensiumque vetus exemplum in discordiis sedandis, usurpato etiam graeco ἀμνηστίας vocabulo, omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censuit. Antonius ipse quoque se concordiam velle oratione habita simulabat (Appian. B. C. II, 133) eiusque et Lepidi liberis obsidibus datis pax cum coniuratis confirmata videbatur. Factum est etiam SCtum: de caede Caesaris quaeri in iudicio non placere; acta vero eius decretaque rata esse; quoniam ita e republica esse videatur; denique Caesarem funere efferendum eiusque testamentum proferendum esse, Pisone auctore, censuerunt. Itaque Caesaris interfectores e Capitolio descenderunt; Brutus apud Lepidum, Cassius apud Antonium, ceteri apud alios coenarunt. Postero die in senatu provinciae decretae, Bruto Creta, Cassio Africa, Trebonio Asia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior. Caesar autem quum funere efferretur, corpore eius in foro ante rostra deposito, Antonius eum oratione ad misericordiam plebis concitandam composita laudavit, qua audita plebes statim a funere (Suet. Caes. c. 85) ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit, Helvium Cinnam, quasi Cornelius is esset, errore nominis decepta occidit, solidam columnam in foro Caesari statuit, inscripsitque *Parenti Patriae*. Antonius vero ad deliberationes eas, quas habebat domi de republica,

principes civitatis adhibebat; ad senatum res optimas deferebat; dictaturam etiam funditus e republica sustulit sententia sua, quam quum scripto senatusconsulto, quod in senatum attulerat, comprehendisset, senatus eius auctoritatem summo studio sequutus amplissimis verbis ei gratias egit.

Interim Brutus et Cassius ex urbe discesserunt. Cicero quoque urbe relicta, villas suas lustravit. Ac primum quidem circa Nonas Apriles e suburbano ad Matium devertit (ad Att. XIV, 1), qui Caesaris mortem ingenue dolens, prudenter vidit, tantum abesse, ut Caesaris obitus utilis esset reipublicae, ut potius perturbationem omnium rerum secuturam esse auguraretur. Circa VI Id. Apriles Bruto et Cassio absentibus plausus datus est ludis Megalensibus, quum Publius mimus versiculos quosdam pronuntiasset, quae ad eorum laudem trahi possent (ad Att. XIV, 2). Paulo post Cicero in Tusculano a structoribus, quorum opera in aedificatione utebatur, ad frumentum profectis, quum inanes rediissent, accepit Romae frumentum omne ad Antonium portari, quem quidem epularum magis rationem habere putabat, quam quidquam mali cogitare (ad Att. XIV, 3). Idem tamen IV Id. Apr. Lanuvii quum esset, legiones verebatur, quae cum signis ferebantur e Gallia adventare; omninoque dolebat Caesaris satellites in imperiis esse; exercitus, qui Caesaris profectionem in Parthos exspectantes in urbe eiusque vicinia permanserant, una cum veteranis, quibus Caesar partem agri Campani assignaverat, reipublicae nova pericola minari; Brutum autem et Cassium se parietibus continere. Circa idem tempus Octavius, Caesaris heres, audita eius nece Apolloniae, quo eum Caesar studiorum causa miserat, in bello Parthico commilitonem habiturus, in Italiam rediit. Interea Romae fugitivus quidam a Caesare relegatus, quod se Marii septies consulis nepotem dictitasset, medicus equarius, quem Appianus Amatium, Valerius Max. Herophilum nominat, ausus est in urbem redire, aram Caesari eo loco, ubi crematus erat, posuit, seditionesque excitavit, e quibus magna caedes senatui impendere videbatur, quas ipse Antonius sumpto de eo supplicio composuit. Eius enim iussu necatus eique uncus impactus est. Paulo post etiam Dolabella in homines de plebe et servos, qui apud columnam Caesari erectam sacrificabant, vota suscipiebant, tumultus ciebant, severissime animadvertit, liberis de saxo Tarpeio deiectis, servis in crucem actis, simulque columnam illam deiici iussit locumque sternendum locavit. Interim dum Antonius

rebus suis intentus Italiam percursabat, Octavius a. d. XIV Kal. Maias Neapolim venit, Caesaris hereditatem aditurus. Is Ciceronem Puteolis invisit, cum eoque peronorifice et amice collocutus effecit, ut Cicero de eius animo in rempublicam bene speraret, etsi identidem quid aetati, ut adolescentis XVII annorum, quid nomini, quum iam se Caesarem Octavianum appellasset, quid hereditati ab eo acceptae, quid institutioni Caesarianorum credendum esset, dubitabat. Antonius autem quum multa moliretur libertati perniciosa, quasi a Caesare constituta, cuius e chirographis ab ipso corruptis, quaecumque vellet, proferebat, Cicero quotidie iter in Graeciam meditabatur; incertus tamen utrum melius esset fugere, an in Italia manere, saepe in utramque partem distrahebatur in deliberando, ancipitemque curam cogitandi cum Attico suo communicabat. Ad Cassium quoque exeunte mense Maio ita scripsit: *ut adhuc quidem actum est, non regno sed rege liberati videmur. Interfecto enim rege regios omnes nutus tuemur. Neque vero id solum, sed etiam quae ipse ille, si viveret, non faceret, ea nos, quasi cogitata ab illo, probamus. Nec eius quidem rei finem video. Tabulae figuntur; immunitates dantur; pecuniae maximae describuntur; exsules reducuntur; senatusconsulta falsa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri* (Caesaris) *et servitutis dolor depulsus esse videatur, respublica iaceat in his perturbationibus, in quas eam ille coniecit* (ad Fam. XII, 1). Attamen Cicero iisdem diebus Romam rediit, ut Kalendis Iuniis in senatu adesset. Eodem autem die, quum Antonius agmine quadrato milites adduxisset, senatores insidias et vim metuentes repente diffugerunt (Philipp. II, 42). Cicero in Tusculanum se contulit, ubi III Non. Iun. ad Atticum scripsit (XV, 9) vehementer indignatus, quod audiverat fore Nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent. E Tusculano Cicero Antium profectus est; in Antiati aliquot dies commoratus, cetera etiam praedia, Arpinas, Formianum, Puteolanum, Pompeianum lustravit. Iamque iter in Graeciam parabat, sed ita ut Brundisium iterque illud, quod tritum in Graeciam erat, vitaret. Itaque XIII Kal. Sextil. Veliae fuit, ibique unum diem constitit, quum ad domum Trebatii Testae eo absente devertisset. Inde sinu Paestano et Vibonensi transmisso appulit ad Veliam, ibique unum et alterum diem apud Sicam fuit. Velia proficiscens Topica ad Trebatium in ipsa navigatione conscripsit, eumque li-

brunt Rhegio ad Trebatium misit. Inde Kal. Sext. Syracusas venit. Postero autem die quum eum venti ex Sicilia ad Leucopetram, promontorium agri Rhegini detulissent, ab eo loco conscendit ut transmitteret, sed, quum stadia circiter CCC processisset, reiectus est austro vehementi ad eandem Leucopetram. Quumque intempesta nox esset, mansissetque ventum exspectans in villa P. Valerii, ubi familiariter esset et libenter, municipes Rhegini complures ad eum venerunt, ex iis quidam Roma recentes; a quibus accepit M. Antonii concionem, quae ipsi ita placuit, ut ea lecta primum coeperit de reversione cogitare. Iidem afferebant edictum Bruti et Cassii; nuntiabantque fore frequentem senatum Kalendis Sext.; a Bruto et Cassio literas missas ad consulares et praetorios; ut adessent rogare; addebant praeterea rem conventuram, Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis, ad auctoritatem senatus esse rediturum; denique Ciceronem Romae desiderari, eiusque absentiam subaccusari. Quae quum Cicero audisset, sine ulla dubitatione abiecit consilium profectionis. XVI Kal. Septemb. quum venisset Veliam, M. Brutus qui cum suis navibus apud Haletem fluvium erat, citra Veliam millia passuum III, pedibus eum convenit. Is valde Ciceronis reversione laetatus, narravit ei, quae Kalendis Sextil. in senatu nata essent, L. Calpurnium Pisonem, Caesaris socerum, summis laudibus efferebat, quod invectus erat oratione in Antonium, qui tamen neminem habuerat sibi assentientem. Pridie Kal. Sept. Cicero Romam venit. Kalendis Antonius senatum habuit de supplicationibus Caesari decernendis, et Ciceronem in curiam vocavit. Qui quum e via langueret et sibimet displiceret, misit pro amicitia qui hoc ei diceret. Antonius palam in senatu, nisi veniret, se cum fabris venturum domumque eius disturbaturum dixit. Et Plutarchus quidem scribit, eum milites misisse, quos vel Ciceronem adducere, vel domum eius incendere iusserit, eos tamen, multis intercedentibus, pignoribus captis quievisse. Postridie Cicero in senatum venit, ibique Antonio absente habuit

*Orationem Philippicam primam.*

In hac oratione primum exponit profectionis in Graeciam consilium, quod ob Antonii, qui meliora promiserat, animum inde a Kalendis Iuniis ad perniciosa reipubl. molimina delapsum, ceperat, c. 1, 2; deinde reversionis caussas exponit, simulque

Pisonis orationem Cal. Sextilibus habitam collaudat; c. 3, 4. Tum M. Antonii iniuriam hesterno die sibi illatam castigat, seque si in senatu affuisset sententiae Pisonis assensurum, nec supplicationes Caesari mortuo decreturum fuisse ostendit; c. 5, 6. Iam accedit ad ea, quae reipublicae causa fieri debere existimet. Primum igitur acta Caesaris servanda esse censet, non quo probet, sed quia ratio maxime habenda sit pacis et otii. In quo tamen quaerendum esse, quemadmodum Antonius acta Caesaris defendere velit; an in commentariolis et chirographis et libellis ipso uno (Antonio) prolatis ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, an in legibus a Caesare in aes incisis acta ista firma esse velit. Itaque docet nihil tam esse in actis Caesaris quam leges Caesaris. In his acta Caesaris dissolvi, ferendum non esse. Hic igitur commemorat legem, ne praetoriae provinciae plus quam annum, neve plus quam biennium consulares obtineantur. Deinde ostendit lege illa quam Antonius promulgaverat de tertia decuria iudicum omnes iudiciarias Caesaris leges tolli. Alteram ab Antonio promulgatam, ut et de vi et de maiestate damnati ad populum provocent, si velint, quum omnium legum dissolutionem esse, tum in primis Caesaris legibus obrogare, quae iubeant, ei qui de vi, itemque ei, qui maiestatis damnatus sit, aqua et igni interdici. Vt igitur conservandae concordiae causa leges quas vivus Caesar tulerit, infirmandas non esse arbitretur, sic ne illas quidem, quas Antonius post mortem Caesaris protulerit, evertendas censere. Antonium vero quasi a Caesaris mortui commentariis exsules reduxisse, civitatem non singulis, sed nationibus et provinciis universis dedisse, immunitatibus infinitis vectigalia sustulisse; metuendum vero esse ne Antonius, tribunorum intercessione, auspiciis neglectis, vi et armis, quaecumque libitum fuerit, pro legibus obtrudat; c. 7–10. Iam si libere quae sentiat de republica dixerit, primum deprecatur, ne sibi Antonius irascatur, deinde si hoc non impetret, petit, ut sic irascatur, ut civi, armorum vi abstineat; c. 11. Postremo utrumque consulem Dolabellam praesentem, Antonium absentem cohortatur, ut, quod sit verum iter ad gloriam, cogitent, quippe quae sit laus recte factorum magnorumque in rempublicam fama meritorum, quae quum optimi cuiusque, tum etiam multitudinis iudicio comprobetur; c. 12–15.

Quum igitur de hac Ciceronis oratione ad Antonium relatum esset, hic vehementer iratus Ciceroni inimicitias denuntiavit, eumque a. d. XIII Kal. Octobr. in senatu adesse iussit. Hic

autem partim ab amicis admonitus, partim ipse vitae periculum ab Antonio metuens (etsi Phil. V, 7, ait per amicos sibi cupienti in senatum venire haud licuisse) ei parere noluit. Quum igitur dies XIII Kal. Oct. venisset, Antonius qui XVII dies in Tiburtino Scipionis orationem meditatus declamitando se exercuisset, in senatu acerbissime in Ciceronem invectus est. Huic orationi Cicero opposuit

*Orationem Philippicam secundam*

nunquam habitam, sed tamen ita compositam quasi ipse in senatu eodem die Antonio respondisset. Etenim c. 43, *nescis*, inquit, *heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse? te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? Cur non sumus praetextati? etc.* Iam ludorum Romanorum primus dies erat XVII Kal. Oct. quartus XIV Kal. Oct. quem quum Cicero hesternum dicat, sequitur cum orationem Philippicam II sic instituisse, ut eam XIII Kal. Oct. habitam esse finxerit.

In hac igitur oratione, post exordium c. 1, quo Antonium cum Catilina et Clodio comparat, primum ei respondet, quod amicitiam a Cicerone violatam esse criminatus erat. Itaque negat se ei iniuriam fecisse, quod aliquando contra eius iniuriam familiarem quendam defenderit; negat Antonium se olim in disciplinam suam tradidisse; negat eum sibi auguratus petitionem concessisse c. 2; negat in eo magnum sibi beneficium tribuisse, quod se Brundisii non occiderit, neque tamen se in eum ingratum fuisse, quod nuper in senatu de eius iniuriis in rempublicam questus fuerit, quum nihil sit a se cum eius contumelia, nihil non moderate, non amice dictum; c. 3. Deinde graviter reprehendit Antonium, quod literas ad eum scriptas in medium protulerit palamque recitaverit; c. 4. Iam accedit ad alias Antonii reprehensiones. Ac primo quidem summa iniuria consulatum suum ab Antonio reprehensum ostendit; c. 5, 6. Deinde refutat criminationem, qua clivum Capitolinum Cicerone consule plenum servorum armatorum fuisse dixerat; c. 7. Deinde impudenter eum mentiri demonstrat, quod neget corpus vitrici sui, P. Lentuli, qui cum Catilina in rempubl. coniuraverat, ad sepulturam a Cicerone datum, simulque eum carpit, quod male salsus fuerit in reprehendendo Ciceronis versiculo: CEDANT ARMA TOGAE. Sequitur aliarum criminationum refutatio, quod P. Clo-

dium suo consilio interfectum, c. 9; quod sua opera Pompeium a Caesare disiunctum, ob eamque causam sua culpa civile bellum esse natum, c. 10; quod Caesarem suo consilio interfectum dixerit, c. 11-14. Denique Antonium perstringit, quod sibi castra Pompeii et omne illud tempus obiecerat, c. 15, et quod hereditates sibi venisse negaverat, c. 16, omnemque hanc disputationem irrisione Antonii, quod has nugas tot dies in aliena villa declamando commentatus sit, Sextique Clodii, quem eloquentiae magistrum adhibuerit, concludit; c. 17.

Sequitur altera orationis pars, qua totam Antonii vitam exagitat. In qua exprobrat adolescentiam stupris et pecuniae decoctione infamem, c. 18, intimam in tribunatu cum Clodio consuetudinem, iter Alexandriam duce Gabinio contra senatus auctoritatem et religionis susceptum, reditumque in Galliam, c. 19. Deinde quaesturam eius iterque ad Caesarem, ut eius proquaestor esset, c. 20, et tribunatum Caesari venditum et emancipatum, in quo ei causam belli civilis dederit, reprehendit, c. 22, 23; in reditu a proelio Pharsalico quam turpiter se gesserit, c. 24, 25; post Caesaris reditum ab Alexandria quam insolenter in Pompeii fortunas invaserit, narrat, c. 26, 28. Deinde ei obiicitur quod Caesarem in Africam non sequutus sit, quod eum Caesar post reditum ex Africa de pecunia quam pro domo, pro hortis, pro sectione bonorum Pompeii debebat, appellaverit; quod rumor fuerit, illis ipsis temporibus domi Caesaris percussorem ab isto missum deprehensum esse; c. 29. Tum eius iter in Hispaniam, quo tamen tuto se pervenire haud potuisse dixerat, et Narbone reditum perstringit; c. 30, 31. Postremo, quae ab eo post Caesaris reditum ex Hispania, et post eius mortem acta sint, exagitantur. In his primum eius perfidia in Dolabellam, quem consulatu a Caesare promisso deiicere studuit, c. 32, 33; deinde turpissimum eius facinus, quo Lupercalibus Caesari diadema quasi populi iussu delatum imposuit, notatur c. 34. Tum ei obiicitur, quod post Caesaris interitum, c. 35, funeri eius praefuerit eumque in concione laudaverit; c. 36. Deinde obiurgat Antonium quod, etsi antea in Capitolio praeclara senatusconsulta fecerit, ne qua post Idus Martias immunitatis tabula, neve cuiusquam beneficii figeretur, idemque dictaturae nomen in perpetuum de republica sustulerit, idem tamen mox immunitates populis universis, civitatem provinciis totis dederit, septies millies sestertium ex aede Opis abstulerit, Armeniam regi Deiotaro reddiderit, infinitos Caesaris nomine

commentarios, et innumerabilia chirographa confecerit, Cretam vectigalibus et provinciae nomine liberarit, novas de exsulibus reducendis leges fixerit, in percursatione Italiae mense Aprili et Maio agrum Campanum compransoribus et collusoribus diviserit, Casilinum coloniam deduxerit, quo Caesar iam paucis annis ante deduxisset, M. Varronis fundum invaserit, in eius villa multos dies perbacchatus; c. 37-41; inde Romam cum militibus redierit, leges Caesaris resciderit, testamentum eius irritum fecerit; in ipsis autem honoribus Caesari decretis negligentior fuerit, quam ut in eius memoria diligens possit haberi; c. 43. Postremo eum castigat, quod hoc ipso tempore senatum et forum militibus circumsepserit; minaturque rempublicam eius caede ab ista servitute liberatum iri; c. 44.

In conclusione Antonium dicit eum Caesare sola dominandi cupiditate, ceteris vero rebus nullo modo esse comparandum, eumque ut cum republica in gratiam redeat, quae eum tyrannum non sit latura cohortatur. Sibi vero negat mortem immaturam esse, hoc tantum optare dicit, unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquat, alterum ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur; c. 45, 46. Ceterum hanc orationem Ciceronem non statim, ut eam conscripserat, edidisse, sed Attico tantum legendam dedisse, constat ex epist. ad Att. XV, 13; XVI, 11.

Antonius autem VII Id. Oct. Brundisium profectus est obviam legionibus quatuor, quae in Macedoniam a Caesare missae, post eius caedem in Italiam reverterunt, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere. Octavianus autem veteranos qui Casilini et Calatiae erant, quingenis denariis datis in suam sententiam perduxit. Antonius Brundisii singulis militibus centenas drachmas promisit. Quum autem eius promissis legiones aliquot, in primis legio Martia, reclamassent, ille domum ad se venire iussit centuriones, quos bene de republica sentire cognoverat, eosque ante pedes suos uxorisque suae iugulari coëgit. (Cic. Philipp. III, 2; V, 22; XIII, 18). Paulo post Albae Pompeiae e quatuor istis legionibus Macedonicis legio Martia Antonium reliquit et ad Octavianum transiit. Eandem imitata est legio quarta, duce L. Egnatuleio quaestore. Interim Antonius edixerat ut senatus frequens adesset a. d. VIII Kal. Dec., sed quum ipse eum diem obire neglexisset, a. d. IV Kal. Dec. senatum habuit in Capitolio. Ibi quum nuntius esset legionem Martiam et quartam ad Octavianum transiisse,

repente mente concidit, et paludatus in Galliam citeriorem, Decimi Bruti provinciam, quam ipse tamen a populo obtinuerat, properavit. Eum vero Dec. Brutus provincia exclusit, edictumque proposuit, pollicitus, se provinciam Galliam retenturum in senatus populique Romani potestate (Philipp. III, 4), Cicero autem, qui mense Octobri et Novembri praedia sua Puteolanum, Sinuessanum, Arpinas obierat, V Id. Decemb. Romam rediit (ad Fam. XI, 5). Tribuni plebis edixerunt, ut senatus adesset a. d. XIV Kal. Ian. Cicero etsi statuerat ante Kal. Ianuarias in senatum non venire, tamen quum illo die edictum D. Bruti propositum esset, mane in senatum venit. Retulerunt tribuni plebis ad senatum de praesidio consulum designatorum Pansae et Hirtii, ut senatus Kalendis Ianuariis tuto haberi sententiaeque de republica libere dici possent. Tum Cicero sententiam rogatus habuit

*Orationem Philippicam tertiam;*

in qua primum collaudat Caesarem Octavianum, quod furori Antonii restiterit, exercitu veteranorum militum suapte pecunia comparato, c. 1, 2; legionem item Martiam et quartam, quod Antonium reliquerint, seque ad Caesaris auctoritatem exercitumque contulerint, c. 3; deinde magnis laudibus effert D. Bruti edictum paulo ante propositum, c. 4, 5; tum persequitur Antonii impudentiam, eiusque maledicta in Octavianum, in Q. Ciceronem filium, perstringit, c. 6, 7; in primis edictum quo senatum a. d. VIII Kal. Decembr. adesse iusserat exagitat, fugam denique miseram et foedam carpit; c. 8, 9. Tum tribunis plebis gratias agit, quod de praesidio consulum senatusque retulerint, acerrimumque libertatis defendendae studium commendat, Antonii tetra, iniusta, crudelia facinora recenset, eumque ut cum fratribus ab urbe arceant, nec armis solum sed decretis quoque urgeant, hortatur; suam operam pollicetur; de Bruto, de Octaviano, de Hirtio et Pansa coss. designatis, optime sperare iubet, c. 10–14. Denique in fine orationis sententiam, quam rogatus erat, breviter concludit, censetque, ut coss. designati operam dent, ut senatus Kal. Ian. tuto haberi possit; praeterea D. Brutum, Caesarem Octavianum laudandos, legioni vero Martiae et quartae ob merita in rempubl. honores habendos, et gratias referendas esse; c. 15. Facto senatusconsulto in Cice-

ronis sententiam (Dio Cass. XLV) eodem die, senatu dimisso, in concionem prodiit, habuitque

*Orationem Philippicam quartam*,

in qua quae acta sint in senatu breviter refert, Antoniumque a senatu hostem, nondum verbo appellatum, sed re iam iudicatum esse nuntiat. Idque confirmat Caesaris Octaviani facto, qui exercitum contra Antonium comparando summas a senatu laudes consequutus sit, deinde legionis Martiae et quartae, qui consulem reliquerint, facto, a senatu et populo romano comprobato; denique D. Bruti et provinciae Galliae consiliis, a senatu laudatis, quod senatus auctoritatem populique romani libertatem et imperium ab Antonio, i. c. ab hoste defendendam susceperint; c. 1-4. Postremo Quirites ad recuperandam libertatem cohortatur, seque quantum in ea re cum labore, vigiliis, auctoritate consilio efficere possit, nihil praetermissurum profitetur.

Interim Antonius Mutinam obsidere ibique D. Brutum oppugnare coepit. Kalendis igitur Ianuariis A. V. C. 710, consules C. Vibius Pansa, A. Hirtius, convocato in Capitolium senatu, non solum de Mutinae obsidione, sed omnino de tota republ. deque honoribus et praemiis bene de republica meritorum, de quibus XIII Kal. Ian. SCtum factum erat, retulerunt. Qui primus sententiam rogatus est, non ut nonnulli putarunt, L. Piso, sed, quod Manutius vidit, Q. Fufius Calenus legatos censuit ad Antonium de pace mittendos. Cicero autem quum esset sententiam rogatus, quid ipse censeret, exposuit

*Oratione Philippica quinta*,

cuius partes duae sunt, altera de republica universa, in primis quid de Antonio decernendum sit, altera de honoribus iis decernendis qui rempublicam adversus Antonium defendant.

Prima igitur parte ostendit, si M. Antonius pacem velit, postulandum esse ut arma ponat, ut roget, ut deprecetur. Legatos vero ad eum mittere non iam levitatis esse, sed dementiae. Commemorat igitur leges Caesaris, cuius acta se defendere dicat, ab eo eversas, novas per vim et contra auspicia latas, dissipationem pecuniae publicae, immanes quaestus, venditis falsis decretis, regnis, civitatibus, immunitatibus, falsis SCtis factos. Pessimos homines in tertiam decuriam iudicum coniectos,

armatos homines in templo Concordiae, quo senatum convocaverat collocatos, itineris Brundisini flagitia, et postquam in urbem redisset, repentinam eius fugam, bellum provinciae Galliae illatum, Mutinam obsessam, Brutum oppugnatum; c. 1-9. Ad hunc legatos non esse mittendos; id enim aeque inutile ac periculosum esse, sive ille paruerit legatis, sive non paruerit. c. 10, 11. Itaque potius censet rem administrandam sine ulla mora et confestim gerendam; tumultum decerni, iustitium indici, saga sumi oportere, delectum haberi sublatis vacationibus in urbe et in Italia praeter Galliam tota; omninoque consulibus solam rempublicam commendandam, bisque permittendum esse, ut rempublicam defendant, provideantque ne quid respubl. detrimenti capiat, denique ut iis qui in exercitu Antonii sint, ne sit ea res fraudi, si ante Kal. Febr. ab eo discesserint; c. 12.

Altera parte agit de honoribus Decimo Bruto, c. 13; M. Lepido, c. 14, 15; Caesari Octaviano, c. 16-18; L. Egnatuleio, militibus veteranis legioni Martiae et Quartae habendis, c. 19.

Huic sententiae L. Piso in primis (teste Appiano de B. C. III, 50) restitit, censuitque potius Antonio diem dicendum. Ita senatus divisis fere aequaliter sententiis ad noctem usque protractus, reque nun confecta dimissus est. Postridie Patres in curiam redierunt, ubi praegravante Ciceronis factione hostis esset iudicatus Antonius, nisi Salvius tribunus plebis intercessisset; remque integram in crastinum differri iussisset. Idque frustra repugnantibus Cicerone aliisque senatoribus factum est; SCto tamen D. Brutus laudatus, quod Gallia non decessisset Antonio, decretumque ut cum Hirtio et Pansa coss. Caesar Octavianus praeesset iis, quas tum habebat copiis, et aurata ei poneretur statua; ut sententiam posthac inter consulares diceret, et ius petendi consulatus haberet decennio ante aetatem legitimam; denique ut duabus legionibus, quae ad eum ab Antonio transierant, congiarium quantum ipse Caesar post victoriam se daturum pollicitus esset, ex aerario redderetur. Tertio die pridie Non. Ian. quum per noctem Antonii mater et uxor cum filio potentibus miserabiliter supplicassent, multisque senatoribus in curiam euntibus ad pedes accidissent, exitum rei metuens Cicero iterum in senatu invectus est in Antonium, hostemque eum iudicandum esse censuit, quae sententia vicisset, nisi L. Piso surrexisset, et crimina Antonio obiecta diluere studuisset. Cuius sententiae quod fuerit argumentum exposuit Appianus ibid. c. 54 sqq. Itaque hac oratione effecit, ne hostis iudicaretur Anto-

nius, neque tamen pervicit, ut ei Gallia decerneretur provincia. Decretum potius est, ut ei Macedonia pro Gallia offerretur. Cetera mandata Ciceroni perscribenda commiserunt, et per legatos ad Antonium mittenda. Mandatorum autem hanc summam fuisse Appianus narrat: Antonius a Mutina confestim abscedito; D. Bruto Galliam relinquito; intra Rubiconem Italiae Galliaeque terminum ante praestitutum diem se recipito; resque suas cunctas arbitrio Senatus permittito. Senatu dimisso, Cicero productus ab Apuleio tribuno plebis, concionem habuit ad populum quae est

*Oratio Philippica sexta*

in qua narrat se invito decretum esse, legatos ad Antonium mittendos; eorumque mandata his verbis exponit: Mittuntur *qui nuntient*, *ne oppugnet consulem designatum* (D. Brutum), *ne Mutinam obsideat*, *ne provinciam depopuletur*, *ne delectus habeat*, *sit in senatus populique Romani potestate*; c. 1, 2. Quibus mandatis Cicero apud populum testificatur et praedicit pariturum non esse Antonium, c. 3, neque se metuere dicit, ne ille, refellendi sui causa, vertat se et senatui pareat. Quin, si ipse velit, id L. fratrem passurum non esse, cuius impudentiam et superbiam acerbe perstringit; c. 4, 5. Postremo hortatur Quirites, ut legatorum reditum aequo animo exspectent, et si pacem attulerint, cupidum se, si bellum, providum iudicent; simul, voluntate sua in rempublicam declarata, ut persteut in libertate defendenda hortatur.

Legati ad Antonium profecti sunt Ser. Sulpicius, L. Piso et L. Philippus. Quorum reditus quum exspectaretur, interimque Antonii amici quae responsurus esset Antonius varie confingerent, Cicero veritus ne animi senatorum ad pacem inclinarent, habuit in senatu

*Orationem Philippicam septimam*

in qua postquam exposuit, quae nonnulli Antonii responsa confingant, quum alii dicant postulare illum, ut omnes exercitus dimittantur, alii remittere eum Galliam citeriorem, ultimam poscere, alii eum iam nihil nisi modestum postulare, declarat se alias semper pacis auctorem, pacem cum Antonio esse nolle, idque tres ob causas, quia turpis sit, quia periculosa, quia esse non possit; c. 1-3.

Primum igitur turpitudinem pacis cum Antonio exponit c. 4. Turpem esse pacem, quia turpis sit inconstantia, inconstantis autem sit, quem modo hostem non verbo sed re multis decretis senatus iudicarit, cum hoc subito pace velle coniungi; et quia summum dedecus sit, Antonium tot sceleribus obrutum in ordinem senatorium recipi. Deinde docet periculosum esse in civitate Antonium, vel potius Antonios videre; seque bellum pacis nomine involutum reformidare. Si pace frui velint, bellum gerendum esse. Tertio loco ostendit, ne coagmentari quidem posse pacem cum Antonio. Eum enim neque cum senatu, neque cum equitibus, neque cum universo populo, neque cum municipiis, neque cum principibus aliquot viris pacem servaturum; c. 5-8. Itaque monet Patres conscriptos, ut auctoritatem suam integram servent, inprimis autem consulem Pansam hortatur, ut tantum apparatum suum tamque praeclarum ne ad nihilum recidere patiatur; c. 9.

E legatis ad M. Antonium Ser. Sulpicius in legatione morbo oppressus diem obiit supremum. Piso et Philippus initio mensis Februarii reversi ab Antonio intolerabilia eius postulata retulerunt (Philipp. VIII, c. 9). Quibus auditis Senatus tumultum decrevit. Vicit enim sententia eorum quibus belli nomen haud placeret. Itaque Cicero in senatu habuit

*Orationem Philippicam octavam*

ubi primum nimiam eorum lenitatem reprehendit, qui tumultus potius quam belli nomen in sententia ponendum esse censuerant. In quo eos errore verbi illusos esse dicit. Gravius enim esse tumultum quam bellum, et bellum esse posse sine tumultu, tumultum esse sine bello non posse. Sed verum esse bellum cum Antonio docet, quod ille D. Brutum oppugnet, Mutinam obsideat, Galliam devastet, omninoque sic agat, ut se hostem esse reipublicae ostendat; c. 1-3. Deinde Q. Fufium Calenum refutat, qui pacem suaserat, Antonium defenderat, in Massilienses acerbus fuerat; c. 4-6. Tum reliquos consulares reprehendit, qui iterum ad Antonium legatos mittendos esse censuerant; c. 7, 8. Deinde mandata Antonii, quae legati retulerant, perstringit, simul legatos ipsos vituperat, quod ista mandata auribus accipere potuerint, praesertim quum iis Antonius nihil tribuerit, contra Antonii legato L. Vario Cotylae multa concessa sint, quae a dignitate senatus populique Romani abhorrerent; c. 9,

10. Postremo quid de his rebus censeat exponit: Eorum qui cum Antonio sunt, qui ab armis discesserint ante Idus Martias primas, iis fraudi ne sit quod cum Antonio fuerint. Si quis eorum qui cum M. Antonio sunt, fecerit, quod honore praemioque dignum esse videatur, uti consules de iis primo quoque die ad senatum referant. Si quis post hoc senatusconsultum ad Antonium profectus fuerit, praeter L. Varium Cotylam senatum existimaturum eum contra rempublicam fecisse.

Paulo post quum consul Pansa de honore Ser. Sulpicii, qui legatus ad Antonium cum Pisone et Philippo missus, prope castra quidem pervenerat, sed antequam senatus mandata exponeret, obierat, P. Servilius sententiam rogatus decernendum ei publice sepulcrum censuit, statuam non censuit, quod hunc honorem nemini tribuendum putabat, nisi qui ferro in legatione esset interfectus. Post eum Cicero sententiam rogatus habuit

*Orationem Philippicam nonam*

in qua primum Ser. Sulpicii mortem dolet, eumque laudat, quod non recusaverit, quo minus vel extremo spiritu, si quam opem reipublicae ferre posset, experiretur; c. 1. Laudat igitur C. Pansam cos. quod senatores ad honorandum Ser. Sulpicium cohortatus sit; deinde respondet P. Servilio, qui statuae honorem nemini tribuendum censuerat, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Sulpicio nimirum more maiorum statuam deberi censet, quia ipsa legatio ei morbum attulerit; c. 2, 3. Eam vero eo magis a senatu Sulpicio deberi, quod quum ille morbum excusasset, tamen auctoritate sua et voluntate eum ad legationem hanc, etiam cum mortis periculo obeundam, compulerint; c. 4, 5. Gratiorem tamen ipsi Sulpicio, si sensus sit in morte, futuram esse dicit aeneam statuam eamque pedestrem, quam inauratam equestrem. Itaque censet eiusmodi statuam in rostris statuendam, causamque huius honoris in basi inscribendam, amplissimum ei funus habendum, locumque sepulcro in campo Esquilino assignandum esse; quod ipsius, liberorum posterorumque eius sit, uti quod optimo iure sit publice datum; c. 6 sqq.

M. Brutus, qui anno superiore in Graeciam profectus erat, quum Athenas venisset, multos nobiles adolescentes, in his Ciceronem filium sibi adiunxit, eoque legato usus multa feliciter

gessit. Postea quum in Macedoniam transiisset, Q. Hortensius, cui C. Antonius Marci frater succedebat, exercitum, quem delectu habito conscripserat, Bruto tradidit. Legio item, quam L. Piso ducebat legatus Antonii, Ciceroni filio se tradidit. Equitatus qui in Syriam ducebatur bipartito, alter eum a quo ducebatur, reliquit in Thessalia, seseque ad Brutum contulit; alterum in Macedonia Cn. Domitius adolescens a Cinna, legato Syriaco, abduxit. P. autem Vatinius aperuit Dyrrachii portas Bruto et exercitum tradidit. His de rebus Brutus literas publice misit, quas Pansa consul in senatu recitavit, eumque laudibus ornavit. Primus deinde sententiam rogatus Q. Fufius Calenus iniquior fuit in Brutum; etsi enim literas Bruti recte et ordine scriptas videri dixit, tamen legiones ab eo abducendas esse censuit. Itaque Cicero sententiam rogatus habuit

*Orationem Philippicam decimam*

in qua post gratias Pansae consuli actas statim Calenum aggreditur, miraturque eum ita sententias dicere, ut nemo ei assentiatur, semper sui dissimiles defendere, eaque sentire quae sint inimica et otio communi et dignitati suae; c. 1, 2. Quaerit deinde quid sit, quod Calenus legiones a Bruto abducendas censeat, quas ille ab Antonii scelere averterit, et ad rempublicam sua auctoritate traduxerit; pluribusque verbis ostendit, si C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuisset, Romanos Macedoniam, Illyricum, Graeciam perdituros fuisse; id ne factum sit accidisse virtute M. Bruti, qui C. Antonii conatibus obstiterit. Quare si ipsa resp. iudicaret, eam legiones populi Romani M. Bruto, qui eam conservet, non C. Antonio, qui eam evertat, adiudicaturam; c. 3-6. Vanum deinde esse dicit, quod quidam se timere dicant, quomodo ferant veterani, M. Brutum exercitum habere. Nihil esse cur M. Brutus eiusque exercitus veteranis suspectus sit. Ipsum potius Pansam consulem tantum afuisse, ut periculosum reipublicae M. Bruti putaret exercitum, ut potius in eo firmissimum reipublicae praesidium et gravissimum poneret. Esse etiam absurdam rationem, semper optimis causis veteranorum nomen opponere. Plurimos esse praeter veteranos, qui libertatem populi Romani defendant; undique omnes concurrere ad commune incendium restinguendum. Itaque censet M. Brutum publice laudandum, eique committendum, ut provinciam Macedoniam, Illyricum

totamque Graeciam tueatur, exercitui praesit, pecuniaque si qua opus sit, quae publica sit, et exigi possit, utatur et exigat; Q. Hortensium quoque, quod opera et virtute rempublicam adiuverit, publice laudandum, eique permittendum esse, ut cum quaestoribus, prove quaestoribus, et legatis suis provinciam Macedoniam obtineat, quoad ei ex senatusconsulto successum sit.

C. Trebonius illo tempore Asiam provinciam obtinebat. Eum P. Dolabella in Syriam, Antonii lege sibi traditam, proficiscens post collocutiones familiares cum eo habitas, falsaque et simulata benivolentia eum complexus, Smyrnae oppressit, captumque Samiario exsuli tradidit, per biduum verberibus ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae; post cervicibus fractis caput abscidit idque adfixum gestari iussit in pilo, reliquum corpus tractum atque laniatum in mare abiecit. Quo scelere a. d. Kal. Apr. Romam nuntiato, Dolabella hostis a senatu iudicatus est. Postridie actum est in senatu de imperatore deligendo, qui bello Dolabellam persequeretur. Hic L. Caesar censuit, ut P. Servilio hoc bellum extra ordinem mandaretur; aliis placuit, ut consules Dolabellae persequendi causa Asiam et Syriam sortirentur. Cicero sententiam rogatus dixit

*Orationem Philippicam undecimam*

in qua statim id egit, ut scelus Dolabellae cum M. Antonii immanitate coniunctum, in illo crudelitatis Antonii imaginem, ab hoc illi scelerum praecepta tradita esse, doceret; c. 1-3. Deinde postquam Dolabellam multo miseriorem esse, quam Trebonium, quem ille miserrimum esse voluerit, demonstravit, monet senatum, ut tanto diligentius et vigilantius caveant Antonium, qui multo plures quam Dolabella secum latrones habeat; c. 6. Deinde quoniam Dolabella, utpote hostis iudicatus, bello persequendus erat, Cicero sententias de imperatore deligendo ante se dictas examinat. Ac primum quidem contra L. Caesaris sententiam disputat, qui extraordinarium imperium P. Servilio privato deferendum esse censuerat; ostenditque eiusmodi imperium minime senatus gravitati convenire. Habere etiam hoc incommodum, quod ambitio introducatur in curiam. Neque sibi obiiciendum esse, quod ipse Caesari Octaviano adolescenti imperium extraordinarium sua sententia dederit. Sed hoc factum esse, quod ille reipubl. magnum praesidium, ne cogitatum quidem attulisset. Itaque ei aut exercitum adimendum, aut imperium

dandum fuisse. Otioso vero nihil agenti privato nunquam esse imperium a senatu datum; c. 7, 8. Deinde accedit ad alteram sententiam, ut consules Dolabellae persequendi causa Asiam et Syriam sortiantur. Eam vero rationem Cicero et turpem consulibus et reipublicae inutilem esse docet; c. 9, 10. Ipse autem censet, ad persequendum Dolabellam expedito homine et parato opus esse, et eo qui imperium legitimum habeat; qui praeterea auctoritatem, nomen, exercitum, perspectum animum in republica. Eum vero esse aut M. Brutum, aut C. Cassium, aut utrumque. Sed quia M. Brutum utilius sit in Graecia manere, praesertim quum C. Antonius adhuc teneat Apolloniam, Byllidem, Amantiam; instet Epiro; urgeat Illyricum: C. Cassio potius bellum adversus Dolabellam committendum esse censet; ita ut proconsul provinciam Syriam obtineat, a Q. Marcio Crispo procos. L. Statio Murco procos. A. Allieno legato exercitus accipiat; cumque his copiis, et si quas praeterea paraverit, bello P. Dolabellam terra marique persequatur, atque eius belli gerendi causa, quibus ei videatur, naves, nautas, pecuniam cetera imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto ius potestatemque habeat; c. 11-14. His dictis, respondet iis, qui a se Brutum et Cassium nimis exornari dicebant; et qui metuebant, ne veteranos ea re offenderet; c. 14, 15. Haec sententia, ut Cicero scribit ad Cassium (ad Fam. XII, 17), in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer restitisset. Attamen ea sententia dicta productus est Cicero in concionem a tribuno plebis M. Servilio. Ibi de Cassio dixit summo clamore et consensu populi. Sane paulo post, ut scribit Velleius Paterculus lib. II, c. 62, Bruto Cassioque provinciae, quas iam ipsi sine ullo senatusconsulto occupaverant, decretae. Laudati quicumque his se exercitus tradidissent, omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. Ceterum Cassius iam ante quam id rescire posset, multa adversus Dolabellam prospere gesserat, atque ab Allieno et Murco, et Crispo exercitus acceperat (quod ipse narrat Epist. ad Fam. XII, 12).

Paulo post a Pisone et Q. Fufio Caleno iniecta erat mentio pacis cum Antonio faciendae. Id Pansa consul, et Cicero ipse cum aliis sic interpretabatur, eum in his angustiis esse, ut spes afferatur deditionis. Et Ciceronis quidem spem augebat hoc, quod domum Antonii afflictam moestitia, lamentari uxorem audiverat, fautores quoque Antonii tristiores videbat. Itaque constitutum est, legatos iterum ad Antonium de pace mittendos

esse. Sero tamen intellectum est, libertatis defensores ab amicis Antonii deceptos esse. Itaque Cicero in senatu habuit

*Orationem Philippicam duodecimam*

cuius in exordio breviter narrat, quo errore factum sit, ut legatio decerneretur, c. 1, 2; deinde ostendit optimum portum poeniteuti mutationem esse consilii; ideoque omittendam esse legationem ad Antonium iam decretam. Eam enim non solum reipublicae nihil prodesse, sed etiam obfuturam esse, immo iam nocuisse. Fama enim decretae huius legationis imminutam esse populi Romani libertatis recuperandae cupiditatem, debilitatum iri municipiorum et coloniarum studia, metuendum esse ne legionum fortitudo hoc nuntio allato languescat; praeterea iniquissimum esse imperatoribus, qui bellum gerant, inscientibus de pace decernere. Denique Galliam, quae omnes aequo animo belli iniurias tulerit, hanc rem molestissime laturam; c. 3, 4. Deinde demonstrat ne posse quidem ullam pacem fieri cum Antonio; nihil enim ei earum rerum quas postulet, concedi posse. Neque eum verecundiorem in postulando fore, quam fuerit tum, quum mandata miserit ad senatum; c. 5-7. Quod si autem habenda cum Antonii latrocinio pacis ratio fuerit, suam tamen personam ad istam pacem conciliandam minime fuisse deligendam. Se enim semper hanc pacem dissuasisse, se sine summo dolore M. Antonium hostem suum crudelissimum eiusque fratrem Lucium, eorumque asseclas adspicere non posse; denique vitae suae habendam sibi aliquam esse rationem. Itaque demonstrat, quantae insidiae sibi in itinere, in congressu cum Antoniis, in reditu immineant. Postremo se, si tuto licuerit ire, profecturum, omninoque totum hoc consilium non e periculo suo, sed ex utilitate reipublicae iudicaturum esse declarat; c. 8-12.

Post hanc orationem, mense Aprili, Pansa consul profectus est ad bellum cum M. Antonio, qui Mutinam obsidebat, gerendum (Cf. Epist. ad Fam. X, 30). Interim M. Aemilius Lepidus, pontifex maximus, qui, etsi ei decreta erat Hispania, in Gallia morabatur, et iam tum ad Antonii partes inclinabat, literis ad senatum missis eum ad pacem cum Antonio faciendam cohortatus est. Ad eum exeunte Martio (ad Fam. X, 27) ita scripserat Cicero: *Pacis inter cives conciliandae te cupidum esse laetor. Eam si a servitute seiungis, consules et reipublicae et dignitati tuae. Sin ista pax perditum hominem in possessionem*

*impotentissimi dominatus restitutura est, hoc animo scito omnes sanos esse, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientius, meo quidem iudicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quae neque senatui, neque populo, nec cuiquam bono probatur.* Sed de literis istis M. Lepidi quum esset in senatu relatum, Cicero Servilii sententiae assensus habuit in senatu

*Orationem Philippicam tertiam decimam*

in qua primum declarat se a principio huius belli timuisse, ne conditio insidiosa pacis libertatis studia restingueret. Quamvis enim dulce sit ipsum nomen pacis, res vero ipsa tum iucunda, tum salutaris, pacem tamen cum Antonio eiusque fratribus et asseclis esse non posse; c. 1–3. At enim M. Lepidum imperatorem iterum, pontificem maximum, ad pacem adhortari. Cuius quum apud se vel propter ipsius virtutem, vel propter familiae dignitatem, denique ob magna eius in se merita, et sua quaedam in illum officia summa sit auctoritas, idemque rempublicam magno beneficio affecerit, pace cum Sex. Pompeio Cn. Magni filio conciliata, tamen talem virum et civem opinione labi posse, voluntate a republica dissidere nullo pacto posse. Neque enim exspectandum esse, ut, qualem Pompeium respublica habitura sit civem, tales futuros in republica Antonios; c. 4, 5. Et quoniam fuerant in senatu, qui pacem cum Antonio suaserant, quod ad eam Lepidus hortaretur, qui cogere posset, providendum esse Lepido dicit, ne quid arrogantius, quam eius mores ferant, facere videatur. Si enim exercitu terrere velit, non meminisse eum, illum exercitum senatus populique Romani non suum esse, neque ei licere hunc exercitum contra patriam ducere, c. 6, 7. Et quod nonnulli periculum metuant, ne ab ipso Antonio patria opprimatur, ostendit, hoc tanti non esse, ut populus Romanus eius metu adductus pacem cum homine faciat, cuius ne supplicio quidem ullo satiari posse videatur, c. 8, 9. Id ut magis confirmet, recitat literas Antonii nuper ad Hirtium cos. et Caesarem Octavianum scriptas, earumque singulas sententias partim salse, partim acerbe perstringit; c. 10–20. Postremo de mandatis literisque M. Lepido se Servilio assentiri dicit, qui nullam cum Antonio pacem faciendam esse censuerat; praeterea Sex. Pompeium Cn. filium publice collaudandum censet, idque vel cum altero Senatusconsulto coniungendum, vel separatim perscriben-

dum esse, ut proprio Senatusconsulto Pompeius collaudatus esse videatur; c. 21.

Paulo post hanc orationem in senatu habitam tristes a Mutina rumores Romam venerunt, D. Brutum, fame laborantem, iam eo adactum esse, ut de deditione cogitaret, sermoque exortus est, Ciceronem pridie Vinalia cum fascibus descensurum esse. Sed aliquot diebus post P. Apuleius tribunus plebis concionem habuit, in qua quum Ciceronem liberare suspicione fascium vellet, una voce cuncta concio declaravit, nihil esse a Cicerone unquam de republica, nisi optime cogitatum. Post hanc habitam concionem duabus tribusve horis optatissimi nuntii et literae de rebus apud Mutinam gestis Romam venerunt. Ducibus enim Hirtio et Pansa coss. itemque Caesare Octaviano propraetore, Antonius uno die tribus locis victus est. Et Pansa quidem consul, qui suo loco confligendi initium fecerat, duobus vulneribus acceptis, Bononiam delatus est. Quum igitur trium ducum C. Pansae A. Hirtii coss., Caesaris Octaviani propraetoris literae allatae essent, quibus Antonius tribus locis victum et profligatum esse nuntiabatur, nondum tamen D. Bruto obsidione Mutinae liberato, repente a populo laetitia elato Cicero in Capitolium deductus est, indeque domum cum gratulatione reductus. Postridie autem, pridie Vinalia, X Kal. Maii Cicero habuit in senatu

*Orationem Philippicam decimam quartam*

cuius in principio statim refutat sententiam eorum, qui quasi iam omnia confecta essent, a sagis ad pristinum vestitum redeundum esse censuerant, monetque exspectandum esse, donec Brutum egressum esse Mutina cognoverint; eius enim salutem huius belli confectionem esse; c. 1, 2. Deinde quum exercituum gladii sanguine madefacti sint duobus consulum, tertio Caesaris Octaviani proelio, eos adversus quos pugnaverint, non cives, sed hostes habendos esse. Mirum igitur esse, Antonium, qui omnes hostes scelere superaverit, nomine adhuc hostis carere; supplicationem de victoria decerni, hostem Antonium non appellari; c. 3, 4. Deinde censet, praeter supplicationem iam Servilii sententia decretam, tres illos duces Hirtium, Pansam, Caesarem imperatores appellandos esse. Vtroque autem et supplicationis, et imperatorii nominis honore necessario declarari hostem esse Antonium; c. 5-8. Sequuntur singulorum ducum laudes, quibus

expositis Cicero aucto dierum numero, eorum trium nomine quinquaginta dierum supplicationes vel ab ipsis consulibus, vel, si afuerint, a M. Cornuto praetore urbano ad omnia pulvinaria habendas decernit, c. 10. Deinde ostendit declarandum esse militibus fortissimis quam memores sint cives eorum virtutis, quamque grati. Itaque primum ea, quae promissa sint legionibus, hodierno SCto renovanda esse censet, c. 11; deinde legionis Martiae militibus, eisque qui una pugnantes occiderint, monumentum quam amplissimum faciendum esse, incisisque literis virtutis testibus memoriam eorum posteritati commendandam, c. 12; postremo proximos eorum, qui pro patria in illis proeliis occiderint consolandos esse. Quibus quidem etsi optima haec quidem consolatio sit parentibus, quod tanta reipublicae praesidia genuerint; liberis, quod habituri sint domestica exempla virtutis; coniugibus, quod iis viris careant, quos laudare, quam lugere praestet; fratribus, quod in se ut corporum sic virtutum similitudinem esse confisuri sint: tamen his maximum quoque solatium futurum, eodem monumento declarari et virtutem suorum et pietatem et senatus fidem et crudelissimi memoriam belli, in quo nisi tanta militum virtus exstitisset, parricidio M. Antonii nomen populi concidisset. Postremo censet praemia militibus promissa viris victoribusque cumulate, quum tempus venerit, persolvenda; qui autem ex iis, quibus illa promissa sint, pro patria occiderint, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus omnia ea tribuenda esse, quae militibus ipsis tribui oporteret, si, qui morte vicerint, vivi vicissent.

IN

# M. ANTONIVM

## PHILIPPICA PRIMA

### I.

Antequam de republica, Patres conscripti, dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium et profectionis et reversionis meae. Ego quum sperarem, aliquando ad vestrum consilium auctoritatemque rempublicam esse revocatam, manendum mihi statuebam, quasi in vigilia quadam consulari ac senatoria. Nec vero usquam discedebam, nec a republica deiiciebam oculos, ex eo die, quo in aedem Telluris convocati sumus. In quo templo, quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis, Atheniensiumque renovavi vetus exemplum, graecum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa; atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui. Praeclara tum oratio M. Antonii; egregia etiam voluntas; pax denique per eum, et per liberos eius cum praestantissimis civibus confirmata est. Atque his

*Graecum etiam verbum*) Quidam hoc loco interserunt graecam vocem ἀμνηστίας.

*Quo tum in sedandis discordiis etc.*) Schützius ex emendatione Ferrarii, probante Ernestio, edidit: *quod tum in sedandis discordiis civitas illa*, eoquod vocab. *usa* non habeat MS. Ferrar. et Guelf. et *quod* pro *quo* legatur in edd. pr. Typ.

*Per liberos eius*) Imo per unum filium, ut omnes historici tradiderunt: sed liberos numero multitudinis pro unico filio, aut etiam filia Latini scriptores libenter usurpant, ut alias ex Gellio et iuris consultis notavimus. Abr.

principiis reliqua consentiebant. Ad deliberationes eas, quas habebat domi de republica, principes civitatis adhibebat; ad hunc ordinem res optimas deferebat; summa constantia ad ea, quae quaesita erant, respondebat: nihil tum in C. Caesaris commentariis reperiebatur. Num qui exsules restituti? Vnum aiebat, praeterea neminem. Num immunitates datae? Nullae, respondebat. Assentiri etiam nos Ser. Sulpicio, clarissimo viro, voluit, ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Caesaris, aut beneficii figeretur. Multa praetereo, eaque praeclara. Ad singulare enim M. Antonii factum festinat oratio. Dictaturam, quae vim iam regiae potestatis obsederat, funditus ex republica sustulit. De qua ne sententias quidem diximus. Scriptum senatusconsultum, quod fieri vellet, attulit. Quo recitato, auctoritatem eius summo studio sequuti sumus, eique amplissimis verbis per senatusconsultum gratias egimus.

II. Lux quaedam videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, sed etiam regni timore sublato; magnumque pignus ab eo reipublicae datum, se liberam civitatem esse velle, quum dictatoris nomen, quod saepe iustum fuisset, propter perpetuae dictaturae recentem memoriam, funditus ex republica sustulisset. Liberatus caedis periculo paucis post die-

*Deferebat*) Ern. maluit *referebat.*

*Summa constantia*) Vulgo edebatur *summa cum dignitate et constantia.* In MS. Faërn. aberant verba *cum dignitate et*, eaque Ernestius pro glossemate delevit.

*Caesaris commentariis*) Olim hic addebantur ista: *nisi quod erat notum omnibus.* Haec absunt a MS. Guelf. et aberant a quatuor codd. Graevii. Ernest. igitur e textu circumscripsit.

*Vnum aiebat*) Videtur intelligere Sextum Clodium, de quo ipse Antonius epistola quadam ad Ciceronem, quae habetur lib. XIV ad Atticum: *A Caesare petii ut Sext. Clodium restitueret, impetravi* etc. Abr.

*Obsederat*) Ern. coni. *obtinebat.*

*Oblata*) Ernestius credebat Ciceronem scripsisse *oborta.*

*Caedis periculo*) Narrat historiam Plutarchus in Antonio de quodam,

bus senatus; uncus impactus est fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaserat. Atque haec omnia communiter cum collega. Alia porro propria Dolabellae: quae, nisi collega abfuisset, credo eis fuisse futura communia. Nam, quum serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius; iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant; et quotidie magis magisque perditi homines, cum sui similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animadversio fuit Dolabellae, quum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros et nefarios liberos, talisque eversio illius exsecratae columnae, ut mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse. Ecce enim Kalendis Iuniis, quibus ut adessemus edixerat, mutata omnia; nihil per senatum, multa et magna per populum, et absente populo et invito. Consules designati se audere negabant in senatum venire; patriae liberatores urbe carebant ea, cuius a cervicibus iugum servile deiecerant: quos tamen ipsi consules et in concionibus et in omni sermone laudabant. Veterani qui appellantur, quibus hic ordo diligentissime cave-

qui, quum se diceret Marii filium, plebem in coniuratos et Senatum concitabat, adeoque per M. Antonium supplicio affectus est. Ferr.

*Paucis post diebus senatus*) In MS. Graev. additum *videbatur*.

*Iidemque*) Et scelerati homines de plebe infima, et servi. Man.

*Bustum in foro facerent*) Caesari, ubi crematus erat, in foro constituerent. Man. Vide Sueton.

*Insepultam sepulturam effecerant*) Cremaverant enim Caesaris corpus in foro, ut ait Suetonius, aridis virgultis, subselliis, ac tribunalibus: quum in campo Martio rogus exstructus esset. *Insepultam sepulturam* vocat vel quia servata cremandi, et sepeliendi consuetudo non est: vel quia, ut infra dicitur, *sepulcrum Caesaris nusquam exstaret*. Man.

*Exsecratae columnae*) Suetonius: Plebs solidam columnam prope viginti pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque *Parenti patriae*. Man.

*Ab illo uno die*) Ern. malebat *primo die*.

*Liberatores*) Brutus, et Cassius. De quibus infra.

*Qui appellantur*) Caesariani milites, quibus post emerita stipendia

rat, non ad conservationem earum rerum, quas habebant, sed ad spem novarum praedarum incitabantur. Quae quum audire mallem, quam videre, haberemque ius legationis liberum, ea mente discessi, ut adessem Kalendis Ianuariis, quod initium senatus cogendi fore videbatur.

III. Exposui, Patres conscripti, profectionis consilium: nunc reversionis, quae plus admirationis habet, breviter exponam. Quum Brundisium, iterque illud, quod tritum in Graeciam est, non sine causa vitavissem, Kalendis Sextilibus veni Syracusas, quod ab urbe ea transmissio in Graeciam laudabatur: quae tamen urbs mihi coniunctissima, plus una me nocte cupiens retinere, non potuit. Veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios adventus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. Quum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent; ab eo loco conscendi, ut transmitterem: nec ita multum provectus, reiectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. Quumque intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii, comitis et familiaris mei, postridieque apud eundem, ventum exspectans, manerem: municipes Rhegini complures ad me venerunt; ex his quidam Roma recentes: a quibus primum accipio M. Antonii concionem; quae ita mihi placuit, ut, ea lecta, de reversione primum coeperim cogi-

caverat Senatus, ut in agros sibi assignatos emolumenta, sive commoda militiae percepturi primo quoque tempore mitterentur. Abr. Ait veteranos appellatos fuisse ab Antonio, sive compellatos in concione ad ulciscendam Caesaris necem ut coirent, quod patet ex historicis, et epistolis ad Atticum, et verbis sequentibus. Graev. — Haec Ernestio spuria visa. In edd. vett. et MSS. plerisque *appellabantur*, id etsi vulgato deterius, tamen Graevius restituit.

*Non sine causa vitavissem* ) Vitavit metu quatuor legionum Antonii, quae erant Brundusii. Epist. 2, et 4, lib. XVI ad Attic. Max.

tare. Nec ita multo post edictum Bruti affertur et Cassii. Quod quidem mihi, fortasse quod eos etiam plus reipublicae, quam familiaritatis gratia, diligo, plenum aequitatis videbatur. Addebant praeterea (fit enim plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, laetius) rem conventuram; Kalendis Sextilibus senatum frequentem fore; Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis, ad auctoritatem senatus esse rediturum.

IV. Tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque venti satisfacerent; non quo me ad tempus occursurum putarem, sed ne tardius, quam cuperem, reipublicae gratularer. Atque ego celeriter Veliam devectus, Brutum vidi; quanto meo dolore, non dico. Turpe mihi ipsi videbatur, in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet; et ibi velle tuto esse, ubi ille non posset. Neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi. Erectus enim maximi ac pulcherrimi facti sui conscientia, nihil de suo casu, multa de vestro querebatur. Ex quo primum cognovi, quae Kalendis Sextilibus in senatu fuisset L. Pisonis oratio:

*Remissis Galliis provinciis*) Haec erat praecipua discordiae causa, quod Senatus decreverat Antonio provinciam Macedoniam, ipse contra voluntatem Senatus impetraverat a populo Galliam citeriorem. FERR.

*Tum vero — ad reditum*) Graev. e MS. *Hic vero tanta sum cupiditate incensus, ut ad reditum.*

*Brutum vidi*) Quum incensis ob Caesaris necem veteranorum animis, Bruto et Cassio vitae periculum imminerat, Senatus, ut eos praesenti periculo subduceret, his duobus annonae curam mandavit; et quod Praetores erant, decrevit ut legibus solverentur, si ab urbe plus quam decem dies abfuissent. Brutum Veliae vidit Cicero magno suo cum dolore, quod vir unice amans rempublicam non auderet in urbe subsistere. ABR.

*Multa de vestro*) Sic Ernest. et Schütz. Vulgo *de nostro*. T.

*L. Pisonis oratio*) Quaenam haec fuerit Lucii Pisonis oratio habita Kalendis Sextilibus in Senatu, non satis constat: id constat unum, eam fuisse liberrimam. Vide infra, et Philipp,

qui quamquam parum erat (id enim ipsum a Bruto audieram) a quibus debuerat, adiutus, tamen et Bruti testimonio (quo quid potest esse gravius?) et omnium praedicatione, quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consequutus. Hunc igitur ut sequerer, properavi, quem praesentes non sunt sequuti: non ut proficerem aliquid (neque enim sperabam id, neque praestare poteram), sed ut, si quid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videbantur praeter naturam, praeterque fatum), huius diei vocem testem reipublicae relinquerem meae perpetuae erga se voluntatis.

Quoniam utriusque consilii causam, Patres conscripti, probatam vobis esse confido, priusquam de republica dicere incipio, pauca querar de hesterna M. Antonii iniuria; cui sum amicus; idque me nonnullo eius officio debere prae me semper tuli.

V. Quid tandem erat causae, cur in senatum hesterno die tam acerbe cogerer? solusne aberam? an non saepe minus frequentes fuistis? an ea res agebatur, ut etiam aegrotos deferri oporteret? Hannibal,

V, cap. 7. Ex quibus merito dubites de fide Appiani, qui libro III de bellis civilibus, L. Pisonem Antonio patrocinantem, et Ciceroni repugnantem inducit. ABR.

*Videbantur*) In Cod. Faërn. et Mureti *videntur*.

*Praeter naturam, praeterque fatum*) Hunc locum explicat Gellius Noct. Att. XIII.

*Praeter naturam, praeterque fatum*) E philosophis quidam omnia penitus, atque adeo humanas actiones fati necessitate devinctas, alii plane liberas et solutas esse censuerunt: quam posteriorem sententiam Homerus, Cicero, Virgilius videntur amplexi, ut ea fato tribuerent, quae ex necessaria causarum connexione eveniunt; quae autem humana voluntate et opera contingunt, ea fati necessitate absolverent. ABR.

*Utriusque consilii*) Tam profectionis, quam reversionis meae. ABR.

*Nonnullo eius officio debere*) Quod eum Antonius, post pugnam Pharsalicam, nondum impetrata a Caesare venia, Brundisii commorantem, quum interimere iure posset, noluit, Phil. 2. MAN. Olim *debere etiam*.

*Nonnullo eius officio debere*) Vulgo *idque me nonnullo eius officio debere esse*. Sed hoc *esse* iam Ernestius deleri malebat.

credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur, ad quam causam etiam Appium illum, et caecum et senem, delatum esse, memoriae proditum est. De supplicationibus referebatur; quo in genere senatores deesse non solent. Coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratia: quòd idem fit, quum de triumpho refertur. Ita sine cura consules sunt, ut paene liberum sit senatori non adesse. Qui quum mihi mos notus esset, quumque de via languerem, et mihimet displicerem, misi, pro amicitia, qui hoc ei diceret. At ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit. Nimis iracunde hoc quidem, et valde intemperanter. Cuius enim maleficii ista poena est, ut dicere in hoc ordine auderet, se publicis operis disturbaturum publice ex senatus sententia aedificatam domum? Quis autem unquam tanto damno senatorem coëgit? aut quid est ultra pignus, aut multam? Quod si scisset, quam sententiam dicturus essem, remisisset aliquid profecto de severitate cogendi.

VI. An me censetis, Patres conscripti, quod vos inviti sequuti estis, decreturum fuisse, ut parentalia cum supplicationibus miscerentur? ut inexpiabiles religiones in rempublicam inducerentur? ut decernerentur supplicationes mortuo? nihil dico, cui. Fuerit ille L.Brutus, qui et ipse regio dominatu rempublicam liberavit, et ad similem virtutem et simile factum stirpem

*De supplicationibus*) Caesari mortuo decernendis. Phil. 5. MAN.

*Non pignoribus*) Quae auferri solebant senatoribus, qui in senatum vocati non venissent. Infra: *quid est ultra pignus, aut multam?* ID.

*Qui hoc ei diceret*) Qui hoc ediceret est in plerisque MSS. et edd. vett. Sed in cod. Vatic. est *qui hoc ei diceret;* unde Manut. et Lamb. id asciverunt.

*Quod si*) Plerique edd. *qui si.* At *quod si* habent cod. Faërn. et Guelf. idque recte recepit Ern.

*Parentalia*) Quae tulissem: ut vero supplicationes mortuo simul decernerentur, id vero nunquam tulissem. MAN.

in prope quingentesimum annum propagavit: adduci tamen non possem, ut quemquam mortuum coniungerem cum immortalium religione; ut, cuius sepulcrum usquam exstet, ubi parentetur, ei publice supplicetur. Ego vero eam sententiam dixissem, Patres conscripti, ut me adversus populum romanum, si qui accidisset gravior reipublicae casus, si bellum, si morbus, si fames, facile possem defendere: quae partim iam sunt, partim timeo ne impendeant. Sed hoc ignoscant dii immortales velim, et populo romano, qui id non probat, et huic ordini, qui decrevit invitus. Quid? de reliquis reipublicae malis licetne dicere? Mihi vero licet, et semper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. Potestas modo veniendi in hunc locum sit: dicendi periculum non recuso. Atque utinam, Patres conscripti, Kalendis Sextilibus adesse potuissem! non quo profici potuerit aliquid; sed ne unus modo consularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus republica inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines amplissimis populi romani beneficiis usos, L. Pisonem, ducem optimae sententiae, non sequutos. Idcircone nos populus romanus consules fecit, ut in altissimo gradu dignitatis locati, rempublicam pro nihilo haberemus? Non modo voce nemo L. Pisoni consularis, sed ne vultu

*Immortalium*) Olim *deorum immortalium*. At *deorum* afuit e MS. Faërn. idque pro glossa Graev. Ern. deleverunt.

*Vsquam exstet*) Nam re vera nullum Iulii Caesaris exstabat tum temporis sepulcrum. Crematus erat in foro, ibique columna ei dedicata, sed postea eversa a Dolabella. GRAEV.

*Vsquam exstet*) Frustra *nusquam* e MSS. quibusdam edidit Graevius, quod Caesaris sepulcrum nullum fuisset. Immo exstabat, nempe locus ubi combustus erat, quod et supra bustum est. ERN.

*Consules*) Hoc e cod. antiquo Ferrarii et MS. Guelf. Ern. recepit pro vulg. *consulares*.

*Vt in altissimo*) MS. Vatican. ed. Graev. al. addunt *amplissimoque*. Melius hoc abest MS. Guelf. et eiecit id Ern.

quidem assensus est. Quaenam (malum) est ista voluntaria servitus? Fuerit quaedam necessaria. Nec ego hoc ab omnibus iis desidero, qui sententiam loco consulari dicunt. Alia causa est eorum, quorum silentio ignosco; alia eorum, quorum vocem requiro. Quos quidem doleo in suspicionem populi romani venire, non metu, quod ipsum esset turpe, sed alium alia de causa deesse dignitati suae.

VII. Quare primum maximas gratias et habeo et ago L. Pisoni, qui non, quid efficere posset in republica, cogitavit, sed quid facere deberet; deinde a vobis, Patres conscripti, peto, ut, etiamsi sequi minus audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne tamen me, ut fecistis adhuc, audiatis.

Primum igitur acta Caesaris servanda censeo: non quo probem; quis enim id quidem potest? sed quia rationem habendam maxime arbitror pacis et otii. Vellem adesset Antonius, modo sine advocatis; sed, ut opinor, licet ei minus valere; quod mihi heri per illum non licebat: doceret me, vel potius vos, Patres conscripti, quemadmodum ipse Caesaris acta defenderet. An in commentariolis et chirographis et libellis se uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis, acta Caesaris firma erunt: quae ille in aes incidit, in quo populi iussa, perpetuasque leges esse voluit, pro nihilo habebuntur? Equidem sic existimo: nihil tam esse in actis Caesaris, quam leges Caesaris. An, si cui quid ille promisit, id erit fixum, quod idem non facere potuit? ut mul-

*Sed quid*) Vulgo additur *ipse* quod Ern. recte supervacuum indicavit.

*Sine advocatis*) Sine militibus, quibus, a quo primum die senatum habuit, post Caesaris interitum, vel praesidii sui causa, vel ut metum senatoribus iniiceret, eoque facilius, quae vellet, obtineret, curiam circumdare solitus est. Philipp. 2. MAN.

*Quod idem non facere potuit?*) Ita

tis multa promissa non fecit. Quae tamen multo plura illo mortuo reperta sunt, quam vivo beneficia per omnes annos tributa et data. Sed ea non muto, non moveo; summo etiam studio praeclara illius acta defendo. Pecunia utinam ad Opis maneret! cruenta illa quidem, sed his temporibus, quoniam his, quorum est, non redditur, necessaria. Quamquam ea quoque sit effusa, si ita in actis fuit. Ecquid est, quod tam proprie dici possit actum eius, qui togatus in republica cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? Quaere acta Gracchi: leges Semproniae proferentur. Quaere Sullae: Corneliae. Quid? Cn. Pompeii tertius consulatus in quibus actis constitit? nempe in legibus. A Caesare ipso si quaereres, quidnam egisset in urbe et in toga, leges multas responderet se et praeclaras tulisse; chirographa vero aut mutaret, aut non daret; aut, si dedisset, non istas res in actis suis duceret. Sed ea ipsa concedo; quibusdam in rebus etiam conniveo; in maximis vero rebus, id est legibus, acta Caesaris dissolvi ferendum non puto.

VIII. Quae lex melior, utilior, optima etiam republica saepius flagitata, quam, ne praetoriae provinciae plus quam annum, neve plus quam biennium consulares obtinerentur? Hac lege sublata, videnturne vobis acta Caesaris servari? Quid? ea lege, quae promulgata est de tertia decuria iudicum, nonne omnes

recte Vrsin. et Manutius corrigendum censuerunt. Vulgo *quod idem facere non potuit.*

*Pecunia utinam ad Opis maneret!*) In Opis aede septies millies HS, quae sunt nummo nostro ducenties decies centena scutatorum millia, Caesar deposuerat: eam omnem pecuniam Antonius abstulit partim sibi, ut aes alienum grande dissolveret, partim Dolabellae, collegae suo, ipsi quoque gravi aere alieno obstricto: partim aliis, quos a tuendae reip. cura ad suas partes traduxit. Mvr.

*Constitit?*) Sic liber Faërni; idque receperunt Graev. Ern. MS. Guelf. et edd. vett. *consistit.*

*De tertia decuria*) Lex Caesaris, ut duae tantum decuriae iudicarent, senatorum, et equitum, omissis tri-

iudiciariae leges Caesaris dissolvuntur? et vos acta Caesaris defenditis, qui leges eius evertitis? Nisi forte, si quid memoriae causa retulit in libellum, id numerabitur in actis, et quamvis iniquum et inutile sit, defendetur: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Caesaris non habebitur. At quae est ista tertia decuria? Centurionum, inquit. Quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? Census praefiniebatur, inquit. Non centurioni quidem solum, sed equiti etiam romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res et iudicant et iudicaverunt. Non quaero, inquit, istos. Quicumque ordinem duxit, iudicet. At si ferretis, quicumque equo meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis. In iudice enim spectari et fortuna debet et dignitas. Non quaero, inquit, ista: addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum. Aliter enim nostri negant posse se salvos esse. O contumeliosum honorem iis, quos ad iudicandum nec opinantes vocatis! Hic enim est legis index, ut ii in tertia decuria iudicent, qui libere iudicare non audeant. In quo quantus est error, dii immortales, eorum, qui istam legem excogitaverunt? Vt enim quisque sordidissimus videbitur, ita libentissime severitate iudicandi sordes suas eluet, labo-

bunis aerariis: Antonius tertiam addiderat ex centurionibus. Ferr.

*Iudicatus*) Munus iudicandi. Vide etiam ad Attic. XII, 19. Ern.

*Praefiniebatur*) MS. Graev. *finiebatur.*

*Quicumque ordinem duxit*) Etiam si legitimo censu careat. Man.

*Manipulares*) Subsignanos milites intelligit, qui erant in manipulis, ad distinctionem velitum qui proprios manipulos non habebant. Vide Lipsium lib. II de Militia Romana, dialogo 2. Abr.

*Aliter — negant posse se salvos esse*) Nisi iudices habeant manipulares. *Nostri:* amici et familiares, omnium scelerum affines. Loquitur ex persona Antonii. Man.

*Legis index*) Titulus et quasi rubrica, sive inscriptio. Abr.

rabitque, ut honestis decuriis potius dignus videatur, quam in turpem iure coniectus.

IX. Altera promulgata lex est, ut et de vi et de maiestate damnati ad populum provocent, si velint. Haec utrum tandem lex est, an legum omnium dissolutio? quis est enim hodie, cuius intersit istam legem manere? Nemo reus est istis legibus: nemo, quem futurum putemus. Armis enim gesta nunquam profecto in iudicium vocabuntur. At res popularis. Vtinam quidem velletis aliquid esse populare! Omnes enim iam cives de reipublicae salute una et mente et voce consentiunt. Quae est igitur ista cupiditas eius legis ferendae, quae turpitudinem summam habeat, gratiam nullam? Quid enim turpius, quam qui maiestatem populi romani per vim minuerit, eum, damnatum iudicio, ad eam ipsam vim reverti, propter quam sit iure damnatus? Sed quid plura de lege disputo? quasi vero id agatur, ut quisquam provocet. Id agitur, id fertur, ne quis omnino unquam istis legibus reus fiat. Quis enim aut accusator tam amens reperietur, qui reo condemnato obiici se multitudini conductae velit? aut iudex, qui reum damnare audeat, ut ipse ad operas mercenarias statim protrahatur? Non igitur provocatio ista lege datur; sed duae maxime salutares leges quaestionesque tolluntur. Quid est aliud adhortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditiosi, ut perniciosi cives velint esse? Quam autem ad reipublicae pestem furor tribunicius impelli non

*Istam legem*) Videtur scribendum *istas leges.*

*Manere?*) Codd. Ferrar. item Amsterd. Franc. Graev. *venire.*

*At res*) Ern. putabat addendum *est.*

*Popularis*) Quia provocatio populi potestatem auget. Man.

*Vtinam quidem velletis aliquid esse populare!*) Sic bene Graevius e MS. Ferrar., et suis, quibus consentiunt Guelf. et edd. pr. pro vulgato *utinam quidem velletis aliquid populare.* Ern.

poterit, his duabus quaestionibus, de vi, et de maiestate sublatis?

X. Quid, quod obrogatur legibus Caesaris, quae iubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui maiestatis damnatus sit, aqua et igni interdici? quibus quum provocatio datur, nonne acta Caesaris rescinduntur? Quae quidem ego, Patres conscripti, qui illa unquam probavi, ita conservanda concordiae causa arbitratus sum, ut non modo, quas vivus Caesar leges tulisset, infirmandas hoc tempore non putarem; sed ne illas quidem, quas post mortem Caesaris prolatas esse et fixas videtis. De exsilio reducti a mortuo; civitas data non solum singulis, sed nationibus, et provinciis universis a mortuo; immunitatibus infinitis sublata vectigalia a mortuo. Ergo haec, uno, verum optimo, auctore domo prolata, defendimus: eas leges, quas ipse, nobis inspectantibus, recitavit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur, iisque legibus rempublicam contineri putabat, de provinciis, de iudiciis, eas, inquam Caesaris leges, nos, qui defendimus acta Caesaris, evertendas putabimus? Ac de iis tamen legibus, quae promulgatae sunt, saltem queri possumus: de iis, quae iam latae dicuntur, ne illud quidem licuit. Illae enim nulla promulgatione latae sunt ante quam scriptae. Quaerunt quidam, quid sit, cur aut ego, aut quis-

*Ad reipublicae*) In MS. Faërni aberat *reipublicae*, idque Graevius delevit.

*Impelli*) *Quem — impellere non poterit*, MS. aliquot, ut Guelf. idque placebat Ferrario.

*Reducti a mortuo*) Iocosa, et eadem tamen acerba narratio. Mortuorum enim actio nulla est: at Caesar mortuus exules reduxit, civitatem, immunitates dedit. Nam Antonius iis de rebus leges protulit, et in Capitolio fixit, ut Caesaris leges. Phil. 2. Man.

*Auctore*) Sic cod. Faërni, quod praeter illum Muret. Lambin. Graev. Ern. receperunt. Vulgo *uno viro optimo auctore*; MS. Guelf. *uno viro auctore optimo*.

*Putabimus?*) *Putamus* MS. Faërn. idque receperunt praeter ipsum, Murat. Lamb. Graev.

*Quaerunt quidam, quid sit*) Vulgo *quaerunt quid sit*. MS. Faërn. *quaero*

quam vestrum, Patres conscripti, bonis tribunis plebis, leges malas metuat. Paratos habemus, qui intercedant; paratos, qui rempublicam religione defendant; vacui metu esse debemus. « Quas tu mihi, inquit, intercessiones, quas religiones? » Eas scilicet, quibus reipublicae salus continetur. « Negligimus ista, et nimis antiqua et stulta ducimus. Forum sepietur; omnes claudentur aditus; armati in praesidiis multis locis collocabuntur.» Quid tum? « Quod erit ita gestum, id lex erit, et in aes incidi videbitis. »[1] Cedo illa legitima: CONSVLES POPVLVM IVRE ROGAVERVNT (hoc enim a maioribus accepimus ius rogandi) POPVLVSQVE IVRE SCIVIT. Qui populus? isne, qui exclusus est? Quo iure? an eo, quod vi et armis omne sublatum est? Atque ego hoc dico de futuris; quod est amicorum, ante dicere ea, quae vitari possunt; quae si facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis; de quibus est integrum vobis. Demonstro vitia; tollite! Denuntio vim, arma; removete!

XI. Irasci vos quidem mihi, Dolabella, pro republica dicenti, non oportebit. Quamquam te quidem id facturum non arbitror. Novi enim facilitatem tuam. Collegam tuum aiunt in hac sua fortuna, quae bona ipsi videtur, — mihi, ne gravius quippiam dicam,

*autem quid sit.* MS. Graev. *quae autem quid sint.* Cod. Ferr. *quaerunt quid sit.* Cod. Amst. *quaerit autem quid sit.* In hac varietate lectionis optima Lambini nobis visa est *quaerunt quidam quid sit.*

*Qui rempubl. religione defendant*) h. e. de caelo servando, nuntiando. ERN.

(1) Schützius, nescio quo auctore, edidit *et in aes incidi videbitis credo illa legitima*: vulgatam revocavi, meliorique interpunctione, ni fallor, sententiam feci planiorem. TYP.

*Isne, qui exclusus est?*) Isne populus eam legem scivit, et suffragio suo comprobavit, qui septis et militum praesidiis sic exclusus est, ut non potuerit ad forum accedere? ABR.

*Quod est amicorum*) Olim edd. nonnullae *augurum.*

*Non oportebit*) *Oportebat* Faërn. e MS. Muret. Lamb. Graev. Futuro tamen hic opus esse monuit Ern.

*Collegam tuum*) M. Antonium.

avorum et avunculi sui consulatum si imitaretur, fortunatior videretur; — sed eum iracundum audio factum. Video autem, quam sit odiosum habere iratum eundem, et armatum, quum tanta praesertim gladiorum sit impunitas. Sed proponam ius, ut opinor, aequum; quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, si quid in vitam eius, aut in mores cum contumelia dixero, quo minus mihi inimicissimus sit, non recusabo. Sin consuetudinem meam tenuero, id est, si libere, quae sentiam, de republica dixero: primum deprecor, ne irascatur; deinde, si hoc non impetro, peto, ut sic irascatur, ut civi. Armis utatur, si ita necesse est, ut dicit, sui defendendi causa; iis, qui pro republica, quae ipsis visa erunt, dixerint, ista arma ne noceant. Quid hac postulatione dici potest aequius? Quod si, ut a quibusdam mihi eius familiaribus dictum est, omnis eum, quae habetur contra voluntatem eius, oratio, graviter offendit, etiamsi nulla inest contumelia: feremus amici naturam. Sed iidem illi ita mecum: Non idem tibi, adversario Caesaris, licebit, quod Pisoni socero: et simul admonent quiddam, quod cavebimus; nec erit iustior, Patres conscripti, in senatum non veniendi morbi causa, quam mortis.

*Avorum*) Paterni M. Antonii oratoris cos. A. V. 654, materni L. Iulii Caesaris cos. A. V. 661.

*Et avunculi*) L. Caesaris cos. A. V. 689.

*Sed proponam*) *Promam* edd. vett.

*In mores cum contumelia dixero*) Vulg. *in mores contumeliose dixero.* At *cum contumelia* est in MSS. optimis, etiam Guelf. idque recepit Ern.

*Sin consuetudinem meam*) Hic in multis edd. adduntur *quam in republica semper habui*, absunt cod. Vatic. et duobus Lamb. Omiserunt Faern. Murel. Lamb. Graev. restituit Ern.

*Sed iidem illi ita mecum*) Familiares Antonii ita mecum loquuntur: Non est quod tibi persuadeas, M. Tulli, te impune laturum, si libere animi tui sensus exprompseris, conquestusque fueris de republica ex eo, quod L. Piso Kalendis Sextilibus impune de Antonio conquestus est: non enim tibi (qui bello civili secutus es Pompeium contra Caesarem) idem licebit quod Pisoni, qui Caesaris socer fuit. Sic, inquam, mecum loquuntur Antonii familiares, simulque

XII. Sed per deos immortales! te enim intuens, Dolabella, qui es mihi carissimus, non possum de utriusque vestrum errore reticere. Credo enim vos, homines nobiles, magna quaedam spectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli suspicantur, quae semper ab amplissimo quoque clarissimoque contempta est, non opes violentas, et populo romano minime ferendam potentiam, sed caritatem civium, et gloriam concupisse. Est autem gloria, laus recte factorum, magnorumque in rempublicam fama meritorum, quae quum optimi cuiusque, tum etiam multitudinis testimonio comprobatur. Dicerem, Dolabella, qui recte factorum fructus esset, nisi te praeter ceteros esse expertum viderem. Quem potes recordari in vita tibi illuxisse diem laetiorem, quam quum, expiato foro, dissipato concursu impiorum, principibus sceleris poena affectis, urbe incendii et caedis metu liberata, te domum recepisti? Cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunae studia tum laudi, et gratulationi tuae se non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, et gratias boni viri agebant, et tuo nomine gratulabantur. Recordare, quaeso, Dolabella, consensum illum theatri, quum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant

admonent ut caveam, ne si liberius loquutus fuero, mihi nex inferatur. Quod cavebimus, et, si propter morbum licet abesse a Senatu, non minus ob mortis periculum domi me continebo. Ann.

*Est autem gloria*) Olim edebatur *ea autem est gloria*. Meliorem lectionem suppeditarunt aliquot MSS. ut Leid. quam cum Ferrar. Graev. Ern. recepimus.

*Esse expertum*) Sic e MS. Vatic. Faërn. Muret. Lamb. Graev. Ern. Olim *te p. c. paullisper esse exp.*

*Expiato foro*) Nempe eversa columna Caesari in foro posita, ad quam concursus facti erant. Vid. Suet. Caes.

*Vrbe incendii et caedis metu liberata*) Haec e cod. Vatican. addidit Faërnus, probantibus Mautio, Mureto, Lambino, Graevio. Pro *incendii* tamen legebatur *incendio*. Verum autem esse *incendii* vidit Vrsinus.

*Consensum*) Libri vett. nonnulli *consessum*.

*Tibi fuerant offensi*) Respicit cona-

offensi, significaverunt, se novo beneficio memoriam veteris doloris abiecisse. Hanc tu, Dolabella (magno loquor cum dolore), hanc tu, inquam, animo aequo potuisti tantam dignitatem deponere?

XIII. Tu autem, M. Antoni (absentem appello) unum illum diem, quo in aede Telluris senatus fuit, non omnibus iis mensibus, quibus te quidam, multum a me dissentientes, beatum putant, anteponis? Quae fuit oratio de concordia? quanto metu, quanta sollicitudine civitas tum a te liberata est? Tuum collegam, depositis inimicitiis, oblitus auspicia a te ipso augure nuntiata, illo primum die collegam tibi esse voluisti; tuus parvulus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit. Quo senatus die laetior? quo populus romanus? qui quidem nulla in concione unquam frequentior fuit. Tum denique liberati per viros fortissimos videbamur; quia, ut illi voluerant, libertatem pax sequebatur. Proximo, altero, tertio, reliquis consequutis diebus, non intermittebas quasi donum aliquod quotidie afferre reipublicae. Maximum autem illud, quod dictaturae nomen sustulisti. Haec inusta est a te, inquam, mortuo Caesari nota ad ignominiam sempiternam. Vt enim propter unius M. Manlii scelus,

tum novas tabulas lege lata a tribuno pl. proponendi.

*Illum diem*) Biduo post Caesaris mortem, XVI kal. april. FERR.

*Quanto metu*) Vulgo addebatur *veterani*. In Ferrarii et Graev. cod. erat *metu veteri*; in Amst. *metu vetere*. Graev. coni. *metu ceteri*. Optimum est *veterani* deleri; quibus hic non est locus. Ernestius tamen pro eo forsan *senatus* legendum suspicabatur. Ceterum ut hic *sollicitudo* cum *metu* coniungitur, sic in Orat. pro Cluentio c. 18, *sollicitudo* et *timor*.

*Oblitus auspicia*) Nam Antonius obnuntiatione vitiaverat Dolabellae comitia habita paulo ante Caesaris mortem. FERR.

*Oblitus auspicia — nuntiata*) Sic Ernestius legendum esse coniecit pro vulg. *oblitus auspicia te ipso augure nuntiante*.

*Proximo*) est i. q. die proxime illum diem consecuto h. e. XV kal. apr. *altero* XIV kal. apr. *tertio* XIII kal. apr.

*Vnius M. Manlii scelus*) Qui quum reipublicae dominatum invadere conaretur, de saxo Tarpeio deiectus est,

decreto gentis Manliae, neminem Manlium Marcum vocari licet: sic tu, propter unius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus sustulisti. Num huiusce, quum pro salute reipublicae tanta gessisses, fortunae te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriae poenitebat? Vnde igitur subito tanta ista mutatio? Non possum adduci, ut suspicer, te pecunia captum. Licet, quod cuique libet, loquatur. Credere non est necesse. Nihil enim unquam in te sordidum, nihil humile cognovi. Quamquam solent domestici depravare nonnunquam: sed novi firmitatem tuam. Atque utinam, ut culpam, sic etiam suspicionem vitare potuisses!

XIV. Illud magis vereor, ne ignorans verum iter gloriae, gloriosum putes, plus te unum posse, quam omnes, et metui a civibus tuis, quam diligi malis. Quod si ita putas, totam ignoras viam gloriae. Carum esse civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi, gloriosum est. Metui vero, et in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Quod videmus, etiam in fabulis, ipsis illis, qui *Oderint, dum metuant*, dixerint, perniciosum fuisse. Vtinam, Antoni, avum tuum meminisses! de quo tamen multa audisti ex me saepissime. Putasne illum immortalitatem mereri voluisse, ut propter armorum licentiam metueretur? Illa erat vita, illa secunda fortuna, li-

eaque notatus ignominia, ut in odium illius sceleris, nemo de patricia Manliorum gente Marci praenomen in posterum obtineret. ABR.

*Neminem Manlium Marcum vocari licet*) Vulgo *neminem patricium M. Manlium vocari licet.* In quo *patricium* de Ernestii sententia delevi, quia tum tota Manlia gens fuit patricia. Deinde auctore Gulielmio transposui *Marcum* et *Manlium*.

*Domestici*) Latenter avaritiam carpit Fulviae, Antonii uxoris, quae C. Curionis, et P. Clodii uxor quoque fuerat. MAN.

*Etiam in fabulis*) Nempe hoc dictum Atreo in Attii tragoedia cognomine tribulum erat.

*Vt propter armorum*) In plerisque codd. MSS. additur *habendorum*. In aliis *metuendorum*. Ego vero Ernestio

bertate esse parem ceteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui prosperas, acerbissimum eius diem supremum malim, quam L. Cinnae dominatum, a quo ille crudelissime est interfectus.

Sed quid oratione te flectam? Si enim exitus C. Caesaris efficere hoc non potest, ut malis carus esse, quam metui, nihil cuiusquam proficiet, nec valebit oratio. Quem qui beatum fuisse putant, miseri ipsi sunt. Beatus est nemo, qui, ea lege vivit, ut non modo impune, sed etiam cum summa interfectoris gloria interfici possit. Quare flecte te, quaeso, et maiores tuos respice, atque ita guberna rempublicam, ut natum esse te cives tui gaudeant: sine quo nec beatus, nec clarus esse quisquam potest.

XV. Et populi quidem romani iudicia multa ambo habetis, quibus vos non satis moveri permoleste fero. Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium civium? quid populi concursus? quid Pompeii statuae plausus infiniti? quid iis tribunis plebis, qui vobis adversantur? parumne haec significabant, incredibiliter consentientem populi romani universi volunta-

assentior qui utrumque glossatori tribuendum esse censuit.

*Crudelissime est interfectus*) Quum civitas ita data esset Italicis, ut in octo tribus novi cives contribuerentur, ne potentia eorum et multitudo veterum civium potentiam frangeret, L. Cinna consul legem tulit de admiscendis novis civibus in omnes tribus. Sed altero coss. Cn. Octavio resistente non sine suorum strage primum servos vocavit ad pileum, deinde ex urbe cessit: eique L. Merula flamen dialis in consulatu a Senatu suffectus est. Cinna Nolam contendit, et ab exercitu, qui circa Nolam erat receptus, adscito in partes Mario, rediit in urbem, in eaque sic dominatus est, ut Octavium, Antonium, Merulam, Catulum, aliosque principes civitatis occiderit, quatuorque continuos gessarit consulatus, donec tandem quarto consulatu a suis militibus contrucidatus tot civium suorum strages expiavit. Vide Plutar. in Mario, Epitomen, Velleium, Appianum. Ans.

*Gladiatoribus*) i.e ludis gladiatoriis.

*Pompeii statuas*) Adeo populus romanus amore pristinae libertatis exarserat, ut videns Pompeii statuam applauderet, et ipsi Pompeio gratularetur. *Anon.*

*Significabant*) Sic Ern. recte, pro vulgato *significant*.

tem? Quid? Apollinarium ludorum plausus, vel testimonia potius, et iudicia populi romani vobis parva videbantur? O beatos illos, qui, quum adesse ipsis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, et in medullis populi romani ac visceribus haerebant! Nisi forte Attio tum plaudi, et sexagesimo post anno palmam dari putabatis, non Bruto; qui ludis suis ita caruit, ut in illo apparatissimo spectaculo studium populus romanus tribueret absenti, desiderium liberatoris sui perpetuo plausu et clamore leniret.

Equidem is sum, qui istos plausus, quum a popularibus civibus tribuerentur, semper contempserim: idemque quum a summis, mediis, infimis, quum denique ab universis hoc idem fit, quumque ii, qui ante sequi populi consensum solebant, fugiunt; non plausum illum, sed iudicium puto. Sin haec leviora vobis videntur, quae sunt gravissima: num etiam hoc contemnitis, quod sensistis, tam caram populo romano vitam A. Hirtii fuisse? Satis enim erat, probatum illum esse populo romano, ut est; iucundum amicis, in quo vincit omnes; carum suis, quibus est carissimus: tantam tamen sollicitudinem bonorum, tantum timorem omnium in quo meminimus? certe in nullo.

Quid igitur? hoc vos, per deos immortales! quale sit, non interpretamini? Quid eos de vestra vita co-

*Nisi forte Attio tum plaudi, et sexagesimo post anno*) Nisi forte quum illis ludis plauderetur, Accio poetae, cuius tragoedia nomine Tereus exhibebatur, plaudi, eique sexagesimo anno postquam scripta est ea tragoedia, palmam dari putabatis, non Bruto ludorum editori. Ans.

*Qui ludis suis*) *Suis* addidit Ern. ex MSS. Guelf. aliisque. Idem Graevius receperat. Brutus nimirum aberat ludis Apollinaribus, qui tum suo nomine edebantur.

*Tribueret — leniret*) Sic Ern. e MSS. Vulgo olim *tribuerit*, *lenierit*.

*A. Hirtii*) Hirtio consule designato, graviter aegrotante, populus romanus, quia speraret eum in consulatu rempublicam defensurum, pro eius incolumitate vota suscepit. Phil. 7 et 10. Max.

gitare censetis, quibus eorum, quos sperant reipublicae consulturos, vita tam cara sit? Cepi, Patres conscripti, reversionis meae fructum: quoniam et ea dixi, ut, quicumque casus consequutus esset, exstaret constantiae meae testimonium, et sum a vobis benigne ac diligenter auditus. Quae potestas si mihi saepius sine meo vestroque periculo fiet, utar. Si minus, quantum potero, non tam mihi me, quam reipublicae reservabo. Mihi fere satis est, quod vixi, vel ad aetatem, vel ad gloriam. Huc si quid accesserit, non tam mihi, quam vobis, reique publicae accesserit.

IN

# M. ANTONIVM

## PHILIPPICA SECVNDA

### I.

Quonam meo fato, Patres conscripti, fieri dicam, ut nemo his viginti annis reipublicae fuerit hostis, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec vero necesse est a me quemquam nominari. Vobiscum ipsi recordamini. Mihi poenarum illi plus, quam optarem, dederunt. Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Atque hoc in aliis minus mirabar: nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius; omnes a me reipublicae causa lacessiti. Tu, ne verbo quidem violatus, ut audacior, quam L. Catilina, furiosior, quam P. Clodius viderere, ultro maledictis me lacessisti; tuamque a me alienationem

*His annis viginti*) Qui fluxerunt ab ipsius consulatu ad Caesaris caedem. ABR.

*Viginti annis*) Ita cod. Ienens. Vulgo *annis viginti*.

*Fuerit hostis*) Ita codd. Vatic. Graeviani, Guelf. Olim *hostis fuerit*.

*Vobiscum ipsi recordamini*) Mureti interpunctionem servavit Graevius *nominari vobis, quum ipsi recordamini*. Recte vero Heusingerus eam repudiavit coll. Or. pro Mur. c. 18, pro Cael. c. 18.

*Mihi poenarum illi plus*) Commode initio humanitatis et clementiae specimen exhibet. Quas autem reipublicae et Ciceroni poenas exsolverint, palam est ex eorum temporum historiis. Catilina contra patriam signa inferens a Petreio C. Antonii legato victus, multis telis confossus, et inter corporum acervos inventus est. P. Clodius in Appia via a servis Milonis occisus est. ABR.

*Optarem*) Heumanno placebat *optaram*.

*Imitere*) Cod. Ienens. *imitare*, quod praeferendum videbatur Graevio.

commendationem tibi ad cives impios fore putavisti. Quid putem? contemptumne me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despicere possit Antonius. An in senatu facillime de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis civibus bene gestae reipublicae testimonium multis, mihi uni conservatae dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est. Quid enim plenius, quid uberius, quam mihi et pro me, et contra Antonium dicere? Illud profecto est: non existimavit sui similibus probari posse, se esse hostem patriae, nisi mihi esset inimicus. Cui priusquam de ceteris rebus respondeo, de amicitia, quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen iudico, pauca dicam.

II. Contra rem suam me, nescio quando, venisse

*Contra rem suam me — venisse questus est*) In iudicium ut familiarem meum defenderem. Iudiciale verbum. MAN. Res est obscurior, nec ullis veterum testata monumentis, ac proinde suspicionibus indaganda. Multas uxores habuit Antonius, quarum prima fuit Q. Fadii Bambalionis hominis libertini, sed admodum opulenti filia. De qua Philippica III, 6: *Tuae coniugis, bonae feminae, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater est, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae stuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit.* Bambalio, ut erat ditissimus, aliis dabat partes, alios mittebat in negotia, cum aliis alia contrahebat. Quidam Ciceronis familiaris ei pecuniariam litem intendit. Bambalio quum suae causae, si ex formula et edicto praetoris ageretur, diffideret, a quodam tribuno plebis per M. Antonium generum suum impetravit, ut is illi iudicio intercederet, iuberetque diem proferri, quoad alii iudices in Bambalionem propensiores constituerentur, vel totius iudicii mutari rationem. Actor obtinendae causae spe deiectus, nisi quempiam magni nominis oratorem adhiberet, ad Ciceronem confugit. Cicero familiarem suum defendit contra hanc iniquae intercessionis iniuriam, eiusque causam egit, etiam illa formula qua tribunus plebis agi voluerat, ut quantumvis mutato iudicio, et iniquis conditionibus, ille ius suum obtineret. Hoc igitur facto querebatur Antonius, amicitiam a Cicerone fuisse violatam. Negat orator, et illius sui patrocinii tres ostendit fuisse rationes. 1. Quod ille familiaris esset, alienus Bamba-

questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari et necessario meo? non venirem contra gratiam, non virtutis spe, sed aetatis flore collectam? non venirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure praetorio? Sed hoc idcirco commemoratum a te puto, ut te infimo ordini commendares, quum te omnes recordarentur libertini generum, et liberos tuos, nepotes Q. Fadii, libertini hominis, fuisse. At enim te in disciplinam meam tradideras (nam ita dixisti); domum meam ventitaras. Nae tu, si id fecisses, melius famae, melius pudicitiae tuae consuluisses. Sed nec fecisti, nec, si cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuisset. Auguratus petitionem mihi te concessisse dixisti. O incredibilem audaciam! o impudentiam praedicandam! Quo enim tempore me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt (neque enim licebat a pluribus nominari), tu nec solvendo eras, nec te ullo modo, nisi eversa

lio. 2. Quod ille obrueretur gratia M. Antonii. 3. Quod contra omnem iuris formam, intercessione tribuni plebis, prohiberetur consuetis formulis ius suum experiri. Abr.

*Virtutis spe*) Vulgo *specie*.

*Iste*) scil. Antonius.

*Nam ita dixisti*) Graev. sic interpunxit *nam, ita dixisti, domum m. v*,

*Meam ventitaras*) De more. Vid. auctor de Oratoribus inter Taciti opera, cap. 34; Plin. VIII, ep. 14; II, 14; Pers. Sat. V.

*C. Curionem*) Qui turpiter amavit Antonium. Plut. in Antonio.

*Auguratus petitionem*) Dixisti te auguratus petitionem omisisse in mei gratiam, ne videlicet si tu meus fuisses competitor, ego repulsam ferrem. In huiusmodi sacerdotiorum petitione, quum plures essent candidati, magnum beneficium fuisset, si gratiosius competitor petitionem alteri concederet. Sic Catulus summum pontificatum cum Caesare et Isaurico petens, *misit qui magnae pecuniae vi Caesari persuaderent, ut is a petitione desisteret*, ut narrat Plutarchus in Caesare; *Etiam in eorum sacerdotum collegium adoptatus est, quos augures appellant Romani, loco Crassi Iunioris, quum is apud Parthos mortem obiisset*. Abr.

*Quo enim tempore*) Anno, ut videtur, urbis septingentesimo, Cn Domitio Calvino, et M. Valerio Messala Consulibus, quo tempore Tullius P. Crasso M. filio a Parthis deleto, augur in eius locum suffectus est. Id.

*Tu nec solvendo eras*) Qui vero

republica, incolumem fore putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, quum in Italia Curio non esset? aut tum, quum es factus, unam tribum sine Curione ferre potuisses? cuius etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.

solvendo non erant, non poterant sacerdotes fieri.

*Curio non esset?*) Scil. qui te suum amasium posset in petendo iuvare.

*Vnam tribum sine Curione ferre potuisses?*) Nota locutio. Sed quid tribus ad auguratum, quum is e duorum augurum nominatione penderet? Variis modis pro diversitate temporum sacerdotia collata sunt. Siquidem tertio Marii consulatu, ut ait Vellaius lib. II, *Cn. Domitius tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegia sufficiebant, populus crearet.* Id ille fecit, ut advertit Tranquillus in Nerone cap. 2, *Pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent.* De hac lege noster epist. IV ad Brutum: *Existimo omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi. Nam etiam factum est antea. C. enim Marius quum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur: nec quominus id postea liceret, ulla lex sanxit.* Hanc legem L. Sylla dictator abrogavit, renovavit Tit. Labienus consulibus Cicerone et Antonio. Dio 37: *Quum Labienus de Pontificibus creandis rogationem tulisset, Caesar autem plebem demereretur, iterum plebi contra Syllae legem, Domitii legem renovavit, atque introduxit.* Quod ita reor populi suffragiis fuisse permissum, ut necesse esset, eum qui pontificatum vel auguratum adeptus erat, a duobus vel pontificibus vel auguribus nominari. Neque enim Caesar adhuc adolescens, et plebeculae quam optimatibus iucundior, nominationem hanc contra Catulum et Servilium Isauricum competitores obtinere facile potuisset, nisi Domitia lege fuisset ita sancitum. Orat. 2 in Rullum, cap. 7: *Ne hoc quidem vidit, maiores nostros tam fuisse populares, ut, quia per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii* (Pontificatus maximi) *voluerint populo supplicari. Atque hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius, tribunus plebis, vir clarissimus, tulit, quia populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Sequuta est lex Iulia de sacerdotiis a Iulio Caesare lata, ut videtur, in primo consulatu. De qua noster ad Brutum epist. IV: *est etiam in lege Iulia, quae lex est de sacerdotiis proxima, his verbis:* QVI PETIT, CVIVSVE RATIO HABEBITVR: *Aperte indicat posse rationem haberi etiam non praesentis.* Cuius, opinor, ea vis fuit ut sacerdotes nominandi quidem, et cooptandi sibi collegas ius haberent, sed eorum tamen nominatio rata non esset, nisi populi suffragium et consensus accederet. Philipp. III: *Reliqua populus Romanus in ea familia, quam vidit amplissimam, persequetur. In primis paternum auguratus locum: in quem ego tum, ut quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo. Vtrum igitur augurem Iovis Optimi Maximi, cuius interpretes, internun-*

III. At beneficio sum usus tuo. Quo? quamquam illud ipsum, quod commemoras, semper prae me tuli. Malui me tibi debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri. Sed quo beneficio? quod me Brundisii non occideris? quem ipse victor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus suis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire iussisset, eum tu occideres? Fac potuisse.

*tiique constituti sumus, utrum populus Romanus libentius sanciet, Pompeium an Antonium?* Atque adeo sibi repugnat, quum in adoptione auguratus, et nominationis et suffragii, sive tribuum facit mentionem. Abr.

*Quod me Brundisii non occideris?*) Iulius Caesar, ut narrat Plutarchus in Antonio, *post victoriam Dictator creatus, ipse quidem persequutus est Pompeium; Antonium vero magistrum equitum nominans Romam ire iussit.* Quod Cicero invidiose principatum latronum appellat, quia contra leges ei Caesar hunc honorem concesserat. Quid autem Ciceroni et Antonio, e diversis partibus a pugna Pharsalica in Italiam appulsis, intercesserit negotii, constat ex ipso Cicerone, Epistola 6, lib. XI ad Atticum: « In oppido aliquo mallem resedisse, quoad arcesseret. Minus sermonis subiissem; minus accepissem doloris: ipsum hoc me non angeret. Brundusii iacere in omnes partes est molestum. Propius accedere, ut suades, quomodo sine lictoribus, quos populus dedit, possum? Qui mihi incolumi adimi non possunt: quos ego modo paulisper cum bacillis in turbam conieci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret. » Et epistola sequenti: « Ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se literarum, in quibus erat, se audivisse Catonem et Luc. Metellum in Italiam venisse, Romae ut essent palam: id sibi non placere, ne qui motus ex eo fierent: prohiberique omnes Italia, nisi quorum ipse causam cognovisset, deque eo vehementius erat scriptum. Itaque Antonius petebat a me per literas ut sibi ignoscerem: facere se non posse quin his literis pareret. Tum ad eum misi Luc. Lamiam, qui demonstraret, illum Dolabellae dixisse, ut ad me scriberet, ut in Italiam quam primum venirem: eius me literis venisse. Tum ille edixit ita ut me exciperet, et Laelium nominatim. Quod sane nollem. Poterat enim, sine nomine, re ipsa excipi. » Pro Ligario: « Apud quem igitur hoc dico? Nempe apud eum qui, quum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, reip. reddidit. Qui ad me ex Aegypto literas misit, ut essem idem qui fuissem: qui quum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa mihi nuntium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi etc. » E quibus patet, et quomodo de Caesaris voluntate in Italiam venerit, et cur eum Antonius non potuerit occidere. Abr.

*Fac potuisse*) Iure belli,

Quod est aliud, Patres conscripti, beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se dedisse vitam, quibus non ademerint? Quod si esset beneficium, nunquam ii, qui illum interfecerunt, a quo erant servati, quos tu ipse viros clarissimos appellare soles, tantam essent gloriam consequuti. Quale autem beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere? Qua in re non tam iucundum videri mihi debuit, non interfectum a te, quam miserum, id te impune facere potuisse. Sed sit beneficium, quandoquidem maius accipi a latrone nullum potuit: in quo potes me dicere ingratum? An de interitu reipublicae queri non debui, ne in te ingratus viderer? Nam in illa querela, misera quidem et luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me senatus populusque romanus collocavit, necessaria, quid est dictum a me cum contumelia? quid non moderate? quid non amice? Quod quidem cuius temperantiae fuit, de M. Antonio querentem, abstinere maledicto? praesertim quum tu reliquias reipublicae dissipavisses? quum domi tuae turpissimo mercatu omnia essent venalia? quum leges eas, quae nunquam promulgatae essent, et de te, et a te latas confiterere? quum auspicia augur, interces-

*Quod quidem*) cum melioribus MSS. dederunt Graev. Heusing. Vulg. *et quidem*, quod retinuit Ern.

*Quum leges eas*) Post mortem Caesaris multas leges, quae ne scriptae quidem ante fuerant, nedum promulgatae, vel tulit, vel per tribunos plebis ferri curavit Antonius. Quarum aliquae ad ipsum Antonium pertinebant, contra legem Liciniam et Aebutiam. Quibus ferendis auspicia neglexit, et tribunos plebis ad intercedendum prohibuit accedere. A persona facinoris atrocitatem exaggerat: longa enim est indignius ab augure quam a ceteris auspicia contemni. Quumque ad officium Consulis spectet providere ne tribunitiarum legum multitudine respublica turbetur, eaque legum multitudo sola reliquorum tribunorum plebis intercessione tollatur, indignissimum est consulem tribunis plebis intercedendi facultatem adimere. Abr.

*Et de te*) Non licebat de se legem ferre, ex lege Licinia Aebutia. Ern.

sionem consul sustulisses? quum esses foedissime stipatus armatis? quum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes, vino lustrisque confectus? At ego, tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, quocum multae et magnae fuerunt, non cum uno gladiatore nequissimo, de republica graviter querens, de homine nihil dixi. Itaque hodie perficiam, ut intelligat, quantum a me beneficium tum acceperit.

IV. At etiam literas, quas me sibi misisse diceret, recitavit, homo et humanitatis expers, et vitae communis ignarus. Quis enim unquam, qui paulum modo bonorum consuetudinem nosset, literas ad se ab amico missas, offensione aliqua interposita, in medium protulit, palamque recitavit? Quid est aliud, tollere e vita vitae societatem, tollere amicorum colloquia absentium? Quam multa ioca solent esse in epistolis, quae, prolata si sint, inepta videantur? quam multa seria, neque tamen ullo modo divulganda? Sit hoc inhumanitatis tuae: stultitiam incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diserte, ut Mustellae Tamisio et Tironi Numisio videris? qui quum hoc ipso tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus. Sed quid opponas tandem, si negem, me unquam istas literas ad te misisse? quo me teste convincas? An chirogra-

*Pudica in domo*) Cn. Pompeii, quam cum omnibus bonis in sectione nummo emerat, beneficio Caesaris. Ern.

*Cum M. Crasso*) Multas contentiones fuisse Ciceroni cum M. Licinio Crasso constat ex eius in Crassum dicteriis, quae a Plutarcho referuntur. Abr.

*At etiam literas*) Quae leguntur lib. XIV ad Att. epist. 13 cum Antonii epistola, quae proxime praecedit. Heusing.

*Tollere e vita vitae societatem*) Hic Grut. et Graev. inseruerunt *quam*, recte repudiatum ab Heusingero.

*Convincas?*) Recte sic e MSS. Muret. Faern. Lamb. Graev. Ern. Olim *convinces*.

pho? in quo habes scientiam quaestuosam. Qui possis? sunt enim librarii manu. Iam invideo magistro tuo, qui te tanta mercede, quantam iam proferam, nihil sapere docuit. Quid est enim minus, non dico oratoris, sed hominis, quam id obiicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit, qui obiecerit? At ego non nego: teque in isto ipso convinco non inhumanitatis solum, sed etiam amentiae. Quod enim verbum in istis literis est non plenum humanitatis, officii, benivolentiae? Omne autem crimen tuum est, quod de te in his literis non male existimem; quod scribam tanquam ad civem, tanquam ad bonum virum, non tanquam ad sceleratum et latronem. At ego tuas literas, etsi iure poteram a te lacessitus, tamen non proferam: quibus petis, ut tibi per me liceat quemdam de exsilio reducere, adiurasque, id te, invito me, non esse facturum; idque a me impetras. Quid enim me interponerem audaciae tuae, quam neque auctoritas huius ordinis, neque existimatio populi romani, neque leges ullae possent coërcere? Verumtamen quid erat, quod me rogares, si erat is, de quo rogabas, Caesaris lege reductus? Sed videli-

*Scientiam quaestuosam*) Falsarium facit Antonium, qui aliorum chirographa imitatus sit, quaestus causa. Ern.

*At ego non nego*) Concludit mentione literarum, quas de Sexti Clodii restitutione ad Ciceronem scripserat Antonius. Eae libro XIV ad Atticum, loco item decimo quarto, referuntur hoc initio: *Occupationibus est factum meis.* Vbi his verbis petit Antonius: *A Caesare petii, ut S. Clodium restitueret: impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses: quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat.* Et ita concludit: *Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum: ut intelligas quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem praebeas.* Respondet Cicero epistola sequenti: *Ego vero tibi istuc, mi Antoni, remitto, atque ita, ut me a te, quum his verbis scripseris, liberalissime et honorificentissime tractatum existimem.* Man.

*Liceat quendam de exsilio reducere*) Sex Clodium; vid. epist. Antonii post epist. 13 ad Att. lib. XIV.

*Quam neque auctoritas*) Quem dederunt e MSS. Faërn. Heusinger.

cet meam gratiam voluit esse: in quo ne ipsius quidem ulla esse poterat, lege lata.

V. Sed quum mihi, Patres conscripti, et pro me aliquid, et in M. Antonium multa dicenda sint: alterum peto a vobis, ut me, pro me dicentem, benigne; alterum ipse efficiam, ut, contra illum quum dicam, attente audiatis. Simul illud oro: si meam quum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis, ne me hodie, quum isti, ut provocavit, respondero, oblitum esse putetis mei. Non tractabo ut consulem: ne ille quidem me ut consularem. Etsi ille nullo modo consul, vel quod ita vivit, vel quod ita rempublicam gerit, vel quod ita factus est: ego sine ulla controversia consularis. Vt igitur intelligeretis, qualem ipse se consulem profiteretur, obiecit mihi consulatum meum. Qui consulatus, verbo meus, Patres conscripti, re vester fuit. Quid enim constitui, quid gessi, quid egi, nisi ex huius ordinis consilio, auctoritate, sententia? Haec tu homo sapiens, non solum eloquens, apud eos, quorum consilio sapientiaque gesta sunt, ausus es vituperare? Quis autem meum consulatum, praeter P. Clodium, qui vituperaret, inventus est? cuius quidem tibi fatum, sicuti C. Curioni, manet: quoniam id domi tuae est,

*Esse poterat*) Sic Heusinger e cod. Ien. Vulgo *poterat esse*.

*Lege lata*) Nam si lege Caesaris reditum in patriam impetraverat, Antonii beneficium in eo restituendo nullum erat. MAN.

*Vel quod ita factus est*) *Consul* quod vulgo additur rectius abest in codd. nonnullis MSS. idque omiserunt Lamb. Mur. Graev. Heusingerus uncis inclusit.

*Quid gessi*) *quid egi* e MSS. optimis addiderunt Graev. Heusing. Ern. Tribus verbis *constitui*, *gessi*, *egi*, respondent tria ista *consilio*, *auctoritate*, *sententia*.

*Cuius quidem tibi fatum*) Sic MSS. optimi, quod receperunt Faërn. Mur. Lamb. Graev. Vulgo *cuius quidem te fatum*.

*Quoniam id domi tuae est*) Intelligitur Fulvia, primum Clodii, deinde Curionis, postremo Antonii uxor.

quod fuit illorum utrique fatale. Non placet M. Antonio consulatus meus. At placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime mortuus est; placuit Q. Lutatio Catulo, cuius semper in hac republica vivet auctoritas; placuit duobus Lucullis, M. Crasso, Q. Hortensio, C. Curioni, M. Lepido, C. Pisoni, M. Glabrioni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenae, qui tum erant consules designati; placuit idem, quod consularibus, M. Catoni: qui quum multa, vita excedens, providit, tum quod te consulem non vidit. Maxime vero consulatum meum Cn. Pompeius probavit: qui, ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus et gratulans, meo beneficio patriam se visurum esse dixit.

*Quod fuit illorum utrique fatale*) Fatalis maritis suis Fulvia, quod eos et ambitione inflaret, et ad ciendas turbas excitaret. Plutarchus in Antonio: *Nuptiis animum adiecit, ducens Fulviam, quae olim Clodio populari concionatori nupserat, mulierem neque lanificio, neque rei domesticae deditam, neque viro privato imperare dignantem, sed magistratum obtinenti praeesse, et imperanti volentem imperare.* Adeo ut in proscriptione triumvirali multos ipsa suo nomine proscripserit, ut referunt Dio et Appianus, et imo ipsa, tum Antonius Senatum ludibrio habuerint, ut auctor est Dio, lib. 48: *Eas ludibrio habuerunt, tum aliis modis, tum Senatum Caligam vocantes, quod Senatores calceamentis militaribus uterentur.* Et ipsa post victos Brutum et Cassium, absente Antonio, bellum contra Caesarem Octavianum, qui in Italiam redierat, excitat. Quo bello, ut ibidem narrat Dio, Fulvia *et gladio accingebatur, et militibus tesseram dabat.* Haec illa est Fulvia, quae tam foede insultavit absciso capiti Ciceronis. Idem Dio, lib. 47: *Fulvia autem id caput arreptum, priusquam auferretur, insultansque amarulentis verbis et conspuens genibus suis imposuit, oreque eius aperto linguam extractam, acubus (quales secum comendi capitis causa mulieres ferunt) compunxit, additis crebris ac turpibus opprobriis.* Vt mirum non sit turbulentam hanc mulierem Antonio dici fatalem. Etsi enim insanus amor Cleopatrae extremam ei pestem invexit, id tamen Plutarchus Fulviae refert acceptum: *Vt mercedem Fulviae, quod ancillari Antonium docuisset feminis, debuerit Cleopatra, quae plane cicurem et velut a tirocinio institutum ad obtemperandum feminis accepit.* Haec Plutarchus. Neque tamen uxorem solum, sed etiam equum fatalem habuisse creditus est Antonius. Vide Gellii lib. III Noct. Attic. cap. 9. Aba.

*Patriam se visurum esse dixit*) Dixit enim hoc Ciceroni obviam sibi profecto, prius quam urbem videret. Heusing.

Sed quid singulos commemoro? Frequentissimo senatui sic placuit, ut esset nemo, qui mihi non, ut parenti, gratias ageret; [1] qui non mihi vitam suam, liberos, fortunas, rempublicam referret acceptam.

VI. Sed quoniam illis, quos nominavi, tot et talibus viris respublica orbata est: veniamus ad vivos, qui duo e consularium numero reliqui sunt. L. Cotta, vir summo ingenio, summaque prudentia, rebus iis gestis, quas tu reprehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis; eique illi ipsi, quos modo nominavi, consulares, senatusque cunctus assensus est: qui honos, post conditam hanc urbem, habitus est togato ante me nemini. L. Caesar, avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suae virum, vitricum tuum? Hunc tu quum auctorem et praeceptorem omnium consiliorum, totiusque vitae debuisses habere, vitrici te similem, quam avunculi esse maluisti. Huius ego alienus consiliis consul usus sum: tu sororis filius, ecquid ad eum unquam de republica retulisti? At ad quos refert? Dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt. Hodie non descendit Antonius. Cur? Dat natalitia in hortis. Cui? Neminem nominabo. Putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni. O foeditatem hominis flagi-

(1) *Qui mihi non — gratias ageret*) Desunt haec in novissima Parisiensi editione, curante Amar; aberrantibus procul dubio Typothetae oculis ad sequentia. Typ.

*Sororis suae*) Iuliae, matris Antonii. Ea amisso priore marito nupserat Lentulo Surae, qui inter coniuratos in carcere iugulatus est.

*Vitricum tuum?*) Virum matris tuae, nam mater Antonii fuit Iulia Lucii Caesaris soror, quam post mortem Antonii patris P. Lentulus Sura duxit uxorem: Lentulus autem inter coniuratos iussu Ciceronis est in carcere iugulatus. Abr.

*Huius ego, alienus, consiliis*) Sic meliores MSS. it. Guelf. quod receperunt Graev. Heusinger. Ern. Vulgo *huius ego consiliis alienus.*

*Ballioni*) Comicorum parasitorum nominibus utitur, vera nomina sileт.

tiosam! O impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! Tu quum principem senatorem, civem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de republica nihil refers; ad eos refers, qui rem suam nullam habent, tuam exhauriunt? Tuus videlicet salutaris consulatus, perniciosus meus.

VII. Adeone pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum praesidebat, consulebam; tu homines perditissimos cum gladiis collocasti? At etiam ausus es (quid autem est, quod tu non audeas?) clivum Capitolinum dicere, me consule, plenum servorum armatorum fuisse. Vt illa, credo, nefaria senatusconsulta fierent, vim afferebam senatui. O miserum, sive illa tibi nota non sunt (nihil enim boni nosti), sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare! Quis enim eques romanus, quis, praeter te, adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem meminisset, quum senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? Quamquam nec scribae sufficere, nec tabulae nomina illorum capere potuerunt. Etenim quum homines nefarii de patriae parricidio confiterentur, consciorum indiciis, sua manu, voce paene literarum coacti, se urbem inflammare, cives

*Qui rem suam*) Sic Graev. e cod. Vatic. Idem probaverunt Faërn. Mur. Manut. Heusinger. Alii *qui domum suam*.

*Pudorem cum pudicitia*) Pudor est animi, pudicitia corporis. Tu igitur, Antoni, qui pudicitiam perdideras, parum de pudore laborasti: qui enim impudicus fuerit, eum impudentem esse quis miretur? MAN.

*In eo templo*) nempe *Concordiae*.

*Nefaria senatusconsulta*) Ironice loquitur. Intelligit enim ea senatusconsulta, quae de coniuratis facta sunt. *An.*

*O miserum*) Graev. e Vatic. *o miser*.

*Voce paene literarum*) Certe, ut Bisciolae nostri verbis utar lib. VI Subsecivarum, cap. 12: *Mirabantur et nostro saeculo Indi papyrum loquentem, ut ipsi putabant, quod a rerum Indicarum scriptoribus narratur.*

trucidare, vastare Italiam, delere rempublicam consensisse: quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur? praesertim quum senatus populusque romanus haberet ducem, qualis si qui nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset.

VIII. Ad sepulturam corpus vitrici sui negat a me datum. Hoc vero ne P. quidem Clodius dixit unquam; quem, quia iure ei fui inimicus, doleo a te iam omnibus vitiis esse superatum. Qui autem tibi venit in mentem, redigere in memoriam nostram, te domi P. Lentuli esse educatum? An verebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbum evadere, nisi accessisset etiam disciplina? Tam autem eras excors, ut tota in oratione tecum ipse pugnares; ut non modo non cohaerentia inter se diceres, sed maxime disiuncta atque contraria? ut non tanta mecum, quanta tecum tibi esset contentio? Vitricum tuum in tanto fuisse scelere fatebare, poena affectum querebare. Ita, quod proprie meum est, laudasti; quod totum senatus est, reprehendisti. Nam, comprehensio sontium, mea; animadversio, senatus fuit. Homo disertus non intelligit, eum, quem contra dicit, laudari a se; eos, apud quos dicit, vituperari. Iam illud cuius est, non dico audaciae (cupit enim se audacem dici), sed, quod minime vult, stultitiae, qua vincit omnes, clivi Capitolini mentionem facere, quum inter subsellia

Quo in genere lepida est narratiuncula de illo puero, qui iussu heri fiscellam ficibus plenam ad herilem amicum deferens, partem ederat in via, partem ei reddiderat ad quem fuerant destinatae. Et rem per literas de hero delectam admirans, paulo post quum eandem ferendarum ficuum accepisset provinciam, literas, ne quid illae rescisceret, in terram defodit, ficusque, ut rebatur, sine arbitris manducavit. *Anon.*

*Vitrici sui*) Lentuli.

*Nam, comprehensio sontium, mea*) Sic melius codd. aliquot MSS. et receperunt Graev. Heusing. Ern. Olim in aliis *nam quum comprehensio sontium mea fuerit.*

nostra versentur armati? quum in hac cella Concordiae, o dii immortales! in qua, me consule, salutares sententiae dictae sunt, quibus ad hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati stent? Accusa senatum; accusa equestrem ordinem, qui tum cum senatu copulatus fuit; accusa omnes ordines, omnes cives, dum confiteare, hunc ordinem, hoc ipso tempore, ab Ityraeis circumsederi. Haec tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed quia tantam rerum repugnantiam non vides. Nihil profecto sapis. Quid est enim dementius, quam, quum ipse reipublicae perniciosa arma ceperis, obiicere alteri salutaria? At etiam quodam loco facetus esse voluisti. Quam id, dii boni, non decebat! in quo est tua culpa nonnulla. Aliquid enim salis ab uxore mima trahere potuisti. CEDANT ARMA TOGAE. Quid? tum nonne cesserunt? At postea tuis armis cessit toga. Quaeramus igitur, utrum melius fuerit libertati populi romani sceleratorum arma, an libertatem nostram armis tuis cedere. Nec vero tibi de versibus respondebo: tantum dicam breviter, neque illos, neque ullas te omnino literas

*In hac cella Concordiae*) Deprehensis coniuratorum literis, ut narrat Plutarchus in Cicerone, *Senatui in cellam Concordiae convocato literas recitavit, et indices audivit.* Vnde illud pro Sextio: *Erat eodem tempore Senatus in aede Concordiae, quod ipsum tempus repraesentabat memoria consulatus mei.* MAN.

*Non vides*) Sic Ern. At Ferrarius legit *sed quia tantam rerum repugnantiam non videas. Nihil* etc. Muret. *sed qui tantarum rerum repugnantiam non videas; nihil profecto sapis.* Lambinus: *sed qui tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis.* In Graevii codice erat *sed qui tantam rerum repugnantiam non videbas.*

*Ab uxore mima*) A Cytheride, amica sua, quam secum vel in castra ducebat. Vnde Virgil. *Tua, Galle, Lycoris, Perque nives alium, perque horrida castra sequuta est.* Cytheridem significat, ut ait Probus, quae et Volumnia vocabatur, quod eam Volumnius Eutrapelus, antequam Antonius, amavit. Vide infra et epist. ult. lib. IX Fam. MAN.

*TOGAE*) Verba illa notissima e Ciceronis poëmate de consulatu suo, quae Antonius irriserat. Integer versus laudatur de Offic. I, 22, or. in Pison. c. 30.

nosse; me nec reipublicae, nec amicis unquam defuisse, et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subsecivis, ut meae vigiliae, meaeque literae, et iuventuti utilitatis, et nomini romano laudis aliquid afferrent. Sed haec non huius temporis; ad maiora veniamus.

IX. P. Clodium meo consilio interfectum esse dixisti. Quidnam homines putarent, si tum occisus esset, quum tu illum in foro, inspectante populo romano, gladio stricto insequutus es, negotiumque transegisses, nisi ille se in scalas tabernae librariae coniecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset? Quod quidem ego favisse me tibi fateor, suasisse ne tu quidem dicis. At Miloni ne favere quidem potui. Prius enim rem transegit, quam quisquam eum suspicaretur facturum esse. At ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse reipublicae sine suasore non posset. At laetatus sum. Quid? ergo in tanta laetitia cunctae civitatis me unum tristem esse oportebat? Quamquam de morte P. Clodii fuit quaestio, non satis prudenter illa quidem constituta. Quid enim attine-

*Et iuventuti utilitatis*) Cod. Ienens. *et viventium utilitati*, quod Heusingero placebat; mihi alterum unice verum videtur.

*Ego favisse me tibi faveor*) Plausu significasse tuum factum, sive potius conatum mihi probari. Cuius autem impudentiae fuit, obiicere alteri consilium patrati facinoris, quod sua manu patrare voluerat Antonius? Abr.

*Quod quidem — tibi faveor*) Sic e cod. Vatic. Faërn. Mur. Lamb. Man. Graev. Alii *Sed quid? Ego favisse* etc. Grut. malebat: *Sed quid ego? favisse* etc. Gulielmus coniiciebat *Ecquid ego? favisse —*. Ernestio placebat *Quid? Ego favisse —*. Fortasse legendum: *Quod quidem, etsi favisse me tibi fateor, suasisse ne tu quidem dicis.*

*Facturum esse*) Attamen olim ad Atticum IV, 3, scripserat: *Si se inter viam obtulerit* (Clodius), *occisum iri ab ipso Milone video. Non dubitat facere, prae se fert, casum illum nostrum non extimescit.*

*Quamquam de morte P. Clodii*) Occurrit tacitae obiectioni: *Si omnes, ut dicis, Clodii morte laetati sunt, cur igitur Milo damnatus est?* Id acceptum refert non causae Milonis, quae fuit optima, sed institutioni novae quaestionis. De qua multis queritur pro Milone. Abr.

bat nova lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, quum esset legibus quaestio constituta? Quaesitum est tamen. Quod ergo, quum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es inventus qui diceres?

X. Quod vero dicere ausus es, idque multis verbis, opera mea Pompeium a Caesaris amicitia esse disiunctum, ob eamque causam mea culpa civile bellum esse natum: in eo non tu quidem tota re, sed, quod maximum est, temporibus errasti. Ego M. Bibulo, praestantissimo civi, consule, nihil praetermisi, quantum facere nitique potui, quin Pompeium a Caesaris coniunctione avocarem. In quo Caesar fuit felicior. Ipse enim Pompeium a mea familiaritate disiunxit. Postea vero, quam se totum Pompeius Caesari tradiderat, quid ego illum ab eo distrahere conarer? Stulti erat sperare; suadere impudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caesarem Pompeio suaserim. Ea velim reprehendas, si potes: unum, ne quinquennii imperium Caesari prorogaret; alterum, ne pateretur ferri, ut absentis eius ratio haberetur. Quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus. Atque idem ego, quum iam omnes opes, et suas et populi romani, Pompeius ad Caesarem detulisset, seroque ea sentire coepisset,

*Nemo in me dixit*) At in oratione pro Milone narrat cap. 18, *fuisse qui dicerent Milonis manu caedem esse factam, consilio vero maioris alicuius. Me videlicet latronem ac sicarium abiecti homines et perditi describebant.*

*Quaesitum est tamen — qui diceres?*) Haec verba, speciosa, ut arbitror, coniectura, Heusingero sic transponenda videbantur: *Quaesitum est tamen! Quae ergo, quum res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es inventus, qui diceres? Quamquam de morte P. Clodii fuit quaestio non satis — legibus quaestio constituta.*

*Nitique*) Sic Graevius tacite edidit, probante Ernestio. Vulgo *enitique*.

*Tradiderat*) Ita rescripsi Ernestio auctore. Vulgo *tradidit*.

*Prorogaret*) Sic Graev. Ern. e MSS. Olim *prorogaretur*.

*Ferri*) Subauditur legem.

*Ratio haberetur*) In comitiis consularibus.

quae ego ante multo praevideram, inferrique patriae bellum nefarium viderem: pacis, concordiae, compositionis auctor esse non destiti, meaque illa vox est nota multis: *Vtinam, Cn. Pompei, cum C. Caesare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses! fuit alterum gravitatis, alterum prudentiae tuae.* Haec mea, M. Antoni, semper et de Pompeio, et de republica consilia fuerunt; quae si valuissent, respublica staret, tu tuis flagitiis, egestate, infamia concidisses.

XI. Sed haec vetera: illud vero recens, Caesarem meo consilio interfectum. Iam vereor, Patres conscripti, ne, quod turpissimum est, praevaricatorem mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. Quis enim meum in istius gloriosissimi facti conscientia nomen audivit? Cuius autem, qui in eo numero fuisset, nomen est occultatum? occultatum dico? cuius non statim divulgatum? Citius dixerim, iactasse se aliquos, ut fuisse in ista societate viderentur, qui socii non fuissent, quam ut quisquam celari vellet, qui fuisset. Quam verisimile porro est, in tot hominibus, partim obscuris, partim adolescentibus neminem occultantibus, meum nomen latere potuisse? Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur, Brutos ego im-

*In conscientia*) Recte monuerunt Heusing. et Ern. esse i. q. *inter conscios.* In quibusdam MSS. in edd. pr. est *facti societate*, nempe e glossa.

*Vt fuisse in ista s. v. qui socii non fuissent*) Graev. cum Faërno, Moreto, Manutio e cod. Vatic. edidit: *ut fuisse in ea societate viderentur, quum conscii non fuissent.*

*Quam verisimile*) Ernestius malebat: *An verisimile*, vel *Quam parum verisimile.*

*Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur*) Si M. Brutus, Decimus Brutus, C. Cassius, qui conspirationis in Caesarem factae principes et auctores fuerunt, eguissent aliis auctoribus et impulsoribus ad illud facinus designandum, non opus erat ut eos ipse hortarer, iisque tanti facinoris auctor essem, quum haberent domesticos hortatores et maiorum suorum exempla. Et uterque Brutus inter paternas maiorum suorum imagi-

pellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalae? His igitur maioribus orti ab alienis potius consilium peterent, quam a suis? et foris potius, quam domo? Quid? C. Cassius, in ea familia natus, quae non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cuiusquam ferre potuit, me auctorem, credo, desideravit: qui etiam sine his clarissimis viris, hanc rem in Cilicia ad ostium fluminis Cydni confecisset, si ille ad eam ripam, quam constituerat, non ad contrariam, navi appulisset. Cn. Domitium non patris interitus, clarissimi viri, non avunculi mors, non spoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, sed mea auctoritas excitavit? An C. Trebonio persuasi? cui ne suadere quidem ausus

nes in atrio domus suae collocatas viderent imaginem Luc. Bruti, qui Tarquinios eiecit, et patriam ab eorum dominatione liberavit. M. Brutus etiam inter maternas maiorum imagines videret imaginem Ahalae Servilii, qui sua manu occidit Spurium Melium, qui annona levanda, iacturisque rei familiaris, quia nimia amplecti plebem putabatur, in suspicionem venerat regni appetendi. Cassius habaret exempla maiorum suorum, e quibus ille fuit Cassius, qui filium suum legibus agrariis populares auras aucupantem, quum in suspicionem venisset affectati regni, dicitur interemisse, et bona eius Cereri consecrasse. Abr.

*Desiderarentur*) Volgo additur *illis auctoribus*, quod delendum esse recte coniecit Ernestius.

*Si ille*) Caesar scilicet.

*Navi appulisset*) Variant libri inter *navi* et *navis* pro *naves* ut est in MS. Guelf. Nihil interest. Videtur a glossatoribus addita vox et inde varietas. Ceterum historia rei ignota est. Ern.

*Cn. Domitium*) Cn. Domitius me auctore non egebat ad inferendam Caesari necem, satis excitatus interitu patris sui Luc. Domitii, qui occubuit pugna Pharsalica, et avunculi sui M. Catonis Vticensis, qui Vticae mortem sibi ipse conscivit, ne in Caesaris victoris manus deveniret. Hic autem est Cn. ille Domitius Neronis proavus, quem Tranquillus in Nerone cap. 3, ait, *omnibus gentis suae praeferendum*. Subditque: *Is inter conscios Caesarianae necis (quamquam insons) damnatus lege Pedia, quum ad Cassium Brutumque se propinqua sibi cognatione coniunctos contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit: auxit etiam, nec nisi partibus ubique profligatis, M. Antonio sponte et ingentis meriti loco tradidit, solusque omnium ex iis qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit.* Abr.

essem. Quo etiam maiorem ei respublica gratiam debet, qni libertatem populi romani unius amicitiae praeposuit, depulsorqne dominatus, quam particeps esse maluit. An L. Tillius Cimber me est auctorem sequutus? quem ego magis fecisse illam rem sum admiratus, quam facturum putavi. Admiratus sum autem ob eam causam, quod immemor beneficiorum, memor patriae fuisset. Quid duos Servilios? Cascas dicam, an Ahalas? et hos auctoritate mea censes excitatos potius, quam caritate reipublicae? Longum est persequi ceteros: idqne reipublicae praeclarum, tam multos fuisse; ipsis gloriosum.

XII. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Caesare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus. Cur mihi potissimum? quod sciebam? Vide, ne illa causa fuerit appellandi me, quod, quum rem gessisset consimilem rebus iis, quas ipse gesseram, me potissimum testatus est, se aemulum mearum laudum exstitisse. Tu autem omnium stultissime, non intelligis, si id, quod me arguis, voluisse interfici Caesarem, crimen sit, etiam laetatum esse morte Caesaris, crimen esse? Quid enim interest inter suasorem facti, et probatorem? aut quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? Ecquis est igitur,

*Cascas an Ahalas*) P. et C. Servilios Cascas fratres, quos dubitat an potius Ahalas dicat, ab illo Servilio Ahala, qui Sp. Melium occiderat.

*Ipsis gloriosum*) Ita Heusingerus hunc locum constituit. Ernestius dedit *idque reipublicae praeclarum, tum multo ipsis gloriosus est*. Faërnus, Muretus, Lambin. e cod. Vatic. *idque reipubl. praeclarum, fuisse tam multos, ipsis gloriosum*. Grutero placuit *idque reipubl. praeclarum, tam multo ipsis gloriasius.*

*Quod sciebam?*) Sic Ferrar. e coniectura. Libri scripti *qui sciebam* vel *quid sciebam*. Graevius corrigebat *quia sciebam?*

*Appellandi me*) Cod. Vatic. *appellandi mei*, quod Faërnus aliique receperunt.

excepto te et iis, qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? Omnes ergo in culpa. Etenim omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt. Aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit: voluntas nemini. Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. Sic enim dixit: *M. Brutus, quem ego honoris causa nomino, cruentum pugionem tenens, Ciceronem exclamavit: ex quo intelligi debet, eum conscium fuisse.* Ergo ego sceleratus appellor a te, quem tu suspicatum aliquid suspicaris; ille, qui stillantem prae se pugionem tulit, is a te honoris causa nominatur? Esto: sit in verbis tuis hic stupor. Quanto in rebus sententiisque maior? Constitue hoc, consul, aliquando; Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis esse causam; edormi crapulam, inquam, et exhala. An faces admovendae sunt, quae te excitent, tantae causae indormientem? Nunquamne intelligis, statuendum tibi esse, utrum illi, qui istam rem gesserunt, homicidae sint, an vindices libertatis?

XIII. Attende enim paulisper, cogitationemque sobrii hominis punctum temporis suscipe. Ego, qui sum illorum, ut ipse fateor, familiaris, ut a te arguor, socius, nego quidquam esse medium: confiteor eos,

*Excepto te*) Sic Heusinger. e vestigiis cod. Ien. Vulgo *te excepto*. Olim edd. nonnullae *te excepto, qui illum regnare gaudebant*.

*Omnes ergo in culpa*) Ita Faërn. Manut. Lamb. Heusing. Vulgo *omnes enim in culpa*.

*Vel dicam pecudis*) Lambin. coni. *ne dicam pecudis*.

*Quem tu suspicatum*) Scil. de consilio Caesaris occidendi. *Suspicatum* enim respondet verbis *eum consc. f.*

*Is a te honoris causa nominatur?*) Gruterus vel *ille* vel *is* abundare putabat. Vtrumque tamen servandum esse Heusingerus docuit aliorum locorum exemplis, ut Cic. de offic. III, 3: *atque illud quidem — id in sapientibus est solis*.

*Ego*) Vulgo olim *etenim ego*. At *etenim* abest MSS. plerisque, idque recte deleverunt Graev. Heusinger, Ern.

nisi liberatores popnli romani conservatoresque reipublicae sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse; siquidem est atrocius patriae parentem, quam suum occidere. Tu homo sapiens et considerate, quid dicis? Si parricidae, cur honoris causa a te sunt et in hoc ordine et apud populum romanum semper appellati? Cur M. Brutus, te referente, legibus est solutus, si ab urbe plus, quam decem dies abfuisset? Cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? Cur provinciae Cassio et Bruto datae? Cur quaestores additi? Cur legatorum numerus auctus? Atque haec acta per te. Non igitur homicidae. Sequitur, ut liberatores tuo iudicio sint: quandoquidem tertium nihil potest esse. Quid est? num conturbo te? Non enim fortasse satis, quae disiunctius dicuntur, intelligis. Sed tamen haec est summa conclusionis meae: quoniam scelere a te liberati sunt, ab eodem te amplissimis praemiis dignissimi iudicati snnt. Itaque iam retexo orationem meam. Scribam ad illos, nt, si qui forte, quod a te mihi obiectum est, quaerent, sitne verum, ne cui ne-

*M. Brutus*) Cui, quia praetor erat, ab urbe plus quam decem dies abesse non licebat, nisi legibus solveretur. MAN.

*Cur ludi Apollinares*) Brutus et alii Caesaris percussores patrata caede, veteranorum, et plebeculae metu ex urbe profugerant, et Senatus ut honestum fugae praetextum daret, Brutum et Cassium annonae praefecerat. Quum autem praetoris esset urbani ludos Apollinares exhibere, eos C. Antonius praetor absentis Bruti nomine magnifice suppeditatis a Bruto sumptibus celebravit. ABR.

*Cur provinciae — datae*) Bruto Macedonia, Cassio Syria. ID.

*Disiunctius*) Vulgo *distinctius*; sed *disiunctius* in cod. Vatic. quod iam Heusingero placebat, ut scil. *disiuncte dicere* idem sit quod *disiunctione* colligere. Itaque quum *distinctius* hic alienum sit, recepi lectionem cod. Vatic. (nuper etiam a Wernsdorfio receptam) etsi pro *disiunctius* malim *disiuncte*.

*Iam retexo*) Retracto quae dixeram, me videlicet conspirationis illius conscium non fuisse. Videtur autem esse ironia: non enim ad Brutum et Cassium ea de re scribere decreverat. ABR.

*Quaerent*) Ern. malebat *quaerant*.

gent. Etenim vereor, ne aut celatum me, illis ipsis non honestum; aut invitatum refugisse, mihi sit turpissimum. Quae enim res unquam (pro sancte Iupiter!) non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta maior? quae gloriosior? quae commendatior hominum memoriae sempiternae? In huius me tu consilii societatem tanquam in equum Troianum cum principibus includis? non recuso; ago etiam gratias, quoquo animo facis. Tanta enim res est, ut invidiam istam, quam tu in me vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulsos a te praedicas et relegatos? qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus, qui illos, quum accesserint, non affari atque appetere videatur? qui homines tam agrestes, qui se, quum eos adspexerint, non maximum cepisse vitae fructum putent? quae vero tam immemor posteritas, quae tam ingratae literae reperientur, quae eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur? Tu vero adscribe me talem in numerum.

XIV. Sed unam rem vereor ne non probes. Si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de republica sustulissem: et, si meus stilus ille fuisset, ut

*Ne aut celatum me, illis ipsis non honestum*) Sic Faërn. Graev. Heusing. Alii, quod Ernestius revocavit, *ne aut celatum me ab ipsis, illis non honestum.*

*Commendatior*) Olim addebatur *erit.* Id recte cum Faërno e cod. Vat. aliisque deleverunt Graev. et Heusing.

*Quum accesserint*) Vulgo *quo accesserint.* Vere iudicavit Ern. *quo* hic alienum esse. Itaque eo auctore reposui *quum.* Sic et statim *quum eos adspexerint.*

*Si meus stilus ille fuisset*) Si fuissem poëta illius fabulae, quam Brutus et Cassius egerunt etc. Fabula est liberatio reipublicae, poëta Cicero, stylus consilium, actus unus caedes Caesaris, reliqui quatuor actus ad absolvendam fabulam requisiti videntur esse caedes Lepidi et trium Antoniorum, quos Cicero de medio sustulisset, quod iis stantibus non posset stare respublica. Alia translatione idem expressit lib. XII, ep. ad Cassium 4: *Vellem Idibus Martii me ad coenam invitasses; reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiae vestra*

dicitur, mihi crede, non solum unum actum, sed totam fabulam confecissem. Quamquam si interfici Caesarem voluisse crimen est, vide, quaeso, Antoni, quid tibi futurum sit, quem et Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est, et ob eius consilii societatem, quum interficeretur Caesar, tum te a Trebonio vidimus sevocari. Ego autem (vide quam tecum agam non inimice), quod bene cogitasti aliquando, laudo; quod non indicasti, gratias ago; quod non fecisti, ignosco. Virum res illa quaerebat. Quod si te in iudicium quis adducat, usurpetque illud Cassianum, CVI BONO FVERIT: vide, quaeso, ne haereas. Quamquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono,

*exercent, et quidem praeter ceteros me.* Quod repetit lib. X ad Familiares, epistola ad Trebonium, quae est 28. Abr. At utroque loco plus sibi arrogat Cicero, quam si usus venisset, praestare potuisset. Sch.

*Quamquam si interfici Caesarem voluisse crimen est*) Antonius Caesari ex Hispania redeunti victis Pompeii liberis, Narbonem usque obviam progressus comitem habuit et contubernalem C. Trebonium; isque oblique necandi Caesaris mentionem iniecit. Antonius Trebonii consilio non acquievit ille quidem, sed fidaliter rem silentio suppressit, ne ad aures Caesaris manaret. Cicero rem aliter interpretatus contendit, Antonio necandi Caesaris voluntatem adfuisse, sed audaciam defuisse. Abr.

*Hoc consilium*) Ita rem narrat Plutarchus in Antonio: «Et quum ex amicis fidelissimum quemque ad id negotium eligerent, deliberabant circa Antonium. Quumque ceteri vellent eum in consilii societatem admittere, repugnavit Trebonius. Dicebat enim quo tempore Caesari ex Hispania redeunti obviam ierunt, sibi comitem et contubernalem fuisse M. Antonium, cuius animum quum ipse pedetentim, et caute experiri voluisset, Antonium aiebat sensisse quidem quorsum ea dicerentur, id tamen facinus aggredi noluisse, sed nihilo secius fideliter tacuisse, neque insidias ad Caesarem detulisse.» Abr.

*Te a Trebonio vidimus sevocari*) Plutarchus tamen in Caesare: *Antonium, qui et Caesari fidelis erat et robustus, extra curiam detinuit Brutus Albinus iniiciens sermonem data opera longiorem.* Sed Plutarcho Plutarchum opponimus: *At Trebonius*, inquit in Bruto, *Antonium circa curiae ianuam seductum iniecto sermone foris detinuit.* Cui conceptis verbis adstipulatur etiam Dio lib. XLIII, et Noster lib. X ad Familiares epist. 28, quae est ad ipsum Trebonium: *Quod vero a te viro optimo seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit haec pestis, interdum, quod vix mihi fas est, tibi subirascor.* Idem Philipp. XIII. Id.

qui servire nolebant, tibi tamen praecipue, qui non modo non servis, sed etiam regnas; qui maximo te aere alieno ad aedem Opis liberasti; qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipasti; ad quem e domo Caesaris tam multa delata sunt; cuius domus quaestuosissima est falsorum commentariorum et chirographorum officina; agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitiosissimae nundinae. Etenim quae res egestati et aeri alieno tuo, praeter mortem Caesaris, subvenire potuisset? Nescio quid conturbatus esse mihi videris. Nunquid subtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? Libero te metu; nemo credet unquam; non est tuum de republica bene mereri; habet istius pulcherrimi facti clarissimos viros respublica auctores: ego te tantum gaudere dico, fecisse non arguo. Respondi maximis criminibus; nunc etiam reliquis respondendum est.

XV. Castra mihi Pompeii, atque illud omne tempus obiecisti. Quo quidem tempore si, ut dixi, meum consilium auctoritasque valuisset, tu hodie egeres, nos liberi essemus; respublica non tot duces et exercitus amisisset. Fateor enim, me, quum ea, quae

*Per easdem tabulas*) Scil. tabulas in aede Opis asservatas, in quibus pecuniae publicae exsignatae erant, ab Antonio corruptas, additis scilicet fictis Caesaris decretis, quibus cautum erat de pecuniis istis distribuendis.

*E domo Caesaris*) Post Caesaris necem Calpurnia Caesaris coniux, verita ne vel Caesaris percussores, vel etiam Senatus invaderet, ingentem pecuniae vim e domo Caesaris prolatam, id est tria circiter talentum millia deposuit apud Antonium. Et in his Caesaris commentarios, in quibus ipsius manu notata erant, quae Caesar facere decreverat. Interim quum Senatus nihil de Caesaris actis mutandum censuisset, Antonius hanc occasionem capiens Caesaris commentarios adulteravit, et agros, immunitates, vectigalia civitatibus concessit, nihilque non vendidit cuius invenit emptorem. ABR.

*Conturbatus esse mihi videris*) In libro Faërni *conturbatus esse videris.* In aliis quibusdam *conturbatus mihi esse videris.*

*Exercitus amisisset*) Tres, quorum unus in Thessalia apud Pharsalum,

acciderunt, providerem futura, tanta in moestitia fuisse, quanta ceteri optimi cives, si idem providissent, fuissent. Dolebam, dolebam, Patres conscripti, rempublicam vestris quondam meisque conservatam consiliis, brevi tempore esse perituram. Neque vero eram tam indoctus ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitae cupiditatem, quae me manens

alter in Africa apud Thapsum, tertius in Hispania apud Mundam deletus est. Primus Imperatorem habuit Cn. Pompeium, secundus P. Scipionem, tertius Cneum et Sextum liberos Pompeii. Aba. Vid. infra c. 22.

*Providerem futura*) Quam prudenter Orator bello civili futura providerit, vide orat. pro Marcello: «Tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem prudens et sciens tanquam ad interitum ruerem voluntarium.» Adde Epist. IV, lib. X ad Attic.: «Praeclara igitur conscientia sustentor, quum cogito me de republica aut meruisse optime, quum potuerim, aut certe nunquam, nisi divine, cogitasse: eaque ipsa tempestate eversam esse rempublicam, quam ego quatuordecim annis ante prospexerim.» Libro VII, epist. V: «Pace opus est. Ex victoria quum multa mala, tum certe tyrannis existet.» Lib. X, epist. V: «Regnandi contentio est, in qua pulsus est modestior rex, et probior, et integrior, et is, qui nisi vincit, nomen populi Romani deleatur necesse est: sin autem vincit, Syllano more exemploque vincet». Iam quid de interitu Pompeii praedixerit, constat e multis, ut lib. VIII ad Attic. epist. I: «Invitus in eam causam descendo, in qua neque pacis, neque victoriae ratio quaesita est unquam, semper flagitiosae et calamitosae fugae.» Lib. XI, epist. VI: «De Pompeii exitu mihi dubium nunquam fuit: tanta enim desperatio rerum eius omnium regum et populorum animos occuparat, ut quocumque venisset, hoc putarem futurum.» Quid? quod etiam Caesaris exitum longe ante prospexit. Epist. VI, lib. X: «Nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat, quippe qui florentissimus ac novus septem diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario.» Item: «Nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quod diximus: nec fallit, nec aliter accidet. Corruat iste necesse est aut per adversarios, aut ipse per se, qui quidem sibi est adversarius unus acerrimus. Id spero vivis nobis fore: quamquam tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare: sin quid acciderit maturius, haud sane mea multum interfuerit, utrum factum videam, an futurum esse multo ante viderim.» Falsus est tamen aliquando, ut epistola undecima ad Tironem: «Videtur, si insaniet, posse opprimi, modo ut urbe salva.» Aba.

*Conservatam consiliis*) Ita cod. Ien. Vulgo *consiliis conservatam*.

conficeret angoribus, dimissa molestiis omnibus liberaret. Illos ego praestantissimos viros, lumina reipublicae, vivere volebam, tot consulares, tot praetorios, tot honestissimos senatores, omnem praeterea florem nobilitatis ac iuventutis, tum optimorum civium exercitus: qui si viverent, quamvis iniqua conditione pacis (mihi enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur), rempublicam hodie teneremus. Quae sententia si valuisset, ac non ii maxime mihi, quorum ego vitae consulebam, spe victoriae elati, obstitissent: ut alia omittam, tu certe nunquam in hoc ordine, vel potius in hac urbe mansisses. At vero Cn. Pompeii voluntatem a me abalienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit? cum illo aut sermones, aut consilia contulit saepius? quod quidem erat magnum, de summa republica dissentientes, in eadem consuetudine amicitiae permanere. Sed et ego, quid ille, et contra ille, quid ego sentirem et spectarem, videbat. Ego incolumitati civium primum, ut postea dignitati possemus; ille praesenti dignitati potius consulebat. Quod autem habebat uterque quod

*Liberaret*) Sic MS. Valic. Graev. idque receperunt Faërn. Muret. Lamb. Graev. Ern. Olim volgo *liberasset*.

*At vero*) Obiectio Antonii. Macrobius libro II Saturnalium c. 3: « Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit. Cuius de eo dicta ferebantur. Ego vero quem fugiam habeo, quem sequar non habeo. » Paulo post: « Et quum donasset Pompeius transfugam civitate Romana, O hominem bellum! inquit, Gallis civitatem promittit alienam, qui nobis nostram non potest reddere. Propter quae merito videbatur dixisse Pompeius: cupio ad hostes Cicero transeat, ut nos timeat. » Plura eius dicta referemus, quum de iocis dissereiur. Dictum vero Pompeii elegantius ponitur apud Fabium libro VI, capite 4: *Transi ad Caesarem, me timebis*. Abr.

*De summa republica*) Sic Faërn. alii e cod. Vatic. Vulgo *de summa re*.

*Dissentientes*) Sic opt. cod. Muret. Olim alii *dissidentes*.

*Ego incolumitati civium — dignitati potius consulebat*) Sequutus sum cod. Vaticani scripturam. Vulgo: *ego incolumitati civium primum, et postea dignitati, ille praesenti dignitati potius consulebat*.

sequeretur, idcirco tolerabilior erat nostra dissensio. Quid vero ille singularis vir, ac paene divinus de me senserit, sciunt, qui eum Pharsalica fuga Paphum prosequuti sunt. Nunquam ab eo mentio de me, nisi honorifica, nisi plena amicissimi desiderii, quum me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora. Et eius viri nomine me insectari audes, cuius me amicum, te sectorem esse fateare? Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuisti. Ne iocis quidem respon-

*Singularis vir*) Sic Faërn. Mur. Lamb. Graev. Ern. cod. Vatic. Vulgo *consularis vir*. Manut. cooi. *clarissimus vir*.

*Prosequuti*) *Persequuti* codd. Ien. al.

*Ab eo mentio de me*) Cod. Ien. *ob eo de me mentio*.

*Amicissimi*) Cod. Ien. *amantissimi*.

*Et eius viri nomine*) Epiphonema: sector Pompeii fuit Antonius, qoia, ut infra dicetur: *Bona Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimae subiecta praeconi. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam Diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet occedere, inventus est nemo praeter Antonium*. Abr.

*Ne iocis quidem respondebo*) Praetermissio. Quod spectat ad iocos quibus me in castris intempestive usum esse dixisti, illud crimen indignum est responsione. De iocis Plutarchus in Cicerone iam ante laudatus: *Ipse quidem sine risu et moestus obibat exercitum; aliis autem, quum minime requirerent, ridendi materiam suggerebat*. Sed quid nocebit, si tum ipse, tum Macrobius uterque loco citato, nonnihil nobis harum facetiarum impertiat? Macrobius: *Quum ad Pompeium venisset: dicentibus sero eum venisse, respondit: Minime sero veni: nam nihil hic paratum video*. In eo iocus fuit, quod tanquam ad epulas invitatus responderit, orationemque a bello ad convivia traduxerit. *Deinde interroganti Pompeio, ubi gener eius Dolabello esset, respondit: cum socero tuo*. Elegans plane iocus: obscure crimini dabat Pompeius, quod in adversis partibus esset gener Ciceronis, quasi genero et socero non bene conveniret; ipse quasi aliud agens crimen retorsit, et Pompeio crimini vertit, quod a Caesare socero suo dissideret. Plutarchus: «Quum Domitius quendam usu militari non satis probatum ad ordines militiae promovere vellet, diceretque eum et probum esse et frugi, Cur igitur, inquit, eum non servas, ut sit curator tuorum liberorum? Quibusdam Theophanem Lesbium praefectum fabrum laudantibus, quod Rhodios amissa classe commode consolatus esset; Quam bonum est, inquit, Graecum habere praefectum! Quum Caesari plurima ex animi sententia succederent, isque quodammodo iam ipsos obsideret, Lentulo dicenti se comperisse Caesaris amicos esse tristes, respondit, Dicis eos Caesarem odisse. Marico autem quodam ex Italia veniente, dicenteque Romae famam esse

debo, quibus me in castris usum esse dixisti. Erant illa quidem castra plena curae: verumtamen homines quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur. Quod autem idem moestitiam meam reprehendit, idem iocum: magno argumento est, me in utroque fuisse moderatum.

XVI. Hereditates mihi negasti venire. Vtinam hoc tuum verum crimen esset! plures amici mei et necessarii viverent. Sed qui istuc tibi venit in mentem? ego enim amplius HS ducenties acceptum hereditatibus retuli. Quamquam in hoc genere fateor feliciorem esse te. Me nemo, nisi amicus, fecit heredem, ut cum illo commodo, si quod erat, animi quidam dolor iungeretur: te is, quem tu vidisti nunquam, L. Rubrius Cassinas, fecit heredem. Et quidem vide, quam te amarit is, qui, albus aterne fueris, ignorans, fratris filium praeteriit, Q. Fufii, honestissimi equitis romani, suique amantissimi, quem palam heredem

Pompeium obsideri; Deinde, inquit, huc navigasti ut esses testis oculatus? Post cladem Pharsalicam, Nonio dicente bene sperandum esse, quod e Pompeii exercitu septem aquilae superessent; Bene, inquit, hortaris, si cum graculis bellum gereremus. Labieno divinationibus nitente, quasi in fatis esset, ut penes Pompeium esset totius belli victoria; Videlicet, inquit, hoc usi stratagemate modo castra amisimus ». Ann.

*Hereditates*) Ignominiosum fuit in amicorum testamentis praeteriri, quod illud indicio esset praeteritos parum amari. Id.

*Venire*) Fortasse verius *venisse*. Cod. Huydecop. *obvenisse*.

*Et quidem vide*) Ironia, quae gravius aliquid suspicandum relinquit. Amor enim non fertur in incognitum: nec Rubrius amare potuit Antonium, quem penitus ignorabat. Quibus innuitur, testamentum illud, quod Antonium Rubrii faciebat heredem, adulteratum et subiectum fuisse. Ann.

*Aterne*) Ita recte Heusinger e cod. Ien. Vulgo, *aterve*.

*Amantissimi*) Vulg. *amicissimi*. Meliorem lectionem Heusingero praebuit cod. Ienens.

*Quem palam heredem semper factitarat*) Tanta hic est librorum varietas, ut ea ipsa argumento sit, hic verba quaedam adsiticia esse. Alii post *factitarat* addunt *ne nominat quidem*. Faërn.: *ne meminit quidem*. Colon.: *ne nomen quidem qui scribit*.

semper factitarat: te, quem nunquam viderat, certe nunquam salutaverat, fecit heredem. Velim mihi dicas, nisi molestum est, L. Turselius qua facie fuerit, qua statura, quo municipio, qua tribu. Nihil scio, inquies, nisi quae praedia habuerit. Igitur, fratrem exheredans, te faciebat heredem. In multas praeterea pecunias alienissimorum hominum, eiectis veris heredibus, tanquam heres esses, invasisti. Quamquam hoc maxime admiratus sum, mentionem te hereditatum ausum esse facere, quum ipse hereditatem patris non adisses.

XVII. Haec ut colligeres, homo amentissime, tot dies in aliena villa declamasti? quamquam tu quidem

Ienana.: *ne nomen quidem perscripsit;* quod fere Gruterus suum fecit. Quidquid adsciveris, redundabit illud, et veram auctoris sententiam perturbabit. Antonius heres exstiterat L. Rubrio Cassinati, ut ipse videri volebat, a defuncto scriptus, ut Cicero suspicatur, adulteratis testamenti tabulis, per fraudem subditus. Nam quum Rubrius vivens saepe palam dixisset, se fratris sui Q. Fufii filio bona sua relinquere, neque ulla postea simultas intercessisset, postquam defuncti testamentum apertum est, praeter omnium opinionem, praeterito fratris filio, scriptus in eo heres fuit Antonius, quem nunquam viderat. Hoc satis declarant verba, dummodo suspecta haec abiiciantur: *ne nomen quidem perscripsit*, quae, quod aliquid deesse videbatur, a grammatico aliquo adscripta sunt, qui non vidit *fratris filium Q. Fufii* cohaerere hoc modo: *qui, albus aterne fueris, ignorans, fratris Q. Fufii filium praeteriit, te fecit heredem.* Ita omnia plana ac perspicua sunt. Hactenus I. Mich. Heusingerus, quem sequor. Graevius sic edidit: *fratris filium praeteriit, Q. Fufii honestissimi equitis Romani suique amicissimi, quem palam heredem semper factitarat, ne nominat quidem; te quem nunquam viderat, aut certe nunquam salutaverat, fecit heredem.* Ceterum *Fufii* nomen habent meliores codd. Alii *Furii.*

*Certe nunquam salutaverat*) Ita rescripsi pro vulg. *ac nunquam salutaverat;* quod incommodum est, quia hoc per se intelligitur. Ernestio totum videbatur spurium. Sed facile se tuetur modo cum Vatic. cod. legas *aut certe nunquam salutaverat*, in quo tamen particula *aut* redundat.

*Esses invasisti*) Sic legendum esse vidit Heuman. probantibus Heusingero et Ernestio. Vulgo *esset, invasit.*

*Hereditatem patris non adisses*) M. Antonii Cretici, cuius hereditatem propter magnitudinem aeris alieni filius non adierat.

*In aliena villa*) In Tiburtina Scipionis Metelli. Vid. ad Fam. XII, 2; Phil. V, 7. Ern.

(ut tui familiarissimi dictitant) vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamitas. Et vero adhibes ioci causa magistrum, suffragio tuo et compotorum tuorum, rhetorem; cui concessisti, ut in te, quae vellet, diceret. Salsum omnino hominem! sed materia facilis, in te et in tuos dicta dicenti! Vide autem, quid inter te et avum tuum intersit. Ille sensim dicebat, quod causae prodesset; tu cursim dicis aliena. At quanta merces data est rhetori? Audite, audite, Patres conscripti, et cognoscite reipublicae vulnera. Duo millia iugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori assignasti, et quidem immunia, ut populi romani tanta mercede nihil sapere disceres. Num etiam hoc, homo audacissime, ex Caesaris commentariis? Sed dicam alio loco et de Leontino agro et de Campano: quos iste agros, ereptos reipublicae, turpissimis possessoribus inquinavit. Iam enim, quoniam criminibus eius satis respondi, de ipso emendatore et correctore nostro quaedam dicenda sunt. Nec enim omnia effundam, ut, si saepius decertandum sit, ut erit, semper novus veniam: quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum peccatorumque largitur.

XVIII. Visne igitur te inspiciamus a puero? Sic opinor: a principio ordiamur. Tenesne memoria, praetextatum te decoxisse? Patris, inquies, ista culpa

*Adhibes ioci causa — diceret*) Haec citantur a Suetonio de claris Rhetoribus c. 5.

*Dicta dicenti!*) Vulgo *dicta dicere*, quod Ernestius interpolatori tribuebat, cui non assentior; melius est quod illi in mentem venit reponere *dicenti*.

*Campi Leontini*) Leontinus ager fuit Siciliae totius uberrimus. MAN.

*Tanta mercede*) Sic cod. Vatic. probantibus Mur. Heusing. Vulgo *ut pro tanta mercede*.

*A principio ordiamur*) Heusingero haec interpunctio placebat: *Sic, opinor, a principio ordiamur*.

*Praetextatum*) Per praetextam aetas designabatur. Nam veste praetexta utebantur pueri ab anno septimo ad decimum sextum. Praetexta autem dicta est, quod limbo purpureo circumduceretur, etsi alterius esset co-

est. Concedo. Etenim est pietatis plena defensio. Illud tamen audaciae tuae, quod sedisti in quatuordecim

loris: eadem veste utebantur Romani nobiles. *An.*

*Patris, inquies, isto culpa est*) Pater est ille M. Antonius Creticus tam dissolutus nepos, ut ne tabulas quidem rationum conficere crederetur. Cicero libro III in Verrem: *Audimus aliquem*, ait, *tabulas nunquam confecisse: quae opinio hominum de Antonio falsa.* Vbi Asconius: *Hic est Marcus Antonius dissolutissimus curator orae maritimae, Cretae mortuus* etc. *quem Sallustius ait perdendae pecuniae genitum, et vacuum a curis, nisi instantibus.* Vt Orator Antonio filio dissolutionem patris his verbis obiecerit: PATRIS, INQVIES, ISTA CVLPA EST. Antonii pater fuit, « Antonius Creticus, vir (ut est apud Plutarchum), non ita quidem splendidus et illustris in republica, vir bonis tamen et commodis moribus, tum potissimum in largiendo liberalis, ut ex uno eius facto facile cognosci potest. Quum enim magnas divitias haudquaquam possideret, at eam ob rem ab uxore liberalitatem exercere prohiberetur, contigit ut familiaris quidam ad eum pecuniam petens accederet. Deficiente pecunia, servulo mandavit, ut aquam in vas argenteum infunderet, ad seque deferret. Quo allato quasi barbam rasurus mentum rigavit, et servulum alio praetextu abs se dimisit. Amico vasculum dedit, iubens, ut eo pro quo commodo uteretur. Quum autem quid eo vasculo factum esset diligenter inter domesticos quaereretur, uxorem graviter stomachari videns, et de singulis velle habere quaestionem, factum confessus est, rogans, ut illa sibi ignosceret. » Haec Plutarchus paulo liberalius et benignius quam Orator, vel etiam ipse Antonius. *Abr.*

*Illud tamen audaciae tuae*) Lex Roscia theatralis a L. Roscio Othone tribuno plebis lata, ne quis spectaret in quatuordecim primis graduum ordinibus, qui proxime ad orchestram et podium accedebant, nisi si esset ingenuus ab ingenuo patre, et censum equestrem, id est, quadringenta sestertia, possideret. Iis autem ex senatorio vel equestri ordine natis, qui sive suo, sive fortunae vitio decoxerant, neque iam censum equestrem obtinebant, peculiarem locum constituit. Ex hoc igitur capite Antonii carpit audaciam, quod legem Rosciam praefracte violarit, et sederit in quatuordecim, quum decoxisset.

*In quatuordecim ordinibus*) Quatuordecim gradus in theatro infimi et orchestrae proximi Roscia lege fuerunt equitibus destinati, vetitumque ne quis plebeius huiusmodi gradus occuparet. Vetus interpres Horatii ad illa Epodi verba in Moenam, sive Menodorum libertum Sexti Pompeii: *Sedilibusque magnus in primis eques Othone contempto sedet. Otho, inquit, quatuordecim gradus in theatro equiti separarat, ex quibus primi tribunitiis potestatibus vacarent.* Hinc huiusmodi gradus modo equestria, modo quatuordecim, modo ordines nominati. Dicti etiam quatuordecim, quod is revera graduum numerus esset equiti destinatus. Seneca: *At mehercule multis quatuordecim gradus sunt clausi, non omnes Curia admittit.* Sub Augustis tamen ita excrevit equestris ordo, ut non solum quatuordecim

ordinibus, quum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset. Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem togam reddidisti. Primo vulgare scortum; certa flagitii merces, nec ea parva; sed cito Curio intervenit, qui te a meretricio quaestu abduxit; et, tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili et certo locavit. Nemo unquam puer, emptus libidinis causa, tam fuit in domini potestate, quam tu in Curionis. Quoties te pater eius domo sua eiecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares, quum tu tamen, nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere. Quae flagitia domus illa diutius ferre non potuit. Scisne, me de rebus mihi notissimis dicere? Recordare tempus illud, quum pater Curio moerens iacebat in lecto; filius se ad pedes meos prosternens, lacrymans, te mihi commendabat; orabat, ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem; tantum enim se pro te intercessisse. Ipse autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset, se in exsilium iturum. Quo ego tempore tanta mala florentissimae familiae sedavi, vel potius sustuli. Patri persuasi, ut aes alienum filii dissolveret; redimeret adolescentem, summa spe et animi et ingenii praeditum,

illos gradus, sed interdum totam caveam occuperet. GRAEV.

*Totam reddidisti*) Sic cod. Vatic. idque recepit Heusinger. Vulgo olim *sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.*

*Intercessisse*) Soluturum promisisse. Sic alibi Cicero loquutus. MAN.

*Se in exsilium*) Vulgo additur *esse*, quod rectius abest cod. Ien.

*Quo ego tempore tanta mala*) *Quo tempore ego quanta* cod. Vatic. Wernsdorf.

*Redimeret adolescentem*) *Redimi* dicebantur ii, qui solvebantur et liberabantur aere alieno. Debitores enim, si solvendo non erant, ipsi vinciebantur, et creditoribus addicebantur in servitutem, donec aes alienum dissolverent. Quae consuetudo etiam duodecim tabulis confirmata est. *An.*

rei familiaris facultatibus; eumque a tua non modo familiaritate, sed etiam congressione, patrio iure et potestate prohiberet. Haec tu, quum per me acta meminisses, nisi illis, quos videmus, gladiis confideres, maledictis me provocare ausus esses?

XIX. Sed iam stupra et flagitia omittam. Sunt quaedam, quae honeste non possum dicere: tu autem eo liberior, quod ea in te admisisti, quae a verecundo inimico audire non posses. Sed reliquum vitae cursum videte: quem quidem celeriter perstringam. Ad haec enim, quae in civili bello, in maximis reipublicae miseriis fecit, et ad ea, quae quotidie facit, festinat animus. Quae peto, ut, quamquam multo notiora vobis, quam mihi sunt, tamen, ut facitis, attente audiatis. Debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio solum rerum, sed etiam recordatio. Tametsi incidamus oportet media, ne nimis sero ad extrema veniamus.

Intimus erat in tribunatu Clodio, qui sua erga me beneficia commemorat; eius omnium incendiorum fax; cuius etiam domi quiddam iam tum molitus est. Quid dicam, ipse optime intelligit. Iter inde Alexandriam contra senatus auctoritatem, contra rempublicam et religiones; sed habebat ducem Gabinium,

*Quiddam iam tum molitus est*) De stupro Fulviae, uxori Clodii, inferendo Manutius, de Pompeio et ceteris civitatis principibus interficiendis Abramus putat suspicionem fuisse. Vid. c. 38. Heusing.

*Iter inde*) *Inde iter* Wernsdorf.

*Religiones*) Sic cod. Vatic. et len. Vulgo *religionem*.

*Sed habebat ducem Gabinium*) Tradit contra Plutarchus Antonium fuisse ducem Gabinio. « Gabinio decem talentorum millibus sollicitante Ptolemaeo, ut simul cum ipso in Aegyptum expeditionem susciperet, et ipse regnum reciperet, legatorum et praefectorum plurimi repugnabant, et Gabinium quamvis tanta mercede constrictum ab eo bello quaedam formido revocabat. Antonius autem in omnes magnarum rerum occasiones intentus, et Ptolemaeo roganti gratificans, ad hanc expeditionem Gabinium impulit, et concitavit. » Cele-

quicum quidvis rectissime facere posset. Qui tum inde reditus, aut qualis? Prius in ultimam Galliam ex Aegypto, quam domum. Quae autem erat domus? Suam enim quisque domum tum obtinebat, neque erat usquam tua. Domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres, praeter unum Misenum, quod cum sociis, tanquam Sisaponem, tenebas?

rum postquam a Clodio discessit, antequam se Gabinio coniungeret, in Graecia fuerat aliquandiu commoratus. Sed Orator tempus illud relinquit intactum, vel studio brevitatis, vel quia, quod in eo reprehenderet, non habebat. Hoc enim temporis spatio Antonius intermissa literarum et eloquentiae studia renovarat. Missus etiam a Gabinio fuerat in Iudaeam, hostium arcem primus invaserat, Aristobulum cum filio ceperat, parva militum manu ingentes Iudaeorum copias conciderat. Id quoque prudens et sciens Tullius omittit: paucisque perstringit profectionem in Aegyptum, dixisse contentus, ea profectione Senatus auctoritatem, rempublicam, religiones fuisse violatas, dissimulatis rebus in Aegypto praeclare gestis, quibus Antonius reliquerat suae fortitudinis, providentiae, humanitatis impressa vestigia. Nam cum equitatu praemissus, viarum angustias, atque adeo urbem Pelusium occuparat, et intervenerat, ne Ptolemaeus Aegyptiorum primores occideret, et ingenti proelio, circumiens hostes et a tergo invadens, *victoriam iis qui ex adverso vemebant expediens, praemus*, ut par fuit, *militaribus donatus est*; et Archelai *demortui caput inventum*, *et ornatum regia magnificentia sepelivit*. Quare Noster quod invidiosum erat, videlicet ipsam profectionem contra religiones et oracula susceptam, insectatur; reliqua tacet, quod Antonius ex iis veluti fontibus ad hominum commendationem et militum benevolentiam profluxerat. Et allegoria suam orationem obscurat; ne vel aperte damnet Gabinium, quem olim maiestatis accusatum defenderat, vel inimicum laudare videatur. ID.

*Qui tum inde reditus*) Iure invehitur in reditum Antonii, quod ex Aegypto rediens, non domum et necessarios suos inviserit, sed profectus fuerit in ultimam Galliam ad Caesarem. Quod profecto non fecisset, nisi desperatis vitae suae rationibus videret se in urbe stare non posse, aut propter flagitia sic invisum esse suis, ut ad matrem non auderet accedere. ID.

*In ultimam Galliam*) Ad Caesarem.

*Quae autem erat domus — usquam tua*) Haec suspicor glossaturis esse.

*Suam enim quisque domum*) Acriter reddit rationem cur Antonius domum non haberet. Si enim dixisset, Tu enim decoxeras, et domus patris addicta fuerat creditoribus, veram quidem ille causam reddidisset. Sed longe vehementius, *Suam enim quisque domum tum obtinebat*; quibus verbis et memoria belli civilis, quod tam multos sedibus suis expulit, refricatur, et invidia quaeritur Antonio, qui in tam multorum civium domos invasit. ABR.

*Tamquam Sisaponem*) Sisapo erat Hispaniae oppidum in conventu Cor-

XX. Venisti e Gallia ad quaesturam petendam. Aude dicere, te prius ad parentem tuam venisse, quam ad me. Acceperam enim iam ante Caesaris literas, ut mihi satisfieri paterer a te. Itaque ne loqui quidem sum te passus de gratia. Postea custoditus sum a te, tu a me observatus in petitione quaesturae. Quo quidem tempore P. Clodium, approbante populo romano, in foro es conatus occidere; quumque eam rem tua sponte conarere, non impulsu meo: tamen ita praedicabas, te non existimare, nisi illum interfecisses, unquam mihi pro tuis in me iniuriis satis

dubensi, miniariis fodinis nobile, quarum proventum publicani redimere solebant, Plin. XXXIII, 7; Vitr. VII, 9: ut *Sisaponis* igitur possessores erant plures, ita Misenensis praedii dominus non solus erat Antonius quod eum pluribus sociis tenebat. add. c. 29. Hevsing.

*Ad parentem tuam*) Interpretes fere omnes intelligunt de Iulia lectissima femina, M. Antonii matre. *T.*

*Acceperam enim iam ante*) *Acceperam iam ante* Wernsdorf.

*Postea custoditus*) *Cultus* MS. Pal. 2, it. Ferrar.

*Postea custoditus sum a te*) Posteaquam Caesaris literis commendatus in gratiam receptus es, me comitatus es per urbem, meumque latus stipavisti, ut me contra vim et arma P. Clodii defenderes. Respicit tempus illud quo Publius Clodius restituto Cicerone insidias ei comparavit, ad vimque confugit. Aen.

*Observatus in petitione quaesturae*) *Observabantur* adolescentes a proceribus, qui in petitione magistratuum honoris et commendationis causa deducebantur. Observari etiam minorem a maiore ostendit Cic. lib. VII ad Famil., ep. 27: *Ego enim te in consulatu observaram.* Scribit autem ad Gallum. Fuit autem Gallus (ut multis probat Manutius), Publius ille Sextius, qui quaestor fuit consule Cicerone, et ab eo post iudicio de vi defensus est, pro quo extat nobilis illa oratio. Igitur observatus est quaestor a consule, ut mirari non debeas, Antonium quaesturae candidatum observatum fuisse a Tullio consulari. *Est autem observare*, verba sunt Manutii, epist. citata, *quum ad aliquem honoris officiique causa saepe accedimus.* Id quidem ille probat tum hoc loco, tum epist. 1 ad Atticum: *Observat Luc. Domitium maxime.* Sed expressius exemplum est pro Murena: « Neque enim fieri potest, neque postulandum est a nobis, aut ab equitibus romanis, ut suos necessarios candidatos sectentur totos dies: a quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deducimur, si uno basilicae spatio honestamur, diligenter observari videmur, et coli ». Id.

*Pro tuis in me iniuriis*) Quas tu mihi intuleras, quum eras intimus Clodio in tribunatu, eiusque omnium incendiorum fax. Id.

esse facturum. In quo demiror, cur Milonem impulsu meo rem illam egisse dicas, quum te, ultro mihi idem illud deferentem, nunquam sim adhortatus: quamquam, si in eo perseverares, ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quam ad meam gratiam. Quaestor es factus; deinde continuo sine senatusconsulto, sine sorte, sine lege ad Caesarem cucurristi; id enim unum in terris, egestatis, aeris alieni, nequitiae, perditis vitae rationibus perfugium esse ducebas. Ibi te quum et illius largitionibus et tuis rapinis explevisses (si hoc est explere, ingerere quod statim effundas), advolasti egens ad tribunatum, ut in eo magistratu, si posses, viri tui similis esses.

XXI. Accipite nunc, quaeso, non ea, quae ipse in se atque in domesticum dedecus impure atque intemperanter, sed quae in nos fortunasque nostras, id est, in universam rempublicam, impie ac nefarie fecerit. Ab huius enim scelere omnium malorum prin-

*Si in eo perseverares*) Cod. Ien. *perseverasses*; idque Graev. e Ms. suo recepit.

*Si in eo perseverares*) Si constans esses in illo odio improborum. Abr.

*Quaestor es factus*) Scil. A. V. 700 Pompeio Magno III cos.

*Cucurristi*) Scil. in Galliam ut Caesaris proquaestor esset. Id factum A. V. 702, Marcello et Sulpicio coss.

*Nequitiae, perditis vitae rationibus*) *Nequitia perditis vitae rationibus* Heusinger e cod. Ien.

*Si hoc est explere, ingerere quod statim effundas*) Vulgo *explevisses, si hoc est explere quod statim effundas.* In quo bene monuerunt viri docti, post *explere* omissum esse a librariis verbum aliquod ut *haurire*. Mihi aptissimum visum est *ingerere*. Ac respexit fortasse ad irritum laborem Danaidum quos Lucret. ait III, 1023, *laticem pertusum congerere in vas, quod tamen expleri nulla ratione potestur.* Ceterum h. l. structura verborum simillima est isti orat. pro Quintio cap. 2: *Naevium defendant; si id est defendere cupiditati alterius obtemperare* etc.

*Viri tui similis*) Curionem designat, qui superiore anno 703 tribunus plebis fuerat, emptusque a Caesare ab eius causa pertinaciter steterat. Fran. Dicitur vir Antonii, eadem mente qua superius dicitur *a Curione in matrimonio stabili et certo locatus esse.* Addit *si posses*, quia difficile fuit Antonio Curionis similem evadere, quod neque animo, neque ingenio, et eloquentia ad Curionem aspiraret. Abr.

cipium natum reperietis. Nam quum L. Lentulo, C. Marcello consulibus, Kalendis Ianuar. labantem et prope cadentem rempublicam fulcire cuperetis, ipsique C. Caesari, si sana mente esset, consulere velletis: tum iste venditum atque emancipatum tribunatum consiliis vestris opposuit, cervicesque suas ei subiecit securi, qua multi minoribus in peccatis occiderunt. In te, M. Antoni, id decrevit senatus, et quidem incolumis, nondum tot luminibus exstinctis, quod in hostem togatum decerni est solitum more maiorum. Et tu apud patres conscriptos contra me dicere ausus es, quum ab hoc ordine ego conservator essem, tu hostis reipublicae iudicatus? Commemoratio illius tui sceleris intermissa est, non memoria deleta. Dum genus hominum, dum populi romani nomen exstabit (quod quidem erit, si per te licuerit, sempiternum), tua illa pestifera intercessio nominabitur. Quid cupide a senatu, quid temere fiebat, quum tu, unus

*Ipsique C. Caesari*) Quoniam potuit Antonius causari se intercessisse senatusconsulto, quod Caesari, cui fuerat quaestor anno superiore, iniuriam fieri videret (siquidem factum fuerat S. C. uti ante certum diem Caesar exercitum dimitteret: si non faceret, eum adversus rempublicam facturum videri), idcirco prudenter huic obiectioni noster occurrit, aiens Senatum C. Caesari, si sana mente esset, et Senatui obtemperare vellet, consulere voluisse. Abr.

*In te*) Vulgo additur *autem*, quod abest cod. Vatic. Colon. Recte omisit Wernsdorf.

*In hostem togatum decerni*) Senatus nonnunquam decernebat, ut perturbatores reipublicae in hostium numero haberentur. In Pisonem: *De me Senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore, et eius sententiae principe, ut si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur.* Vbi diximus, senatum nonnunquam ita decreta sua muniisse, ut adscriberet, si quis intercesserit, se gravissime laturum, vel intercessorem videri facturum contra rempublicam, vel eum in hostium numero habendum. Quae eodem paene recidebant. Idem enim fuit videri fecisse contra rempublicam, atque in hostium numero censeri. Abr.

*Licuerit*) *Licebit* cod. Vatic. melius iudice Heusingero.

*Intercessio*) Qua impedivit, ne valeret S. C. quo decretum erat, ut ante certam diem Caesar exercitum dimitteret. Man.

*Vnus adulescens*) Non unus sed cum Q. Cassio, quod non ignoravit

adolescens, universum ordinem decernere de salute reipublicae prohibuisti? neque id semel, sed saepius? neque tu tecum de senatus auctoritate agi passus es? Quid autem agebatur, nisi ne delere et evertere rempublicam funditus velles, quum te neque principes civitatis rogando, neque maiores natu monendo, neque frequens senatus agendo, de vendita atque addicta sententia demovere potuit? Tum illud, multis rebus ante tentatis, necessario tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te; quorum incolumis fuit nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo consulibus reliquisque imperiis et potestatibus: quae non effugisses, nisi te ad arma Caesaris contulisses.

XXII. Tu, tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Caesari, omnia perturbare cupienti, causam belli

Cicero, sed de industria dissimulavit. Vid. Epp. ad Fam. XVI, 11, Caes. de B. C. lib. 2. Hevsing.

*Neque id semel*) Aliud adiectum quo Antonii scelus exaggerat, quod Antonius in eo pertinax fuerit et obstinatus, ostenderitque se non subito nascentis cupiditatis impetu, sed certa animi inductione senatusconsulto de provinciis intercedere, neque secum agi de Senatus auctoritate, id est, ne voces quidem eorum admiserit, qui rogabant, ne se unus Senatus auctoritati opponeret. Abr.

*Demovere*) Sic Ern. Vulg. *movere*.

*Tum illud*) Redit ad notam Senatus, qui in Antonium decrevit, quod in hostem togatum decerni est solitum more maiorum. Id est, decrevit eum contra rempublicam facturum videri, si diutius Senatusconsulto de provinciis Caesaris obstitisset. Notat tamen id factum fuisse, et multis rebus ante tentatis et necessario, ut ostendat Senatus lenitatem, qui ad huiusmodi poenam infligendam non descendisset, nisi necessitate compulsus. Notat paucis ante Antonium id vulnus inflictum fuisse, ut eo poena gravior quo inusitatior appareret; eorum quibus inflictum est, incolumem fuisse neminem, ad exaggerandam poenae gravitatem. Abr.

*Contra te dedit arma*) Extremo illo decreto *viderent Coss. et Procoss. ceteri, ne quid respubl. detrimenti caperet.* Caes. de B.C. I, 5, epp. ad Fam. XVI, 11.

*Causam belli*) Quae lectio mihi plurimum arridet. Si enim Caesar iam ante omnia turbare cupiebat et tantummodo speciosum praetextum suo sceleri quaerebat; non reipsa belli causa fuit expulsio, et circumscriptio M. Antonii, sed tantum praetextus, et occasio, quam Caesar oblatam arripuit, quasi ansam, ad bellum reipublicae inferendum. Eam tamen causam videri volebat Caesar, quasi non ambitione duceretur, sed inter-

contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat? quam causam dementissimi sui consilii et facti afferebat, nisi quod intercessio neglecta, ius tribunicium sublatum, circumscriptus a senatu esset Antonius? Omitto, quam haec falsa, quam levia: praesertim quum omnino nulla causa iusta cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Caesare: tibi certe confitendum est, causam perniciosissimi belli in persona tua constitisse. O miserum te, si intelligis, miseriorem, si non intelligis, hoc literis mandari, hoc memoriae prodi, huius rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum unquam immemorem fore, consules ex Italia excussos, cumque his Cn. Pompeium, qui imperii populi romani decus ac lumen fuit, omnes consulares, qui per valitudinem exsequi fugam illam clademque potuissent, praetores, praetorios, tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem subolem iuventutis, unoque verbo, rempublicam expulsam atque exterminatam suis sedibus! Vt igitur in seminibus est causa arborum, et stirpium; sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis, tres exercitus populi romani interfectos: in-

cessionem tribunitiam et iura plebis Romanae defenderet. Ern.

*Nihil de Caesare*) Sic cod. Vatic. et edd. pr. Alii *sed nihil Caesari.*

*Excussos*) Sic Gruter. e cod. MS. Vulgo *expulsos.*

*Fugam illam clademque*) *Cladem illam fugamque* MS. len. aliique. Id receperunt Graev. Heusing. Ern.

*Tres exercitus*) Primus populi Romani exercitus deletus a Caesare, et interfectus est ad Philippos et Pharsalum in Thessalia, cui praeerat ipse Cn. Pompeius. Secundus in Africa ad Thapsum, duce Scipione socero Pompeii; tertius ad Mundam in Hispania, ducibus Cneo et Sexto Pompeiis. Multas et ipse Caesar clades per suos legatos accepit, *quorum C. Curio*, inquit Tranquillus, cap. 36, *in Africa periit* (cum duabus legionibus et equitibus quingentis, ex Caesare) *C. Antonius in Illyrico in adversariorum devenit potestatem: P. Dolabella classem in eodem Illyrico, Cn. Domitius Calvinus in Ponto exercitum amiserunt.* Ipse duo circiter millia militum proelio Dyrrhachino, Mundensi mille amiserat. Sed tres tantum clades enumerat Orator,

terfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives: eos quoque eripuit vobis Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est: afflixit Antonius. Omnia denique, quae postea vidimus (quid autem mali non vidimus?) si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Vt Helena Troianis, sic iste huic reipublicae causa belli, causa pestis atque exitii fuit.

XXIII. Reliquae partes tribunatus principio similes. Omnia perfecit, quae senatus, salva republica ne fieri possent, perfecerat. Cuius tamen scelus in scelere cognoscite. Restituebat multos calamitosos. In his patrui nulla mentio. Si severus, cur non in omnes? si misericors, cur non in suos? Sed omitto ceteros. Licinium Lenticulam, de alea condemnatum, collusorem suum, restituit; non quasi ludere cum condemnato non liceret, sed ut, quod in alea perdiderat, beneficio legis dissolveret. Quam attulisti rationem populo romano, cur eum restitui oporteret? Absentem credo in reos relatum; rem indicta causa iudi-

quasi Caesariani non in civium, sed in hostium numero censeantur. Abr.

*Quid autem mali non vidimus?*) *Quid autem mali vidimus* Wernsdorf.

*In his patrui*) C. Antonii, Ciceronis in consulatu collegae, in causa repetundarum damnati et exsulantis.

*Lenticulam*) Sic edd. pr. cod. Pal. Ien. et defendit Heusinger. Graevius *Denticulam*.

*Liceret*) Cod. Ien. ed. Graev. Ern. *quasi vero ludere cum condemnato non liceret*. Lambin. restituit, *non ut luderet cum restituto* (*quasi vero ludere cum condemnato non liceret*) *sed ut, quod in alea perdiderat*. Ego Muretum secutus edidi *non quasi ludere* etc. — Vulgo *quod ille in alea*. Ern. et Schütz. omiserunt *ille*. Tr.

*Sed ut, quod ille in alea perdiderat*) Insinuat Antonium fuisse pecuniis inductum ad ferendam legem de restitutione Denticulae, ut videlicet *huius legis beneficio*, id est, pecuniis ob hanc legem ferendam acceptis, aes alienum dissolveret Antonius, quod ipse contraxerat, ut pecuniis mutuatitiis alea luderet, totumque illud mutuum ludendo perdiderat. A.

*Absentem credo*) Ironia, qua omnes causas, quibus res iudicata rescindi potuit, complectitur. Si absens in reos referretur, nec daretur ei spatium veniendi, seque defendendi: si temere nec auditis partibus reus damnaretur: si quaestio nulla lege esset constituta: si vi oppressus esset reus: si iudices pecunia corrupti reum da-

catam; nullum fuisse de alea lege iudicium; vi oppressum, et armis; postremo, quod de patruo tuo dicebatur, pecunia iudicium esse corruptum. Nihil horum. At vir bonus, et republica dignus. Nihil id quidem ad rem: ego tamen, quoniam condemnatum esse pro nihilo est, si ita esset, ignoscerem. Hominem vero omnium nequissimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quae est de alea, condemnatum, qui in integrum restituit, is non apertissime studium suum ipse profitetur? In eodem vero tribunatu, quum Caesar in Hispaniam proficiscens huic conculcandam Italiam tradidisset, quae fuit eius peragratio itinerum? lustratio municipiorum? Scio me in rebus celebratissimis sermone omnium versari, eaque, quae dico, dicturusque sum, notiora omnibus esse, qui in Italia tum fuere, quam mihi, qui non fui. Notabo tamen singulas res: etsi nullo modo poterit oratio mea satisfacere vestrae scientiae. Etenim

mnavissent. Sed causas eiusmodi nullas attulit ad restituendum Denticulum. Id.

*Patruo tuo*) *Tuo* vulgo omissum e MSS. restituerunt Graev. aliique.

*Nihil id quidem ad rem*) Cur non ad rem, causa redditur Verrina de suppliciis: «Perditae civitates, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum restituantur, vincti solvantur, exules reducantur, res iudicatae rescindantur. Quae quum accidunt, nemo est quin intelligat ruere illam rempublicam etc.» Abr.

*Hominem vero*) *Vero* abest codd. len. aliis. Heusingerus uncis inclusit. Wernsdorf omisit.

*Quam mihi, qui non fui*) Aliquanto tempore substitit in Italia Cicero, postquam Caesar in Hispaniam profectus est, ut constat ex literis Caesaris ad Ciceronem xv Kal. Maii ex itinere datis, quibus eum rogat, ut ab omni contentione absit, nec naviget ad Pompeium. Habentur libro X ad Atticum epist. viii. Substitit autem in Italia usque ad aequinoctium. Eodem lib., xviii: *Nunc quidem aequinoctium nos moratur: quod valde perturbatum erat, id scilicet cras erit.* Datae sunt hae literae xvii Kalendas Iunii. Imo epistola sequenti scribit Tulliam suam peperisse xiv Kalendas Iunii, quo tempore adhuc in Italia morabatur. E quibus videas eum in Italia fuisse quadraginta paene dies postquam Caesar Italiam conculcandam Antonio tradidisset. Id.

quod unquam in terris tantum flagitium exstitisse auditum est? tantam turpitudinem?[1] tantum dedecus? Vehebatur in essedo tribunus plebis; lictores laureati an-

(1) *Tantam turpit.* Haec Ernest. uncis inclusit utpote ab interpolatore adiecta; Schütz. omnino ea delevit. Vterque levius fortasse, ut mihi aliisque videtur. Typ.

*Vehebatur in essedo*) Adverte vim singulorum verborum, quibus lustrationem Italiae, eiusque turpitudinem exaggerat. *Vehebatur* muliebri mollitie. *In essedo*, quod genus est barbarici vehiculi, et a moribus romanis alieni. *Tribunus plebis*, qui pedibus deberet incedere, ut se magis popularem et conventu facilem exhiberet. *Litores antecedebant*, quos habere tribuno plebis ius non fuit: *laureati*, ob expulsos consules et Cn. Pompeium. *Inter quos* lictores Citheris *mima portabatur*, quod est indignissimum, meretriculam ornare bis magistratus insignibus, et *aperta lectica portabatur*, ad maiorem impudentiam. Cetera etiam suam amphibasim habent, ut quod eam salutarent municipales homines honesti, quod non sponte, sed necessario illi obviam procederent. Abr.

*Tribunus plebis*) Non temere tribunum plebis appellat: quantum enim coniectare licet, fas non fuit tribuno plebis uti vehiculo, quamdiu erat in magistratu. Neque enim poterat longius ab urbe discedere, aut extra pomoerium pernoctare; neque decebat ut magistratus plebeius ad infimi ordinis patrocinium institutus, cultu corporis, aut incessu a plebeiis differret, aut vehiculo uteretur, ne difficilis ad eum esset accessus. Quam ob causam, *Praetextam non gestat tribunus plebis*, ut scribit Plutarchus quaest. Rom. probl. 81. Subdit: *Neque enim aut lictores habent, aut in sella curuli sedentes ius dicunt.* Et aliquantu post, quod magis facit ad praesens institutum: « Dum autem tribunus plebis e plebe sumpserit originem, in eo vis eius est omnis, ut sit valde popularis, eiusque omnis amplitudo est, ut non maiores spiritus sumat quam ceteri, sed et habitu corporis et veste et vivendi ratione similia sit cuicumque civium. Nam pompa consuli convenit, et praetori: at vero tribunum plebis, ut aiebat C. Curio, conculcari oportet, neque specie maiestatem praeferre, aut esse inaccessum, et multitudini difficilem: sed ita super alios omnes eminere, ut tamen possit facile conveniri. Et eam ob rem neque illi domus ianuas claudere fas est, sed diu noctuque aperit, tanquam portus et perfugium indigentibus. Quo magis autem externa specie corporis abiectus est, eo magis potestate attollitur ». Quare probabilissimum est eos, ut planius a quovis etiam plebeio adiri possent, vehicula oieravisse, ut se magis populares exhiberent. Confirmari potest ex eo quod etiam dictatorem equo, aut vehiculo uti nefas fuit, ut quoniam summam rerum omnium potestatem obtineret, hac saltem una re plebeius videretur. Vide Plutarchum in Fabio. Quod etiam de legatis tradit Spartianus in Severo: *Ex quo factum est, ut in vehiculo etiam legati sederent, qui ante pedibus ambulabant.* Flamini etiam Diali, ne facile ab urbe discederet, equi usus interdictus fuit. Plutarchus quaestionibus Romanis, problemate 40: *Apud Romanos id sacerdoti* (loquitur de Flamine Diali)

tecedebant: inter quos, aperta lectica, mima portabatur; quam ex oppidis municipales, homines honesti, obviam necessario prodeuntes, non noto illo et mimico nomine, sed Volumniam consalutabant. Sequebatur rheda cum lenonibus, comites nequissimi; reiecta mater amicam impuri filii, tanquam nurum, sequebatur.

*proprium est, ut neque equo utatur, neque ultra dies tres peregrinetur.* Festus etiam causam addit: *Equo vehi Flamini Diali non licebat, ne si longius digrederetur, sacra negligerentur.* In.

*Lictores laureati*) Caesar potitus Italia, iis, quos sibi legavit, dedit lictores laureatos, non Antonio solum, sed etiam Curioni. Narrat enim Tullius epist. IV, lib. X ad Atticum, hoc ipso tempore quo Caesar proficiscebatur in Hispaniam, C. Curionem in villam ad se divertisse: «Quid isti, inquam, tui fasces? si ab Senatu, cur laureati? si ab ipso, cur sex? Cupivi, inquit, ex S. C. surrepto: nam aliter non poterat. At illa impendio nunc magis odit Senatum. A me, inquit, omnia proficiscentur. Sex autem, quia duodecim nolui; nam licebat». Sed id magis tolerari potuit in Curione quam in Antonio: quia hic tribunus plebis erat, qui lictores habere non potuit, ut iam vidimus e Plutarcho. In.

*Volumniam*) Cytheris liberta fuit P. Volumnii Eutrapeli, ut scribit Servius in Eclogam decimam, et eadem a Volumnio adamata, ut colligitur ex epistola ultima libri IX ad Familiares: *Accubueram hora nona, quum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Dices, Ubi? apud Volumnium Eutrapelum, et quidem supra me Atticus, infra Verrius* etc. *Infra Eutrapelum Cytheris accubuit.* Ad hunc amorem lib. VII, ep. XXXII alludit scribens ad eundem Volumnium: *Ut nihil sit tam ἀχύθηρον, quod non alicui venustum esse videatur.* Volumnius autem familiaris fuit Antonio. Cornelius Nepos in Attici vita: «Atticus quam Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares eius ex urbe profugientes quantum potuit, texit, quibus indiguerunt, adiuvit. Pub. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint ... Apud quem etiam latuit triumvirali proscriptione: *Idem Luc. Iulium Calidium etc. in proscriptorum numerum a P. Volumnio praefecto fabrum Antonii absentem relatum expedivit.* E quibus agnoscis et coniunctionem Antonii cum Cytheride, et causam cur Cytheris Volumnia diceretur. Adde quod gens Volumnia nobilissima fuit, et patricia, ex qua P. Volumnius consul fuit anno post Reges exactos quarto et quinquagesimo, quo tempora solis patriciis patebat aditus ad consulatum, ut constat e Livio lib. III, et fastis Cassiodori. Ex eadem etiam gente fuit Volumnia uxor Coriolani, de qua Livius lib. II, et alii passim; ut merito Cytheris ex hoc nomine gloriam quaesierit. Abr.

*Lenonibus*) Aliquot MSS. teste Ferrario: *sequebantur rhedà cum lenonibus comites nequissimi.* Victorius coniecit *cum leonibus*, quod recte repudiavit Heusingerus. Nam leones post victoriam demum currui iunxit Antonius non lenonum, sed suo.

O miserae mulieris foecunditatem calamitosam! Horum flagitiorum iste vestigiis omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam impressit.

XXIV. Reliquorum factorum eius, Patres conscripti, difficilis est sane reprehensio et lubrica. Versatus in bello est; saturavit se sanguine dissimillimorum sui civium. Fuit felix, si potest ulla esse in scelere felicitas. Sed quoniam veteranis cautum esse volumus, quamquam dissimilis est militum causa et tua; illi sequuti sunt, tu quaesisti ducem: tamen, ne apud illos me in invidiam voces, nihil de belli genere dicam. Victor e Thessalia Brundisium cum legionibus revertisti. Ibi me non occidisti. Magnum beneficium: potuisse enim fateor. Quamquam nemo erat eorum, qui tum tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere. Tanta est enim caritas patriae, ut vestris etiam legionibus sanctus essem, quod eam a me servatam esse meminissent. Sed fac, id te dedisse mihi, quod non ade-

*Sed quoniam veteranis*) Nihil de belli genere dicam, nec invehar in te, quod interfueris bello civili suscepto contra rempublicam. Non, inquam, invehar propter duas rationes: altera est, quoniam veteranis cautum esse volumus, ne priventur iis militiae commodis, quae vel iam adepti sunt a Caesare, vel brevi adipiscentur a Senatu: altera est, quia nolo committere, ut tu me apud illos in invidiam voces, eorumque animos contra me incites, quasi ego eorum commodis detrahendum putem. Quamquam, etiamsi in te inveherer, quod interfueris bello civili, non tamen reprehenderentur a me veterani. Siquidem alia tua est, alia veteranorum causa. Illi enim sequuti sunt Caesarem ducem, qui ipsis datus fuerat a Senatu populoque Romano; nec examinare debuerunt causam, cur Caesar Pompeio bellum inferret: tu autem quum et tribunus plebis esses, ac proinde nullo sacramento militari obligatus, tua sponte ducem quaesiisti. Abr.

*Cum legionibus*) Caesar victo ad Pharsalum Pompeio magnam exercitus sui partem in Italiam remisit, eique praefecit M. Antonium: ipse cum reliquis copiis instituit sequi Pompeium fugientem. Cicero, qui et invitus bellum susceperat, et nullam videbat Pompeianis partibus spem superesse, audita clade Pharsalica, cui propter adversam valetudinem non interfuit, statuit ab armis discedere, neque Catoni et Cn. Pompeio filio exercitum ei tradentibus, hortantibusque, ut praeesset, bellique extrema persequeretur, acquievit, sed in Italiam navigavit, appulsusque Brundu-

misti, meque a te habere vitam, quia a te non sit erepta: licuitne mihi per tuas contumelias hoc beneficium sic tueri, ut tuebar, praesertim quum te haec auditurum videres?

XXV. Venisti Brundisium, in sinum quidem et in complexum tuae mimulae. Quid est? num mentior? Quam miserum est id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri! Si te municipiorum non pudebat, ne veterani quidem exercitus? Quis enim miles fuit, qui Brundisii illam non viderit? quis, qui nescierit, venisse eam tibi tot dierum viam gratulatum? quis, qui non indoluerit, tam sero se, quem hominem sequutus esset, cognoscere? Italiae rursus percursatio, eadem comite mima; in oppida militum crudelis et misera deductio; in urbe auri, argenti, maximeque vini foeda direptio. Accessit, ut, Caesare ignaro, quum ille esset Alexandriae, beneficio amicorum eius, magister equitum constitueretur. Tum existimavit, se

sium incidit in Antonium cum exercitu victore redeuntem. Quem quum Antonius iure belli occidere posset, incolumem dimisit. ID.

*Quia a te*) *Quae a te* Graev. Ferrar. in suis codd.

*Praesertim quum te haec auditurum videres?*) Hoc videtur dicere: Miror per tuas contumelias non licuisse mihi beneficium illud sic animo, et memoria colere, ut colebam: praesertim quum fore videres, ut audires a me, quae meritus es. Tu me novis iniuriis veteris beneficii memoriam abiicere coëgisti. MAN.

*Mimulae*) Cytheridis.

*Tibi tot dierum*) *Tot tibi dierum* Heusinger.

*Quem hominem*) Muret. *quam nequam hominem*. Receperunt Heusing. et Wernsdorf.

*Accessit, ut, Caesare ignaro*) Ad superioris percursationis nequitiam accessit huic posteriori magistratus, nimirum, ut magister equitum crearetur Caesare dictatore. Posteaquam enim de pugna Pharsalica, et nece Cn. Pompeii Romae nuntiatum est, multi honores Caesari decreti fuerunt, isque ad annum integrum dictator, Antonius autem magister equitum constitutus. Id Cicero videri vult factum ignaro Caesare, beneficio amicorum eius, ut etiam indicet Antonium Caesari contemptui fuisse. Sed rem aliter narrat Plutarchus in Antonio. Videatur Dio, lib. XLII. ABR.

*Tum existimavit*) Postquam magister equitum constitutus est Antonius, existimavit se ius habere vivendi familiariter cum Hippia: quia videlicet ipse magister equitum erat,

suo iure cum Hippia vivere, et equos vectigales Sergio mimo tradere. Tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed M. Pisonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? Cogebat egestas; quo se verteret, non habebat. Nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio hereditas venerat; nondum in Cn. Pompeii locum, multorumque aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset.

Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus; loquamur potius de nequissimo genere levitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu! Si inter coenam, in ipsis tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In coetu vero populi ro-

sive ἵππαρχος. Hippia autem ab equis, quos Graeci ἵππους appellant, nomen obtinebat. ID.

*Hippia*) Putavi nonnunquam Hippiam mulierculam fuisse famosam. Id enim nomen eo sensu Iuvenalis usurpat: *Quot amaverat Hippia moechos.* Imo hanc Sergio ludio adhaesisse tradit Sat. VI. E quibus patet et ludium et gladiatorem fuisse Sergium, et Hippiam matronam fuisse nobilem, sed multorum adulterorum libidini prostitutam, et eandem ab Antonio amari potuisse, et cum Sergio libidinis habuisse commercium, ut non frustra Noster utriusque meminerit. Haec, inquam, putavi, et etiamnum putarem, nisi me Plutarchi reverentia rem in medio relinquere compelleret, veritum toties a tanto viro dissidere: qui, ut sequenti sectione referemus, Hippiam non mulierem, sed mimum fuisse testatur, *in Hippiae mimi nuptiis*. ID.

*Vectigales*) Arguitur dedisse mimo equos sui magistratus, ex quibus ille quaestum faceret. FERR.

*Tum sibi non hanc*) Pompeii domum de qua cap. 26, 27. Eam male tuebatur, quod Pompeii filius Sextus supererat, qui armis vindicaturus videbatur. Vid. c. 30. HEVSING.

*Venerat*) Cf. c. 35.

*Faucibus*) Hunc locum tractat Quintilian. VIII, 4; IX, 4.

*Duceret?*) *Liceret* cod. Ien. al.

mani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal implevit. Sed hoc ipse fatetur esse in suis sordibus; veniamus ad splendida.

XXVI. Caesar Alexandria se recepit, felix, ut sibi quidem videbatur; mea autem sententia, si quis reipublicae sit infelix, felix esse non potest. Hasta posita pro aede Iovis Statoris, bona Cn. Pompeii (miserum me! consumptis enim lacrymis, tamen infixus animo haeret dolor), bona, inquam, Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimae subiecta praeconis. Vna in illa re servitutis oblita civitas ingemuit; servientibusque animis, quum omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi romani liber fuit. Exspectantibus omnibus, quisnam esset tam impius, tam demens, tam diis hominibusque hostis, qui ad illud scelus sectionis auderet accedere, inventus est nemo, praeter Antonium, praesertim quum tot essent circum hastam illam, qui alia omnia auderent. Vnus inventus est,

*Se recepit*) Se recipere dicuntur, qui ex aliquo periculo incolomes evaseriot. Caesar autem Alexandriae (ut Tranquilli verbis utar) « cum Ptolemaeo rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum sane difficillimum gessit: neque loco, neque tempore aequo, sed hieme anni, et intra moenia copiosissimi ac solertissimi hostis, inops ipse rerum omnium, atque imparatus ». Neque refert quod non continuo Romam Alexandria contendit, sed *ab Alexandria in Syriam et inde Pontum transiit*: tam celeriter enim eas regiones obiit, ut non opus habuerit Orator illius itineris facere mentionem. Pharnacem enim *intra quintum, quam adfuerat diem, quatuor, quibus in conspectum venerat, horis una profligavit acie.* Vt nihil aliud ad Senatum de hac victoria rescripserit, quam *veni, vidi, vici.* ABR.

*Si quis reipublicae sit infelix*) Graevius edidit, *nisi qui reipublicae sit felix.*

*Hasta posita*) In auctionibus publicis hastam figebant eo loco, ubi res venales subiiciebantur auctioni, fortasse quia publicarum auctionum origo fuit ex venditione praedae armis et hasta partae. ABR.

*Quum omnia metu tenerentur*) Haec e MS. Vatic. receperunt Muret. Lambin. Graev. vulgo olim omissa.

qui id auderet, quod omnium fugisset et reformidasset audacia. Tantus igitur te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut primum, quum sector sis isto loco natus, deinde quum Pompeii sector, non te exsecrandum populo romano, non detestabilem, non omnes tibi deos,[1] omnes homines, et esse inimicos, et futuros scias?

XXVII. At quam insolenter statim helluo invasit in eius viri fortunas, cuius virtute terribilior erat populus romanus exteris gentibus, iustitia carior? In eius igitur copias quum se subito ingurgitavisset, exsultabat gaudio, persona de mimo, modo egens, repente dives. Sed, ut est apud poëtam nescio quem[2], *male parta, male dilabuntur.* Incredibile, ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa, quam paucis,

*Quum sector sis*) Asconius in tertiam Verrinam: « Sectorem autem dicit aestimatorem redemptoremque bonorum damnati, atque proscripti, qui spem sectans lucri sui, id est, sequutus spem aestimationis suae, bona omnia auctione vendit, et semel infert pecuniam vel aerario, vel sociis ». Satis obscure. Libenter legerim pro *vendit*, *emit*. Clarius aliquanto post: « Sectores autem dicti sunt, qui spem lucri sui sequuti, bona condamnatorum semel auctionabantur, proque iis pecunias pensitabant singulis: ac postea compendio suo singulas quasque res pecunis populo venditabant » ..... Hinc colligo eum in auctionibus publicis sectorum fuisse, qui bona proscripti vel damnati universa simul et semel suo periculo redimebat, quae deinde vel sibi retineret, vel per partes venderet ad maius rei familiaris compendium. Dictus *sector*, vel quod commodum suum et lucrum sequeretur, ut volunt illi Grammatici, vel potius quod illa damnati vel proscripti bona in partes secaret, et singulis creditoribus singulas exsolveret. Abr.

*Isto loco natus*) Vel quod nobilitatem sui generis dedecoraret illa sectionis infamia, vel quod filius esset M. Antonii Cretici, hominis ad perdendam pecuniam geniti, et ipse praetextatus patris sui culpa decoxisset. Indignissimum est autem eum qui ante decoxerit, ad hastam publicam accedere, et fortunae prioris oblitum, fieri sectorem. Atque haec a persona Antonii, deinde a Pompeii persona sectionis indignitatem amplificat. Id.

(1) Nonnulli addunt *non*. T.

*Persona de mimo*) Vt mimus personam mutat, modo hunc agens, modo illum: sic tu fortunam mutasti, ex egente repente dives factus. Man.

(2) Naevium, cui hunc versum tribuit Festus pag. 357. Heys.

non dico mensibus, sed diebus effuderit. Maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex, et magnifica multis locis, non illa quidem luxuriosi hominis, sed tamen abundantis. Horum paucis diebus nihil erat. Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quae si fuit, fuit animal unum: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum. Apothecae totae nequissimis hominibus condonabantur. Alia mimi rapiebant, alia mimae; domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum; totos dies potabatur, atque id locis pluribus; suggerebantur etiam saepe (non enim semper iste felix) damna aleatoria. Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres. Quamobrem desinite mirari, haec tam celeriter esse consumpta. Non modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, sed urbes et regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset.

XXVIII. At eiusdem aedes etiam et hortos. O audaciam immanem! Tu ingredi illam domum ausus es?

*Apothecae*) Vinum aliud erat doliare, aliud diffusum. Cellae vinariae sub terra fuerunt, et vinum doliare continebant. Apothecae autem fuerunt in superiore tabulato, et vinum in amphoras defusum servabant. Iam noster non cellas vinarias, sed apothecas ait viris nequissimis fuisse condonatas, quia maioris pretii vetustiora fuerunt vina in amphoris et apothecis, quam in doliis cellisque vinariis. Ann. Vide Plin. XIV, 21.

*Iste felix*) *Ipse* cod. Ien. alii, iique optimi. Ego tamen cum Heusingero *iste* praeferendum duxi.

*Lectos stratos videres*) Quintil. Inst. Or. VIII, 4, 25: «*Quid? M. Tullius de M. Antonii luxuria tantum fingere saltem potuisset, quantum ostendit dicendo*, Conchyliatis Cn. Pompeii peristromatis servorum in cellis stratos lectos videres? Conchyliata peristromata Cn. Pompeii, et in cellis servorum, *nihil dici potest ultra, et necesse est tamen multo plus in domino cogitare.*»

*At eiusdem aedes*) Sic Muretus, Oliv. Ernest. aliique recentiores. Faërn. A. Gryph. Graev. et Schutz. *at idem aedes*. Typ.

tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum aedium diis penatibus os impurissimum ostendere? Quam domum aliquandiu nemo adspicere poterat, nemo sine lacrymis praeterire, hac te in domo tamdiu deversari non pudet? in qua, quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse iucundum. An tu, illa in vestibulo rostra, spolia quum adspexisti, domum tuam te introire putas? Fieri non potest. Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es, tamen et te, et tua, et tuos nosti. Nec vero te unquam, neque vigilantem, neque in somnis credo mente posse consistere. Necesse est, quamvis sis, ut es, vinolentus et furens, quum tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum te e somno excitari, furere etiam saepe vigilantem. Me quidem miseret parietum ipsorum atque tectorum. Quid enim unquam domus illa viderat, nisi pudicum, nisi ex optimo more et sanctissima disciplina? Fuit enim ille vir, Patres conscripti, sicut scitis, quum foris clarus, tum domi admirandus; ne-

*Os impurissimum*) Hanc lectionem cod. Vatic. bene defendit Heusinger post alios. Vulgo *importunissimum*. At (quod monuit ille) Antonii os non tam *importunum*, id est austerum, inhumanum erat, quam *impurum*, id est impudicum, libidine pollutum.

*Illa in vestibulo rostra*) Sic Heusing. Ern. e cod. Vatic. Vulgo *an tu illa vestibula, rostra*.

*Vestibulo*) Vestibulum non fuit, ut aliqui putant, vel ipsa ianua, vel arcus ianuae praepositus, quasi πρόπυλον, aut etiam porticus ante ianuam; sed Aquilius Gallus apud Gellium in noctibus Atticis libro XVI, cap. 15: *Vestibulum esse dicit non in ipsis aedibus, neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad aedes est, cum dextra sinistraque inter ianuam tectaque, quae sunt viae iuncta spatium relinquitur: atque ipsa ianua procul a via est, area vocanti intersita.* Vide ibi plura, et Macrob. Saturn. VI, 8. Gr.

*Mente posse consistere*) *Posse mente consistere* Graev.

*Vinolentus et furens*) *Violentus et furens* Graev. Heusing. At *furens* incommodum est; quia per se intelligitur, *hominem furentem posse furere etiam vigilantem*. Itaque pro *furens* malim *iners*, vel simile aliquod quod conveniat cum antecedentibus *sine mente, sine sensu es*.

*Te e somno*) Vulgo *te de somno*; Heusingerus praeferendum censuit *te e somno*.

que rebus externis magis laudandus, quam institutis domesticis; huius in aedibus pro cubiculis stabula, pro tricliniis popinae sunt. Etsi iam negat nolite, nolite quaerere: frugi factus est. Mimam suam suas res sibi habere iussit ex duodecim tabulis; claves ademit, exegit. Quam porro spectatus civis, quam probatus, cuius ex omni vita nihil est honestius, quam quod cum mima fecit divortium? At quam crebro usurpat, *et consul*, *et Antonius?* hoc est dicere, et consul, et impudicissimus: et consul, et homo nequissimus. Quid enim est aliud Antonius? Nam si dignitas significaretur in nomine, dixisset, credo, aliquando avus tuus, se et consulem et Antonium. Nunquam dixit. Dixisset etiam collega meus, patruus tuus. Nisi tu solus es Antonius.

XXIX. Sed omitto ea peccata, quae non sunt earum partium propria, quibus tu rempublicam vexavisti: ad ipsas tuas partes redeo, id est, ad civile bellum, quod natum, conflatum, susceptum opera tua est. Cui bello tum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti. Gustaras civilem sanguinem, vel potius exsorbueras; fueras in acie Pharsalica antesignanus; L. Domitium, nobilissimum et clarissimum

*Huius in aedibus*) Cod. Ienens. it. Lamb. *cuius in sedibus*, et ita Schütz. Idem infra *Illam suam* cum Ern. T.

*Stabula*) Loca nequitiae, meritoria. FERR.

*Suas res*) Divortium his plane verbis fiebat: *Tuas res tibi habeto*. Tum clavibus ademptis mulierem foras exigebat. ID.

*Exegit*) Olim in multis *forasque exegit*. Sed illud *forasque* cod. Guelf. Ien. aliique optimae notae ignorant.

*Avus tuus se et consulem et Antonium*) Sic Ern. ex edd. pr. it. MS. Vatic. Guelf. Vulgo *avus tuus: ei consul et Antonius.*

*Partium*) Caesaris.

*Cui bello — libidines defuisti*) Sic Heusinger e cod. Vatic. Vulgo *cur ei bello quum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuisti*; quam lectionem recte absurdam dixit Ernestius; quaereret enim Cicero cur Antonius bello defuerit, et tamen causas adderet. Itaque malebat expungere verba *propter timiditatem tuam, tum propter libidines*. Sed in lectione cod. Vatic. nihil est offensionis.

virum, occideras; multos, qui de proelio effugerant, quos Caesar, ut nonnullos, fortasse servasset, crudelissime persequutus trucidaras. Quibus rebus tantis ac talibus gestis, quid fuit causae, cur in Africam Caesarem non sequerere, quum praesertim belli pars tanta restaret? Itaque quem locum apud ipsum Caesarem post eius ex Africa reditum obtinuisti? quo numero fuisti? Cuius tu imperatoris quaestor fueras, dictatoris magister equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, praedae socius, testamento, ut ipse dicebas, filius, appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro sectione debebas. Primo respondisti plane ferociter: et, ne omnia videar contra te, propemodum aequa et iusta dicebas. « A me C. Caesar pecuniam? cur potius, quam ego ab illo? an ille sine me vicit? at ne potuit quidem. Ego ad illum belli civilis causam attuli; ego leges perniciosas rogavi; ego arma contra consules imperatoresque populi romani, contra senatum, populumque romanum, contra deos patrios, arasque et focos, contra patriam tuli. Num sibi soli vicit? Quorum facinus est commune, cur non sit eorum praeda communis? » Ius

*Propter libidines*) Quae te in urbe retinebant. MAN.

*Tantis ac talibus*) Vulgo *tantis talibus*. Sed inter haec duo Cicero semper vel *ac* vel *atque* interponit.

*Itaque quem locum*) Quum igitur propter timiditatem et libidines Africano bello defuisses, sic apud Caesarem in contemptum venisti, sic refrixit tua apud illum gratia, ut postquam ex Africa victor rediit, nec ullum locum, dignitatisque aut gratiae gradum obtineres, nec ullo numero esses, id est, ne numerareris quidem inter eius amicos. ABR.

*Appellatus es de pecunia*) Intimatum est tibi, ut eam pecuniam solveres, quam debebas pro emptione ab hasta publica, et sectione bonorum Cn. Pompeii. Appellatur debitor de pecunia, quum non solum admonetur ut solvat, sed iam gravioribus verbis ab eo pecuniae flagitantur et exiguntur. ID.

*Cur potius*) *A me C. Caesar pecuniam cur potius* Vernsdorf una continuatione, quod iam Ernestio placebat.

*Quorum facinus est commune*) *Quorum facinus commune* cod. Ien. probante Heusingero.

*Cur non sit eorum*) *Eorum* Ernestio videbatur a glossatore adiectum.

postulabas; sed quid ad rem? plus ille poterat. Itaque, exclusis tuis vocibus, et ad te et ad praedes tuos milites misit: quum repente a te praeclara illa tabula prolata. Qui risus hominum? tantam esse tabulam, tam varias, tam multas possessiones, ex quibus, praeter partem Miseni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, posset suum dicere. Auctionis vero miserabilis adspectus; vestis Pompeii non multa, eaque maculosa; eiusdem quaedam argentea vasa collisa; sordida mancipia: ut doleremus quidquam esse ex illis reliquiis, quod videre possemus. Hanc tamen auctionem heredes L. Rubrii decreto Caesaris prohibuerunt. Haerebat nebulo; quo se verteret, non habebat. Quin his ipsis temporibus domi Caesaris percussor, ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum sica: de quo Caesar in senatu, aperte in te invehens, questus est.

XXX. Proficiscitur in Hispaniam Caesar, paucis tibi ad solvendum, propter inopiam tuam, prorogatis diebus. Ne tum quidem sequeris. Tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti? Hanc igitur quisquam,

*Exclusis tuis vocibus*) Verior haec lectio visa est Heusingero, quam vulgata *excussis*. Nimirum *exclusis* est *non auditis*, *non admissis*.

*Praeclara illa tabula*) Qua proscripsit Antonius res suas; ut auctione facta, solveret Caesari, quod debebat. MAN.

*Maculosa*) *Maculosa* non recte Cellarius interpr. *varia*, *coloribus tanquam maculis distincta*. Immo est *maculis foede inquinata*; *vestis* vero non est tantum quidquid induitur, sed etiam quod insternitur, ut *stragula*, *tapetes*. HEVS.

*Sordida*) Sic Ern. e MSS. Colon. Guelf. Vulgo *sordidata*.

*Heredes L. Rubrii*) Repetentes ab Antonio bona Rubrii, quae per fraudem tanquam heres occupaverat. MAN.

*Decreto Caesaris*) Apud quem de auctione illa questi erant, quum dicerent, velle nonnulla Antonium vendere pro suis, quae sua non essent, sed ad ipsos tanquam L. Rubrii veros heredes attinerent. ID.

*Ab isto missus*) Haec non sine causa Ernestius suspecta habuit.

*Rudem*) Iudicem libertatis virgam impolitam: qua donati gladiatores, pugnare amplius non cogebantur. Ea vero donabantur, qui saepe iam praeclare pugnassent. MAN.

qui in suis partibus, id est, in suis fortunis, tam timidus fuerit, pertimescat? Profectus est tandem aliquando in Hispaniam: sed tuto, ut ait, pervenire non potuit. Quonam modo igitur Dolabella pervenit? Aut non suscipienda fuit ista causa, Antoni; aut, quum suscepisses, defendenda usque ad extremum. Ter depugnavit Caesar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Omnibus affuit his pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit. Si de meo iudicio quaeris, nollem; sed tamen consilium a *primo* reprehendendum, laudanda constantia. Tu vero quid censes? Cn. Pompeii liberi primum patriam repetebant. Esto: fuerit haec partium causa communis. Repetebant praeterea deos patrios, aras, focos, larem suum familiarem, in quae tu invaseras. Haec quum repeterent armis ii, quorum erant legibus: etsi in rebus iniquissimis quid potest esse aequi? tamen erat aequissimum, contra Cn. Pompeii liberos Cn. Pompeii pugnare sectorem. An tu Narbone mensas hospitum convomeres, Dolabella pro te in Hispania dimicaret?

XXXI. Qui vero Narbone reditus? Et tamen quaerebat, cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem.

*Sed tuto*) Quod a latronibus, aut a Pompeianis sibi in itinere timeret. Id. Profectus in Hispaniam post Caesarem, constitit Narbone. Ferr.

*A primo*) Amat *a principio*. T.

*Patriam repetebant*) Si nihil aliud petiissent, quam ut in patriam redirent, et recuperarent rempublicam, non fuisset potior ratio, cur tu contra illos pugnares, quam ceteri, qui duce Caesare Pompeii partes eiecerant: sed repetebant patrimonium, et ipsam domum paternam, quam tu possidebas. Abr.

*Tamen erat aequisssimum — sectorem*) Cod. Vatic. *tamen quem erat aequissimum contra Cn. Pompeii liberos Cn. Pompeii pugnare? quem? te sectorem*; quod receperunt Muret. Graev. Heusing. (et nuperrimi Edd. Paris.)

*Et tamen quaerebat*) MS. Col. *reditus eius! iam quaerebat*. Ferrarius corrigebat: *reditus eius? tamen quaerebat*. Fulvius Vrsinus *reditus eius? nam quaerebat*. Gulielm. *reditus eius, qui iam quaerebat*. Faërn. Muret. Manut. Lamb. e cod. Vatic. *reditus? etiam quaerebat*. Graevius malebat *reditus? Et iam quaerebat*.

*Et tamen quaerebat*) Antonius, qui tam foede redierat, reditum meum

Exposui nuper, Patres conscripti, causam reditus mei. Volui, si possem, etiam ante Kalendas Ian. prodesse reipublicae. Nam, quod quaerebas, quomodo redissem: primum luce, non tenebris; deinde cum calceis et toga, nullis nec Gallicis, nec lacerna. At etiam adspicis me, et quidem, ut videris, iratus. Nae tu iam mecum in gratiam redeas, si scias, quam me pudeat nequitiae tuae, cuius te ipsum non pudet. Ex omnibus omnium flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi. Qui magister equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares: is per municipia coloniasque Galliae, a qua nos tum, quum consulatus petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum Gallicis et lacerna cucurristi. At videte levitatem hominis. Quum hora diei decima fere ad Saxa rubra venisset, delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans, perpotavit ad vesperum: inde cisio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto. Ianitor: Quis tu? « A Marco tabellarius. » Confestim ad eam, cuius

e Graecia, quo post necem Caesaris proficisci decreveram, iamque iter susceperam, mihi obiecit. Abr.

*Exposui nuper*) Quarto Nonas Septembres, ut constat e Philippica V, cap. 7. Exposuit reditum profectionis et reversionis suae Philippica prima. Id.

*Conscripti*) Faërnus ex antiquo libro legendum putabat *Patribus conscriptis*.

*Gallicis*) Castrense pedum calceamentum. Man. MS. Vatic. *caligis*.

*Lacerna*) Humiliorum, quibus toga deesset, vestis. Id.

*Is per municipia*) *Is qui per* cod. Colon. Franc. Graev. *idque per* cod. Amst. At Faërn. Muret. et Manut. e cod. Vatic. *per*, omisso *is*.

*Non rogabatur*) Tu consulatum a Caesare precibus rogabas: nos incolumi rep. petebamus a Galliae quoque coloniis et municipiis: habebant enim ius suffragii. Ferr.

*At videte levitatem hominis*) *Hominis* in multis omissum e Gellio VII, 11, et e cod. Vaticano suppleverunt Heusing. Ern.

*Capite involuto*) Gellius *ore involuto*. Faërnus *capite obvoluto*.

*Confestim ad eam*) Ad Fulviam, quam Curioni antea nuptam, eo interfecto viduam non ita multo ante duxerat; quia vero meretriciis amoribus nondum bona fide renuntiaverat, sibi offensam esse sciebat. Heus.

causa venerat, deducitur; eique epistolam tradit. Quam quum illa legeret flens (erat enim amatorie scripta; caput autem literarum, sibi cum illa mima posthac nihil futurum; omnem se amorem abiecisse illius, atque in hanc transfudisse): quum mulier fleret uberius, homo misericors ferre non potuit; caput aperuit; in collum invasit. O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere. Ergo ut te catamitum, nec opinato quum ostendisses, praeter spem mulier adspiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbasti? Et domi quidem causam amoris habuisti; foris etiam turpiorem, ne L. Plancus praedes tuos venderet. Productus autem in concionem a tribuno plebis, quum respondisses, te rei tuae causa venisse, populum etiam dicacem in te reddidisti. Sed nimis multa de nugis. Ad maiora veniamus.

XXXII. Caesari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti. Celeriter isti, redisti, ut cognosceret te, si minus fortem, attamen strenuum. Factus es ei rursus, nescio quomodo, familiaris. Habebat hoc omnino Caesar: quem plane perditum aere alieno

*Amorem abiecisse illius*) *Illius* Gellius l. l. Vulg. *illinc* quod paulo durius esse vidit Ernestius. Lambin. dedit *illum*.

*Vt te catamitum*) In voc. *catamitum* Heusingero latere videbatur alicuius nomen, qui quum mortuus crederetur, repente vivus apparuerit. Mihi tamen verum videtur *catamitum*, nisi quod fortasse addendum est *suum*.

*Habuisti — praedes tuos*) *Habuit — praedes suos* Graev. e cod. Col.

*Praedes tuos*) Bona fideiussorum tuorum, sive praedum, qui tuo nomine bona sua obligarant. Abr.

*Productus autem*) *Autem* abest cod. Ien. aliis. Et omisit Graev.

*Dicacem in te*) Sic cod. Ferrar. Ienens. Vulgo *in te dicacem*.

*Dicacem*) Populus ex tua oratione dicteriorum occasionem arripuit, ex amphilogia ambiguoque sensu verborum REI TVAE CAVSA, quae tam ad rem familiarem et praedes, quam ad libidines et amorem referri possunt. Abr.

*Reddidisti*) Nempe quia verba *rei tuae* ad obscenum sensum detorta de Fulviae natura interpretabantur.

egentemque, si eundem nequam hominem audacemque cognorat, hunc in familiaritatem libentissime recipiebat. His igitur rebus praeclare commendatus, iussus es renuntiari consul, et quidem cum ipso. Nihil queror de Dolabella, qui tum est impulsus, inductus, elusus. Qua in re quanta fuerit utriusque vestrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? Ille induxit, ut peteret, promissum et receptum intervertit, ad seque transtulit: tu eius perfidiae voluntatem tuam adscripsisti. Veniunt Kalendae Ianuariae; cogimur in senatum; invectus est copiosius multo in istum et paratius Dolabella, quam nunc ego. Hic autem iratus quae dixit, dii boni? Primum quum Caesar ostendisset, se, priusquam proficisceretur, Dolabellam consulem esse iussurum (quem negant regem, qui et faceret semper eiusmodi aliquid, et diceret); sed quum Caesar ita dixisset, tum hic bonus augur, eo se sacerdotio praeditum esse dixit, ut comitia auspiciis vel impedire, vel vitiare posset, idque se facturum esse asseveravit. In quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. Quid enim? istuc, quod te sacerdotii iure facere posse dixisti, si augur non esses, et consul esses, minus facere potuisses? Vide ne etiam facilius. Nos enim nuntiationem solum habemus; consules et reliqui magistratus

*Impulsus*) Caesar impulerat, et induxerat Dolabellam, ut consulatum peteret: deinde eluserat, et sibi honorem illum usurpaverat. FERR.

*Vtriusque vestrum*) *Vterque vestrum* e cod. Vatic. receperunt Graev. Wernsdorf.

*Induxit, ut peteret*) Videtur excidisse *consulatum:* quod si abest, verba *promissum et receptum* non habent quo referantur.

*Intervertit*) Intervertère est rem alteri promissam ad se transferre, et ita malis artibus impedire, ne ad eum perveniat, cui fuerat destinata. ABR.

*Tu eius perfidiae*) Tu Caesari contra fidem datam Dolabellam prodenti assensus es. ID.

*Impedire, vel vitiare posset*) Comitia habenda *impedire*, habita vitiare. HEVS.

etiam spectionem. Esto; hoc imperite; nec enim est ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia; sed videte impudentiam. Multis ante mensibus in senatu dixit, se Dolabellae comitia aut prohibiturum auspiciis, aut id facturum esse, quod fecit. Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de caelo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges, et, si quis servavit, non habitis comitiis, sed priusquam habeantur, debet nuntiare. Verum implicata inscitia impudentia est, nec scit quod augurem, nec facit quod pudentem decet. Atque ex illo die recordamini eius usque ad Idus Martias consulatum. Quis unquam apparitor tam humilis, tam abiectus? Nihil ipse poterat; omnia rogabat; caput in aversam lecticam inserens, beneficia, quae venderet, a collega petebat.

XXXIII. Ecce Dolabellae comitiorum dies, sortitio

*Spectionem*) *H.* e. ut Gesnerus interpretatur (Thes. L. L. v. *Spectio*) *nos enim* qui augures sumus, nihil praeterea, *nuntiationem solum* earum quae in augurio nobis obvenere *habemus*; ceterum de caelo servare quoties voluerimus et sic impedimentum obiicere comitiis aut rebus gerendis nobis non licet per leges; *consules et reliqui magistratus* maiores suo ordine, nempe erga minorem, aequalem certe *etiam spectionem*, ut liceat illis vel augurem iubere de caelo servare, vel si ipsi iidem sint augures, ipsi suo arbitratu de caelo servare, nisi speciali SCtu prohibeantur, possint. Falso Abramus sic transponenda putabat verba: *nos enim spectionem solam habemus; consules — — etiam nuntiationem.*

*Aut id facturum esse*) *Esse* haud male omissum in cod. Ien. perhibet Heusinger.

*Aut id facturum*) Vitiaturum, posteaquam facta essent. Infra, *confecto negotio, bonus augur*, alio die, inquit. MAN.

*Implicata inscitia*) *Inscientia* e cod. Vatic. receperunt Graev. Heusinger.

*Caput in aversam lecticam*) In Caesaris lecticam, quae praecedebat, sequenti igitur Antonio erat aversa. — *Inserens.* Sic melius cod. Vat. Vulgo *inferens.*

*Ecce Dolabellae comitiorum dies*) Caesar promiserat se, prius quam ad bellum Parthicum proficisceretur, effecturum, ut suo ipsius loco consul fieret Dolabella. Quum itaque comitiorum dies appetisset, populum ad ea comitia convocavit, et ex omnibus centuriis, in quas populus universus describebatur, sortitus est unam centuriam, ut ea omnium prima rogare-

praerogativae: quiescit. Renuntiatur: tacet. Prima classis vocatur: renuntiatur. Deinde, ut assolet, suffragatum secunda classis vocatur; quae omnia citius sunt facta, quam dixi. Confecto negotio bonus augur (Laelium diceres) ALIO DIE, inquit. O impudentiam singularem! Quid videras? quid senseras? quid audieras? nec enim te de caelo servasse dixisti, neque hodie dicis. Id igitur obvenit vitium, quod tu iam Kalendis Ianuariis futurum esse provideras, et tanto ante praedixeras. Ergo, hercule, magna, ut spero, tua potius, quam reipublicae calamitate ementitus es auspicia; obstrinxisti populum romanum religione; augur auguri, consul consuli nuntiasti. Nolo plura, ne acta Dolabellae videar convellere: quae necesse

tur suffragium, cuius nomen e sitella primum sortitione eductum exiisset. Quievit Antonius, nec se interposuit, quo minus fieret illa sortitio. Rogatis, acceptis, diribitisque centuriae praerogativae suffragiis, Dolabella renuntiatur adeptus praerogativae suffragium. Tacuit interim Antonius, et ne verbo quidem significavit huiusmodi comitia esse vitiosa. Post praerogativam, prima classis vocatur intra septa, ut ferat suffragium, et, ut fieri solet, rogantur suffragia. Huius quoque classis voluntate renuntiatur consul Dolabella: quod maior pars illarum nonaginta et octo centuriarum, quae prima classe continentur ei fuerit suffragata. Sed quum refragarentur aliquot centuriae, nec solius primae classis suffragiis legitimus punctorum numerus expleri potuisset, secunda classis vocata est ad ferendum suffragium. Ad cuius rei intelligentiam notandum est, populum omnem in quinque classes, et capite censos fuisse distributum, singulas classes quibusdam centuriis fuisse descriptas, ut centum nonaginta tres essent centuriae, et prima classis plures, quam ceterae omnes, sola contineret centurias (Erant enim in prima classa 98, et in secunda 22, in tertia 22, in quarta 20, in quinta 30. Reliqui omnes, qui non classibus, sed capite censebantur, in unicam erant redacti centuriam). Quare si prima classis conspirasset, omniumque centuriarum suarum calculo Dolabellam consulem fecisset, necesse non fuisset ad secundam classem procedere. Vide Dionysium Halicarn. lib. IV. MAN.

*Deinde ut assolet — vocatur*) Sic e cod. Vatic. Heusingerus edidit. In cod. Ien. ed. Grut. Ern. *deinde ut assolet suffragia. Tum secunda classis.*

*Consul consuli*) Caesari, qui augur et consul.

*Ne acta Dolabellae videar convellere*) Si enim obnuntiatio tua vim habuit, Dolabella consul fuit vitio

est aliquando ad nostrum collegium deferantur. Sed arrogantiam hominis insolentiamque cognoscite. Quamdiu tu voles, vitiosus consul Dolabella: rursus, quum voles, salvis auspiciis creatus. Si nihil est, quum augur iis verbis nuntiat, quibus tu nuntiasti, confitere te, quum ALIO DIE dixeris, sobrium non fuisse: sin est aliqua vis in istis verbis, ea quae sit, augur a collega requiro.

XXXIV. Sed, ne forte ex multis rebus gestis M. Antonii, rem unam pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. Non dissimulat, Patres conscripti; apparet esse commotum; sudat, pallet. Quidlibet, modo ne nauseet, faciat, quod in porticu Minutia fecit. Quae potest esse turpitudinis tantae defensio? Cupio audire, ut videam, ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in rostris collega tuus, amictus toga purpurea, in sella aurea, coronatus: adscendis; accedis ad sellam (ita eras Lupercus, ut te consulem esse meminisse deberes); diadema

creatus; si vitio creatus, non fuit vere consul; si non consul, nihil iure egit et legitima potestate. ABR.

*Quae necesse est aliquando ad nostrum collegium deferantur*) Quum respublica istud, quo nunc opprimitur, tuae dominationis iugum excusserit, emerseritque fluctibus servitutis, necesse est, ut Dolabellae consulis acta ad augurum consilium deferantur, ut nos qui sumus augures, eane rata esse debeant, an infirma, iudicemus. Tunc enim considerabimus quid de tua obnuntiatione statuendum sit: ut si valeat, Dolabella iudicetur consul vitiosus, si non valeat, tu ob ementita auspicia damneris. ID.

*Si nihil est*) Probare studet, aut nunquam vitiosum, aut vitiosum semper esse consulem Dolabellam: quum Antonius, dum ei fuit inimicus, vitiosum esse, reconciliatus, non esse vitiosum dixerit. MAN.

*Sedebat in Rostris*) Priusquam Antonii factum narrat, insolentiam et fastum Caesaris describit, ut eo scelus Antonii magis exaggeret, quod regem adeo superbum voluerat Romanis imponere. ABR.

*Coronatus*) Duplex corona Caesari concessa a Senatu. Decretum enim ut corona laurea perpetuo uti posset, et ut ludis coronam gemmis auroque praesignem gestaret. Hanc posteriorem Lupercalibus videtur habuisse: is enim fuit habitus triumphantium. ABR. Non fuit gemmis ornata, sed distincta radiis corona aurea, ut Floro dicitur libro IV, cap. 2. GRAEV.

ostendis: gemitus toto foro. Vnde diadema? non enim abiectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum et cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi; ille cum plausu reiiciebat. Tu ergo unus, scelerate, inventus es, qui quum auctor regni esses, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles; et idem tentares, quid populus romanus ferre et pati posset. At etiam misericordiam captabas; supplex te ad pedes abiiciebas: quid petens? ut servires? tibi uni peteres, qui ita a puero vixeras, ut omnia paterere, ut facile servires: a nobis populoque romano mandatum id certe non habebas. O praeclaram illam eloqnentiam tuam, quum es nudus concionatus! Quid hoc turpius? quid foedius? quid suppliciis omnibus dignius? Num exspectas, dum te stimulis fodiam? haec te, si ullam partem sensus habes, lacerat, haec cruentat oratio. Vereor, ne imminuam virorum summorum gloriam; dicam tamen dolore commotus. Indignissimum est vivere eum, qui imposuerit diadema, quum omnes fateantur iure interfectum esse, qui abiecerit. At etiam adscribi iussit in fastis ad Lupercalia: C. CAESARI, DICTATORI PERPETVO, M. ANTONIVM, CONSVLEM, POPVLI IVSSV REGNVM DETVLISSE, CAESAREM VTI NOLVISSE. Iamiam minime miror, te otium perturbare; non modo urbem odisse, sed etiam lucem; cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere. Vbi enim tu in pace

*Quem collegam*) Vulgo addebatur *regni*, quod recte auctoritate cod. Vat. deleverunt Faërn. Manut. Lamb. Graev. Ern.

*Ne imminuam virorum summorum gloriam*) Caesaris interfectoribus parum gloriosum iudicat, quod cum Caesare non Antonium quoque sustulerint. HEVS.

*Indignissimum est vivere eum*) Vulgo *quid indignius quam vivere eum:* Et sic Cicero primum scripserat. Postea vero ipse emendavit. Scripsit enim ad Atticum XVI, 11: *illud etiam malo, indignissimum esse hunc vivere, quam, quid indignius.*

*Sed etiam in diem vivere*) *De die* vivunt, qui palam voluptatibus in-

consistes? qui locus tibi in legibus et in iudiciis esse potest, quae tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? Ideone L. Tarquinius exactus, Spurii Cassius, Melius, M. Manlius, necati, ut multis post saeculis a M. Antonio, quod fas non est, rex Romae constitueretur? Sed ad auspicia redeamus.

XXXV. De quibus rebus Idibus Martiis fuit in senatu Caesar acturus, quaero tum tu quid egisses. Audiebam quidem te paratum venisse, quod me de ementitis auspiciis, quibus tamen parere necesse erat, putares esse dicturum. Sustulit illum diem fortuna populi romani. Num etiam tuum de auspiciis iudicium interitus Caesaris sustulit? Sed incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingressa erat oratio, praevertendum est. Quae tua fuga? quae formido illo die? quae propter conscientiam scelerum desperatio vitae, quum ex illa fuga, beneficio eorum, qui te, si sanus esses, salvum esse voluerunt, clam te domum recepisti? O mea frustra semper verissima

dulgent, convivia tempestiva celebrantes. *In diem vivere* dicuntur, qui diei tantum praesentis rationem habent, nec de crastina cogitant: quod latrones et impudentissimi quique faciunt. *Anon.*

*De quibus rebus*) Caesar, ut scribit Appianus, quarto post Idus Martias, profecturus erat ad bellum Parthicum: et antequam urbe excederet, consulem suo loco substituere decreverat. Ideoque relaturus erat ad Senatum de auspiciis ab Antonio nuntiatis: utrum videlicet obnuntiatio Antonii vim obtineret, et consul vitiosus esset Dolabella. Quaerit igitur Orator ab Antonio quid egisset: Caesarine, cui regnum deferre voluerat, repugnare ausus fuisset, an probaturus consulem Dolabellam, quasi salvis auspiciis creatum. Abr.

*Num etiam*) Dolabella statim post necem Caesaris, non exspectato Senatus decreto de auspiciis, consulatum invasit, et paulo post Antonius reconciliatus Dolabellae. Obiter igitur obiicit inconstantiam, quia quem vivo Caesare vitiosum esse consulem dixerat, eum post Caesaris necem, tanquam salvis auspiciis creatum, in consortium consulatus admisit. Id.

*Praevertendum est*) Sic e cod. Vatic. Graev. Heusing. et Wernsdorf. Vulgo olim *praetereundum non sit.*

*Praevertendum est*) Sensus: incidi in id tempus de quo prius mihi loquendum est, quam de iis rebus de quibus coeperam loqui. Faern.

*Quae formido illo die*) *Quae formido praeclaro illo die* Wernsdorf.

auguria rerum futurarum! Dicebam illis in Capitolio liberatoribus nostris, quum me ad te ire vellent, ut ad defendendam rempublicam te adhortarer: quoad metueres, omnia te promissurum; simul ac timere desiisses, similem te futurum tui. Itaque, quum ceteri consulares irent, redirent, in sententia mansi; neque te illo die, neque postero vidi; neque ullam societatem optimis civibus cum importunissimo hoste foedere ullo confirmari posse credidi. Post diem tertium veni in aedem Telluris, et quidem invitus, quum omnes aditus armati obsiderent.

XXXVI. Qui tibi dies ille, M. Antoni, fuit? Quamquam mihi subito inimicus exstitisti, tamen me tui miseret, quod tibi invideris. Qui tu vir, dii immortales! et quantus fuisses, si illius diei mentem servare potuisses! Pacem haberemus, quae erat facta per obsidem, puerum nobilem, M. Bambalionis nepotem. Quamquam te bonum timor faciebat, non diuturnus magister officii: improbum fecit ea, quae, dum timor abest, a te non discedit, audacia. Etsi tum, quum optimum te putabant, me quidem dissentiente, funeri tyranni, si funus illud fuit, sceleratissime praefuisti. Tua illa pulcra laudatio, tua miseratio, tua cohor-

*Dicebam illis in Capitolio liberatoribus* ) Bruto, ceterisque qui a reipublicae cervicibus iugum servile deiecerant, quique caede peracta, in Capitolium, tanquam Deos comprecaturi, concesserant, ibique diem illum noctemque exegerant. Ad quos accesserunt tum alii, tum ipse Cicero, ut cum illis agerent de republica. FAERN.

*Sceleratissime praefuisti* ) Sic Faërn. alii e cod. Vatic. Vulgo *funeri tyranni illius sceleratissimi.*

*Tua illa pulcra laudatio* ) Ironice pulcram appellat laudationem Antonii, quae revera perniciosa fuit reipublicae. Ea funebri oratione tria praestitit Antonius. 1. Laudavit Caesarem, et cum Alexandro Macedone comparavit, ut scribit Appianus. 2. Interitum Caesaris miserabiliter deflevit. 3. Multitudinem contra percussores Caesaris excitavit. Plebs ita subiectis iracundiae facibus exarsit, ut Caesaris corpus in forum detulerit, deinde structo a septis, subselliis et tribunalibus rogo combusserit, tandem raptis e rogo torribus, ad per-

tatio. Tu, tu, inquam, illas faces incendisti, et eas, quibus semiustulatus ille est, et eas, quibus incensa L. Bellieni domus deflagravit. Tu illos impetus perditorum hominum, et ex maxima parte servorum, quos nos vi manuque repulimus, in nostras domos immisisti. Idem tamen, quasi fuligine abstersa, reliquis diebus in Capitolio praeclara senatusconsulta fecisti, ne qua post Idus Martias immunitatis tabula, neve cuiusquam beneficii figeretur. Meministi ipse, de exsulibus; scis, de immunitate quid dixeris. Optimum vero, quod dictaturae nomen in perpetuum de republica sustulisti. Quo quidem facto tantum te cepisse odium regni videbatur, ut eius omnem, propter proximum dictatorem, tolleres metum.

XXXVII. Constituta respublica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diutius sui potuit esse dissimilis? Inspectantibus vobis, toto Capitolio tabulae figebantur; neque solum singulis venibant immunitates, sed etiam populis universis. Civitas non iam singillatim, sed provinciis totis dabatur. Itaque si haec manent, quae stante republica manere non possunt, provincias universas, Patres conscripti, perdidistis: neque vectigalia solum, sed etiam imperium populi romani huius domesticis nundinis deminutum est. Vbi est septies millies se-

cassorum reliquorumque senatorum aedes accurrerit, ut eas incenderet. Quo in tumultu, L. Bellieni domus deflagravit. Laudationem Caesaris funebrem ab Antonio dictam refert Dio XLIV et Appianus lib. II exeunte de bellis civilibus. Abr.

*Inquam*) Ex cod. Vatic. addiderunt Faërn. Lamb. alii.

*Cuiusquam*) *Neve cuius* iidem e cod. Val.

*Propter proximum dictatorem*) Videbatur enim Antonius odio Caesaris, qui proxime dictator fuerat, omnem regni metum sustulisse, sanciens ne quis in posterum dictator diceretur, Abr.

*Venibant*) Sic Heusingerus recte, Vulgo *veniebant*.

stertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? funestae illius quidem pecuniae; sed tamen, si iis, quorum erat, non redderetur, quae nos a tributis posset vindicare. Tu autem quadringenties HS, quod Idibus Martiis debuisti, quonam modo ante Kalendas Aprilis debere desisti? Sunt ea quidem innumerabilia, quae a diversis emebantur, non insciente te: sed unum egregium de rege Deiotaro, populo romano amicissimo, decretum in Capitolio fixum. Quo proposito nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. Quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Caesar? aeque atque huic ordini, ut equestri, ut Massiliensibus, ut omnibus, quibus rempublicam populi romani caram esse sentiebat. Igitur, a quo vivo, nec praesens, nec absens quidquam aequi boni impetravit, apud mortuum factus est gratiosus. Compellarat hospitem praesens, computarat, pecuniam imperarat; in eius tetrarchia ex graecis comitibus suis collocarat; Armeniam abstulerat a senatu datam. Haec vivus eripuit, reddidit mortuus. At quibus verbis? Modo aequum sibi videri, modo non iniquum. Mira verborum complexio. At ille nunquam (semper enim absenti affui Deiotaro) quicquam sibi, quod nos pro illo postularemus, aequum dixit videri. Syngrapha HS centies per legatos, viros bonos, sed timi-

*Patebat*) Sic editum e cod. Vatic. Vulgo *petebat.*

*Quorum*) Eorum, qui pro Pompeio contra Caesarem pugnarant. MAN.

*Debere desisti*) Hic in edd. nonnullis ponuntur ista. *Quid ego de commentariis infinitis? quid de innumerabilibus chirographis loquar?* quae cap. 38 init. aptiore loco leguntur.

*Igitur a quo vivo*) Ern. coni. legendum: *Is igitur qui a vivo.* Graev. e cod. Vat. *Igitur a quo.*

*Compellarat*) Appellarat de pecunia Caesar Deiotarum, quum in eius domum hospitio exceptus est. ABR.

*Computarat*) Supputarat, subductisque rationibus omnibus summam fecerat eius pecuniae, quae ex tota Deiotari tetrarchia corradi potuit, ut eam omnem imperaret. ID.

dos et imperitos, sine nostra, sine reliquorum hospitum regis sententia, facta in gynaeceo: quo in loco plurimae res veniere et veneunt. Qua ex syngrapha quid sis acturus, meditere censeo. Rex enim ipse sua sponte, nullis commentariis Caesaris, simul atque audivit eius interitum, suo Marte res suas recuperavit. Sciebat homo sapiens, ius semper hoc fuisse, ut, quae tyranni eripuissent, ea, tyrannis interfectis, ii, quibus erepta essent, recuperarent. Nemo igitur iureconsultus, ne iste quidem, qui tibi uni est iureconsultus, per quem haec agis, ex ista syngrapha deberi dicit pro iis rebus, quae erant ante syngrapham recuperatae. Non enim a te emit: sed priusquam tu suum sibi venderes, ipse possedit. Ille vir fuit: nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus.

XXXVIII. Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam imitatores sunt, qui ea, tanquam gladiatorum libellos, palam venditent. Itaque tanti acervi num-

*Sine nostra*) Sic Graev. Ern. e cod. Vatic. Alii *sine sua*. Ferrarius e coniectura *sine Sexti*; cf. Ep. ad Att. XVI. 3.

*Facta in gynaeceo*) Id est cum Fulvia. Nam gynaeceum locus erat in aedibus, ubi mulieres habitabant. Man.

*Iureconsultus*) Sex. Clodius.

*Quid ego de commentariis*) Senatus pacis et concordiae causa Caesaris acta servanda esse decreverat, id est, statuerat ut nihil de actis Caesaris mutaretur, sed singulis magistratus, beneficia, provinciae darentur, quos Caesar vivus singulis contulisset. Necato Caesare, Calpurnia coniux, quatuor talentorum millia, et mariti libellos sive commentarios diurnos ab ipso memoriae causa conscriptos ad Antonium detulit. Is arrepta occasione beneficia, magistratus, provincias, immunitates vendidit, adulteratis Caesaris commentariis ad libidinem, quasi quae faceret, e Caesaris memoriali peterentur. Ad haec nunc Orator delabitur. Abram.

*Imitatores sunt*) Tanta subiiciendorum adulterandorumque licentia per te inducta est, ut non tu solum, sed alii quoque exscriberent, vel potius imitentur, quae deinde publice venditent, ut vendi solent ii libelli, quibus futura proximorum gladiatorum pugna, et singulorum parium compositio describitur. Idem.

morum apud istum construuntur, ut iam appendantur, non numerentur pecuniae. At quam caeca avaritia est! Nuper fixa tabula est, qua civitates locupletissimae Cretensium vectigalibus liberantur; statuiturque, ne post M. Brutum procönsulem sit Creta provincia. Tu mentis es compos? tu non constringendus? An Caesaris decreto Creta post M. Bruti decessum potuit liberari, quum Creta nihil ad Brutum, Caesare vivo, pertineret? At huius venditione decreti (ne nihil actum putetis) provinciam Cretam perdidistis. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor. Et de exsulibus legem, quam fixisti, Caesar tulit? Nullius insector calamitatem; tantum queror, primum eorum reditus aequatos, quorum causam dissimilem Caesar iudicarit; deinde nescio cur reliquis idem non tribuas. Neque enim plus quam tres aut quatuor reliqui sunt. Qui simili in calamitate sunt, cur tua misericordia simili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, quum de reliquis ferres, noluisti; quem etiam ad censuram petendam impulisti, eamque petitionem comparasti, quae et risus hominum et querelas moveret. Cur autem ea comitia non habuisti? An quia tribunus plebis sinistrum fulmen nuntiabat? Quum tua quid interest, nulla auspicia sunt; quum tuorum, tum fis religiosus. Quid? eundem in septemviratu nonne de-

*Risus hominum et querelas moveret*) Ridebant eum, qui fuisset infamia notatus, censuram petere, cuius est de moribus civium iudicare. Querebantur tantam esse M. Antonii impietatem, ut patruum suum omnibus ridendum exponeret. Abr.

*Cur autem ea comitia*) Antonius, ut videtur, censoria comitia indixerat, sed illucescente die vel non accessit omnino, vel quum accessisset, repente comitia dimisit, quod tribunus plebis nescio quis fulmen sinistrum nuntiabat. Idem.

*In septemviratu*) Quum dividendo militibus agro Campano, et Leontino septemviros, omisso patruo, praefecisti. Philip. II et VIII. Man.

stituisti? Intervenit enim. Quid metuisti? credo, ne salvo capite negare non posses. Omnibus eum contumeliis onerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas esset, colere debebas. Filiam eius, sororem tuam, eiecisti, alia conditione quaesita et ante prospecta. Non est satis. Probri insimulasti pudicissimam feminam. Quid est, quod addi possit? Contentus eo non fuisti. Frequentissimo senatu Kalendis Ian. sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella causam odii dicere ausus es, quod ab eo sorori et uxori tuae stuprum oblatum esse comperisses. Quis interpretari potest, impudentiorne, qui in senatu, an improbior, qui in Dolabellam, an impurior, qui patre audiente, an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris? Sed ad chirographa redeamus. Quae tua fuit cognitio? Acta enim Caesaris pacis causa confirmata sunt a senatu, quae quidem Caesar egisset, non ea, quae Caesarem egisse dixisset Antonius. Vnde ista erumpunt? quo auctore proferuntur? Si sunt falsa, cur probantur? si vera, cur veneunt? At sic placuerat, ut ex Kalendis Iuniis de Caesaris actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium? quem unquam advocasti? quas Kalendas Iunias exspectasti?

*Quid metuisti*) *Quum metuisti credo ne — non posses; omnibus —* cod. Vatic. Et sic Wernsdorf.

*Capite*) Videtur reddere rationem cur patruum suum destituerit Antonius. Quia si eum septemvirum creare voluisset, prius de restituendo patruo legem ferre debuisset; neque enim qui integri capitis et existimationis non erat ob damnationem, is poterat fieri septemvir, aut ad ullum vel magistratum, vel sacerdotium promoveri. At metuebat Antonius, ne salvo patrui capite, id est, patruo in integrum restituto, debitam ei pecuniam negare non posset. Abr.

*Alia conditione*) Ante repudium uxoris, circumspecta alia uxore, quam duceret, nimirum Fulvia. Graev.

*Prospecta*) Sic Graev. maluit. Vulgo *perspecta*.

*Sedente patruo*) C. Antonius forte Romae aderat, quamvis non esset lege restitutus; legibus inter arma civilia silentibus. Fer.

*Quae tua fuit cognitio?*) Cur tu nova Caesaris acta profers? Ad te non pertinet ista cognitio. Cum consilio

an eas, ad quas te, peragrátis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisti?

XXXIX. O praeclaram illam percursationem tuam mense Aprili atque Maio, tum, quum etiam Capuam coloniam deducere conatus es! Quemadmodum illinc abieris, vel potius paene non abieris, scimus. Cui tu urbi minitaris. Vtinam conere, ut aliquando illud *paene* tollatur! At quam nobilitata est tua illa peregrinatio? Quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? Tua ista detrimenta sunt; illa nostra. Agrum Campanum, qui quum de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum reipublicae vulnus putabamus, hunc tu compransoribus tuis et collusoribus dividebas. Mimos dico et mimas, Patres conscripti, in agro Campano collocatos. Quid iam querar de agro Leontino? Quandoquidem hae quondam arationes [1] in populi romani patrimonio grandi foenore et fructuosae ferebantur. Medico tria millia iugerum, quasi te sanasset; rhetori duo, quasi te disertum facere potuisset. Sed ad iter Italiamque redeamus.

XL. Deduxisti coloniam Casilinum, quo Caesar ante deduxerat. Consuluisti me per literas de Capua tu quidem; sed idem de Casilino respondissem: possesne, ubi colonia esset, eo coloniam novam iure deducere? Negavi, in eam coloniam, quae esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam iure deduci; colonos novos adscribi posse rescripsi. Tu autem insolentia elatus, omni auspiciorum iure turbato,

senatorum cognosci oportebat. Id enim placuerat. MAN.

*Capuam coloniam deducere*) Antonius, ut veteranorum animos sibi magis obligaret, Capuanorum agros illis assignare voluerat, et novam coloniam eo transcribere, eoque profectus erat, ut agros divideret: sed illi coloni veteres obstiterunt, necemque paene intulerunt. Eam ob causam Capuenis minitabatur. ABR.

(1) Vulgo additur *Campani et Leon-*

Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, et aratrum circumduceres: cuius quidem vomere portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur. Ab hac religionum perturbatione advolas in M. Varronis, sanctissimi atque integerrimi viri, fundum Cassinatem. Quo iure? quo ore? Eodem, inquies, quo in heredum L. Rubrii, quo in heredum L. Turselii praedia, quo in reliquas innumerabiles possessiones. Et si ab hasta, valeant tabulae, modo Caesaris, non tuae, quibus debuisti, non quibus tu te liberavisti. Varronis quidem Cassinatem fundum quis veniisse dicit? quis hastam istius venditionis vidit? quis vocem praeconis audivit? Misisse te dicis Alexandriam, qui emeret a Caesare: ipsum enim exspectare magnum fuit. Quis vero audivit unquam (nullius autem salus curae pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam esse detractam? Quid? si etiam scripsit ad te Caesar, ut redderes, quid satis potest dici de tanta impudentia? Remove gladios parumper illos, quos videmus: iam

*tini* quod omisit W. — Novissimi Edd. Paris. *Campana et Leontina.* T.

*Et si ab hasta*) Anticipatione rhetorica eludit responsionem Antonii. Respondebis fortasse fundum Varronis, quod secutus esset partes Pompeianas, subiectum fuisse hastae, et voci praeconis, a Caesare, qui suorum inimicorum bona proscripsit, te autem emisse, et adeo iure possidere. Quem fundum, si tu ab hasta Caesaris emisti, concedo te iure possidere, et valere hastam debere confiteor. Ann. — Ernest. coniicit *quod si ab hasta.* T.

*Modo Caesaris*) locatur in tabularum nomine, et ab auctionariis ad eas transit, in quibus pecunia ad aedem Opis deposita a Caesare patebat: quae si valerent, Antonius eius a se dissipatae pecuniae rationem reddere cogeretur. Man.

*Tu te liberavisti*) Cod. Lang. et alii, probante Heusingero, *tute te.*

*Misisse te dicis Alexandriam*) Alia responsio M. Antonii, quam tribus rationibus confutat. 1. Ironice, qua figura summam Antonii cupiditatem exaggerat. Quasi dicat, Adeone caecus avaritia et cupiditate rapiebaris, adeone bona civium inhiabas, ut magnum tibi et difficile videretur exspectare, dum Caesar ad urbem accederet, et inimicorum suorum bona subiiceret publicae auctioni? .... Ann.

*Quid si*) Hanc cod. Ms. lectionem

intelliges, aliam causam esse hastae Caesaris, aliam confidentiae et temeritatis tuae. Non enim te dominus modo illis sedibus, sed quivis amicus, vicinus, hospes, procurator arcebit.

XLI. At quam multos dies in ea villa turpissime est perbacchatus! Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipsa misera, *quam dispari domino!* Quamquam quomodo iste dominus? Sed tamen quam a dispari tenebantur! Studiorum enim suorum M. Varro voluit esse illud, non libidinum deversorium. Quae in illa villa ante dicebantur? [1] quae literis mandabantur? Iura populi romani, monumenta maiorum, omnis sapientiae ratio, omnisque doctrinae. At vero, te inquilino (non enim domino), personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pavimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum meritoriis; scorta inter matres familias versabantur. Cassino salutatum veniebant, Aquino, Interamna. Admissus est nemo. Iure id quidem. In homine enim turpissimo obsolebant dignitatis insignia. Quum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet, obviam ei processit (ut est frequens municipium) magna sane multitudo. At iste operta lectica latus est per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates; sed tamen in via habitabant. Quid Anagnini? qui quum essent devii, descenderant, ut istum, tanquam si esset consul, salutarent. Incredibile dictu; tamen inter omnes con-

auctore Heusingero praetuli vulgatae *quod si.*

*Bibebatur*) Quum hora nona initium esset coenae. Man.

*Domino*) Allodit ad versiculum poëtae antiqui, qui de Offic. I, 38 adhibetur: *O domus antiqua, heu quam dispari dominare domino!*

(1) *Ante dicebantur?*) Vulgo additur *quae cogitabantur.* Id in nullo scripto libro invenerunt Ferrar. et Graev. Uncis inclusit Heusing. eiecit Wern.

*Doctrinae*) Sic Graevius auctoritate Ms. Val. Vulgo *doctrina.*

*Obsolebant*) *Obsolefiebant* Faërn. Mur. Lamb. *obsolescebant.* Man.

*Descenderant*) Olim edebatur *obviam ei descenderant.* Sed verba ob-

stabat, neminem esse resalutatum; praesertim quum duos secum Anagninos haberet; [1] quorum alter gladiorum est princeps, alter poculorum. Quid ego illas istius minas contumeliasque commemorem, quibus invectus est in Sidicinos, vexavit Puteolanos, quod C. Cassium, quod Brutos patronos adoptassent? Magno quidem iudicio, studio, benivolentia, caritate, non vi et armis, ut te, ut Basilum, et alios vestri similes, quos clientes nemo habere velit, non modo esse illorum cliens. Interea dum tu abes, qui dies ille collegae tui *fuit* [2], quum illud, quod tu venerari solebas, bustum

*viam ei* recte deleverunt Faërn. Mur.

(1) *Anagn. haberet*) Volgo additur *Mustelam et Laconem*. Sed Ciceronem haec nomina haud adiecisse patet ex ep. II ad Atticum lib. XVI, ubi Attico quaerenti *quinam essent illi Anagnini*, Cicero respondet *Anagnini sunt Mustela ταξιάρχης, et Laco qui plurimum bibit*. Itaque assentior iis, qui ista nomina a glossatore adiecta esse statuunt, etsi Heusingerus arbitrabatur ea ab ipso Cicerone postea addita fuisse, ne quid obscuritatis relinqueretur.

*Gladiorum*) Hoc Faërn. et alii recte e Ms. Vat. et Col. ediderunt pro vulg. *gladiatorum*.

*Vt te, ut Basilum*) Vulgo *non ut te, ut Basilum vi et armis et alios vestri similes*. Schottus coniecerat legendum esse: *non ut te ut Basilum, ut Tamisium, ut alios*.

*Interea dum tu abes*) Post C. Caesaris necem nescio quis in C. Marii nomen invasit, et eodem plebeculam concitavit in senatum: plebsque, ut scribit Suetonius in Iulio c. 85, « solidam columnam prope XX pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque PARENTI PATRIAE. Apud eam longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam interposito per Caesarem iureiurando distrahere perseveravit: » Antonius uncum impegit illi pseudo-Mario, eumque in vinculis iugulavit. Quo facto vocatus in odium multitudinis concitatae, in hoc rerum rumore discessit ex urbe, veteranorum colonias nuper a Caesare deductas obiturus, sive ut eorum animos sibi conciliaret, sive ut caput suum praesenti periculo multitudinisque furori subduceret. Sed absente Antonio, et colonias lustrante, « Quum (ut dicitur Phil. I.) serperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius, iidemque bustum in foro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, et quotidie magis magisque perditi homines cum suis similibus servis, tectis ac templis urbis minarentur, talis animadversio fuit Dolabellae quum in audaces sceleratosque servos, tum in impuros ac nefarios liberos », ut servos nonnullos in crucem egerit, liberos de saxo Tarpeio deiecerit, *talisque eversio illius exsecratae columnae*, ut locum illum sternendum locarit, ne quod extaret columnae vestigium, de quo epist. 17 et 18, lib. XIV, ad Atticum. Ass.

(2) *Fuit* addiderunt Faërn. Mur.

in foro evertit? qua re tibi nuntiata, ut constabat inter eos, qui una fuerunt, concidisti. Quid evenerit postea, nescio. Metum credo valuisse et arma. Collegam quidem de caelo detraxisti; effecistique, non tu quidem etiam nunc, ut sit similis tui, sed certe, ut dissimilis esset sui.

XLII. Qui vero reditus inde Romam? quae perturbatio totius urbis? Memineramus Cinnam nimis potentem, Sullam postea dominantem; modo regnantem Caesarem videramus. Erant fortasse gladii, sed absconditi, nec ita multi. Ista vero quae et quanta barbaria est! Agmine quadrato cum gladiis sequuntur milites; scutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem iam inveteratis, Patres conscripti, consuetudine obduruimus. Kalendis Iuniis quum in senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus. At iste, qui senatu non egeret, neque desideravit quemquam, et potius discessu nostro laetatus est, statimque illa mirabilia facinora effecit. Qui chirographa Caesaris defendisset lucri sui causa, is leges Caesaris, easque praeclaras, ut rempublicam concutere posset, evertit. Numerum annorum provinciis prorogavit; idemque, quum actorum Caesaris defensor esse deberet, et in publicis et in privatis rebus acta Caesaris rescidit. In publicis, nihil est lege gravius; in privatis firmissimum est

Lamb. Graev. Amar. — *Collegae*, Dolabellae scil. Typ.

*Qui una fuerunt*) Ernest. coni. *fuerant*.

*Metum credo valuisse et arma*) Frigida excusatio. Dolabellam videri vult non pecunia corruptum, sed metu et armis a republica bene gerenda deterritum, postquam Antonius ex illa sua peregrinatione stipatus armatis ad Vrbem accessit. Non metus valuit, sed avaritia, ut aperte lib. XIV ad Attic. epist. 22. Abram.

*Numerum annorum provinciis prorogavit*) Praetoriis annum, consularibus biennium Caesar dederat, ut in Phil. I, Antonius lege tribunitia, ut in Phil. V ostenditur, praetoriis biennium, consularibus sexennium dedit. Man.

testamentum. Leges alias sine promulgatione sustulit: alias ut tolleret, promulgavit. Testamentum irritum fecit, quod etiam infimis civibus semper obtentum est. Signa, tabulas, quas populo Caesar una cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeii deportavit, partim in villam Scipionis.

XLIII. Et tu in Caesaris memoria diligens? tu illum amas mortuum? Quem is maiorem honorem consequutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? Est ergo flamen, ut Iovi, ut Marti, ut Quirino, sic divo Iulio M. Antonius! Quid igitur cessas? cur non inaugurare? Sume diem: vide, qui te inauguret. Collegae sumus; nemo negabit. O detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es, sive quod mortui! Quaero deinceps, num, hodier-

*In hortos Pompeii*) Suburbanos, quos tunc Antonius tenebat, ob hasta emptos. Id.

*In villam Scipionis*) In Tiburte, ipsam quoque ab hasta emptam, in septemdecim dies, quae in Ciceronem in senato diceret, commentatus est. Philipp. V. Id.

*Maiorem honorem consecutus erat*) A senatu. Suetonius: *Ampliora humano fastigio sibi decerni passus est. Ferculum circensi pompa, templa, aras, simulacra iuxta deos, pulvinar, flaminem, Lupercos.* Id.

*Fastigium*) Tectum fastigiatum, quod solis templis imponebatur, quum aliarum aedium tecta essent plana. Graecis etiam ἀέτωμα dicitur. Itaque quum Caesaris domoi fastigium decerneretur, divini ei honores decernebantur, significabaturque Caesarem praesens Numen esse habendum, et eius domum esse templum. Graev.

*Est ergo flamen*) Summa cum indignatione Antonium invadit, qui Caesari tam abiecte fuerat adulatus, ut etiam sacerdotium eius honori dicatum ambiverit. Videtur autem Antonius id sacerdotium Caesare vivo petiisse, atque etiam impetrasse; sed post necem Caesaris, quae priusquam Antonius flamen inauguraretur, obtigerat, inaugurari noluisse. Id.

*Quaero deinceps*) Legem tulerat Antonius, ut ad illos dies quatuor, quibus ludi Romani celebrabantur in Circo, quintus dies in honorem Caesaris adderetur, eiusque pulvinar et simulacrum cum ceteris deorum simulacris in pompa ferretur. Sed post Caesaris necem consul Antonius passus non est post quatuor dies ludorum Romanorum quicquam in honorem Caesaris addi, eiusque simulacrum tanquam numinis alicuius in pompa deferri. Ne tamen omnem mortui memoriam obliterasse videretur, Caesaris nomine supplicationem instituit: quod Cicero reprehendit, docetque religionem non tantum pulvinaribus

nus dies, qui sit, ignores? Nescis, heri quartum in Circo diem ludorum romanorum fuisse? te ipsum autem ad populum tulisse, ut quintus praeterea dies Caesari tribueretur? Cur non sumus praetextati? cur honorem Caesari tua lege datum, deseri patimur? An supplicationes addendo diem contaminari passus es; pulvinaria noluisti? Aut undique religionem tolle, aut usquequaque conserva. Quaeres, placeatne mihi pulvinar esse, fastigium, flaminem. Mihi vero nihil istorum placet. Sed tu, qui acta Caesaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? nisi forte vis fateri, te omnia quaestu tuo, non illius dignitate metiri. Quid ad haec tandem? exspecto enim eloquentiam tuam. Disertissimum cognovi avum tuum; at te etiam apertiorem in dicendo. Ille nunquam nudus est concionatus: tuum, hominis simplicis, pectus vidimus. Respondebisne ad haec? aut omnino hiscere audebis? Ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te respondere posse confidas?

XLIV. Sed praeterita omittamus. Hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, si potes. Cur armatorum corona senatus septus est? cur me tui satellites cum gladiis audiunt? cur valvae Concordiae non patent? cur homines omnium gentium maxime barbaros, Ityreos, cum sagittis deducis in forum? Prae-

et ludis, sed etiam indicta supplicatione violari. Abr.

*Hodiernus dies*) Oratio haec ita scripta est, quasi habita fuerit duodecimo kalendas octobris, postridie quam in ipsum absentem invectus fuerat Antonius: qui dies in Calendario, quod Manutii descripserunt, quintus ludorum romanorum in circo signatus est. Id.

*Praetextati*) Nondum tributus erat ille dies Caesari; tributum postea veteres dierum fasti demonstrant. Man.

*Apertiorem*) locus ex ambiguo, quo carpit corporis nuditatem, quum perspicuitatem orationis laudare videatur. Abr.

*Pectus vidimus*) Lupercus enim concionatus est. Supra. Man.

sidii sui causa se facere dicit. Nonne igitur millies perire est melius, quam in sua civitate sine armatorum praesidio non posse vivere? Sed nullum est istuc, mihi crede, praesidium. Caritate et benivolentia civium septum oportet esse, non armis. Eripiet, extorquebit tibi ista populus romanus, utinam salvis nobis! sed quoquo modo nobiscum egeris, dum istis consiliis uteris, non potes, mihi crede, esse diuturnus. Etenim ista tua minime avara coniux, quam ego sine contumelia describo, nimium debet diu populo romano tertiam pensionem. Habet populus romanus, ad quos gubernacula reipublicae deferat: qui ubicumque terrarum sunt, ibi est omne reipublicae praesidium, vel potius ipsa respublica, quae se adhuc tantummodo ulta est, nondum recuperavit. Habet quidem certe respublica adolescentes nobilissimos, paratos defensores. Quam volent, illi cedant, otio consulentes: tamen a republica revocabuntur. Et nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris. Sed inter pacem et servitutem plurimum interest. Pax est tranquilla libertas: servitus malorum omnium postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum. Quod si se ipsos illi nostri liberatores e conspectu nostro abstulerunt, at exemplum facti reliquerunt. Illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello est persequutus; qui tum rex fuit, quum esse Romae regem licebat. Spurii Cassius et Melius, M. Manlius propter suspicionem regni appetendi sunt necati. Hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, sed in regnantem impetum fecerunt. Quod quum ipsum factum

*Avara coniux*) Fulvia.

*Tertiam pensionem*) Interitum significat Antonii, tertii Fulviae mariti, ut duo priores Clodius et Curio perierant.

*Ipsum factum*) *Factum* Ernestio suspectum fuit.

per se praeclarum atque divinum est, tum expositum ad imitandum; praesertim quum illi eam gloriam consequuti sint, quae vix caelo capi posse videatur. Etsi enim satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam.

XLV. Recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti. Pone ante oculos laetitiam senatus populique romani; confer cum nundinatione tua tuorumque: tum intelliges, quantum inter laudem et lucrum intersit. Sed nimirum, ut quidam, morbo aliquo et sensus stupore, suavitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, avari, facinorosi, verae laudis gustum non habent. Sed si te laus allicere ad recte faciendum non potest, ne metus quidem a foedissimis factis potest avocare? Iudicia non metuis: si propter innocentiam, laudo; si propter vim, non intelligis, ei, qui isto modo iudicia non timeat, quid timendum sit? Quod si non metuis viros fortes, egregiosque cives, quod a corpore tuo prohibentur armis; tui te, mihi crede, diutius non ferent. Quae est autem vita, dies et noctes timere a suis? nisi vero aut maioribus habes beneficiis obligatos, quam ille quosdam habuit ex iis, a quibus est interfectus, aut tu es ulla re cum eo comparandus. Fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literae, cogitatio, diligentia; res bello gesserat, quamvis reipublicae calamitosas, attamen magnas; multos annos regnare meditatus, magno labore, magnis periculis, quod cogitarat, effecerat; muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam lenierat, suos praemiis, adversarios clementiae

*Nundinatione*) Ita correxerunt Ant. Augustinus et Victorius probante Ernestio. Vulgo *nummatione*.

*Ut quidam morbo aliquo*) *Ut quodam morbo aliquo* cod. Ienens.

*Memoria, literae*) *literae* recte e cod. Vatic. assumpsit Heusinger. Vulgo *literatura*.

specie devinxerat. Quid multa? attulerat iam liberae civitati, partim metu, partim patientia, consuetudinem serviendi. Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre possum, ceteris vero rebus nullo modo es comparandus. Sed ex plurimis malis, quae ab illo reipublicae sunt inusta, hoc tamen boni est, quod didicit iam populus romanus, quantum cuique crederet, quibus se committeret, a quibus caveret. Haec igitur non cogitas? nec intelligis, satis esse viris fortibus didicisse, quam sit re pulcrum, beneficio gratum, fama gloriosum, tyrannum occidere? an, quum illum homines non tulerint, te ferent? Certatim posthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occasionis tarditas exspectabitur.

XLVI. Respice, quaeso, aliquando rempublicam, M. Antoni; quibus ortus sis, non quibuscum vivas, considera: mecum, ut voles; cum republica redi in gratiam. Sed de te tu ipse videris; ego de me ipso profitebor. Defendi rempublicam adolescens; non deseram senex: contempsi Catilinae gladios; non pertimescam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest: ut aliquando dolor populi romani pariat, quod iamdiu parturit. Etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni? Mihi vero, Patres conscripti, iam etiam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quasque gessi. Duo modo haec opto: unum, ut moriens populum romanum liberum relinquam; hoc mihi maius a diis immortalibus dari nihil potest; alterum, ut ita cuique eveniat, ut de republica quisque mereatur.

*Quam sit re pulcrum*) *Re* Faërn. et Ern. addiderunt e cod. Vatic.

*Vt de republica quisque mereatur*) Cod. Ien. *donari nihil — ut ita cuique eveniat ut de republica quisque mereretur*.

IN

# M. ANTONIVM

## PHILIPPICA TERTIA

I.

Serius omnino, Patres conscripti, quam tempus reipublicae postulabat, aliquando tamen convocati sumus: quod flagitabam equidem quotidie, quippe quum bellum nefarium contra aras et focos, contra vitam fortunasque nostras, ab homine profligato ac perdito non comparari, sed geri iam viderem. Exspectantur Kalendae Ianuar; quas non exspectat Antonius, qui in provinciam D. Bruti, summi et singularis viri, cum exercitu impetum facere conatur; ex qua se instructum et paratum ad urbem venturum esse minitatur. Quae est igitur exspectatio, aut quae vel minimi dilatio temporis? Quamquam enim adsunt Kalendae Ian. tamen breve tempus longum est imparatis. Dies enim affert, vel hora potius, nisi provisum est, magnas saepe clades. Certus autem dies non ut sacrificii, sic consilii exspectari solet. Quod si aut Kalendae Ian. fuissent eo die, quo primum ex urbe fugit Antonius, aut hae non essent exspectatae, bellum iam nullum haberemus. Auctoritate enim senatus, consensuque populi romani facile hominis amen-

*Postulabat*) Ita Graev. Ern. e cod. Vatic. Olim edebatur *postulavit*.

*Vel minimi*) Sic Faërn. Mur. Lamb. Graev. Ern. Alii *minima*.

tis fregissemus audaciam. Quod confido equidem consules designatos, simulac magistratum inierint, esse facturos. Sunt enim optimo animo, summo consilio, singulari concordia. Mea autem festinatio non victoriae solum avida est, sed etiam celeritatis.

II. Quo enim usque tantum bellum, tam crudele, tam nefarium privatis consiliis propulsabitur? cur non quam primum publica accedit auctoritas? C. Caesar adolescens, paene potius puer, incredibili ac divina quadam mente atque virtute, tum, quum maxime furor arderet Antonii, quumque eius a Brundisio crudelis et pestifer reditus timeretur, nec postulantibus, nec cogitantibus, ne optantibus quidem nobis (quia fieri non posse videbatur), firmissimum exercitum ex invicto genere veteranorum militum comparavit, patrimoniumque suum effudit. Quamquam non sum usus eo verbo, quo decuit. Non enim effudit, sed in salute reipublicae collocavit. Cui quamquam gratia referri tanta non potest, quanta debetur: habenda tamen tanta est, quantam maximam animi nostri capere possunt. Quis enim est tam ignarus rerum, tam nihil de republica cogitans, qui hoc non intelligat: si M. Antonius a Brundisio cum iis copiis, quas se habiturum putabat, Romam, ut minabatur, venire potuisset, nullum genus eum crudelitatis praeteriturum fuisse? quippe qui in hospitis tectis Brundisii fortissimos viros, cives optimos, iugulari iussit: quorum ante pedes eius morientium sanguine os uxoris respersum esse constabat. Hac ille crudelitate imbutus, quum multo bonis omnibus veniret iratior, quam illis fuerat, quos trucidarat; cui

*Privatis consiliis*) Caesaris Octaviani, atque etiam D. Bruti. MAN. Vide Fam. XII, 7.

*Quo decuit*) Sic Ern. edidit e MSS. Gu. Leid. Faern. maluit *debui*, quod recepit Graev.

tandem nostrum, aut cui omnino bono pepercisset? Qua peste rempublicam privato consilio (nec enim fieri potuit aliter) Caesar liberavit. Qui nisi in hac republica natus esset, rempublicam scelere Antonii nullam haberemus. Sic enim perspicio, sic iudico, nisi unus adolescens illius furentis impetus, crudelissimosque conatus cohibuisset, rempublicam funditus interituram fuisse. Cui quidem hodierno die, Patres conscripti (nunc enim primum ita convenimus, ut illius beneficio possemus, ea quae sentiremus, libere dicere), tribuenda est auctoritas, ut rempublicam non modo a se susceptam, sed etiam a nobis commendatam possit defendere.

III. Nec vero de legione Martia (quoniam longo intervallo loqui nobis de republica licet) sileri potest. Quis enim unus fortior, quis amicior unquam reipublicae fuit, quam legio Martia universa? quae quum hostem populi romani M. Antonium iudicasset, comes esse eius amentiae noluit; reliquit consulem: quod profecto non fecisset, si eum consulem iudicavisset, quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi caedem civium, atque interitum civitatis, videret. Atque ea legio consedit Albae. Quam potuit urbem eligere, aut opportuniorem ad res gerendas, aut fideliorem, aut fortiorum virorum, aut amiciorum populo romano civium? Huiusce legionis virtutem imitata quarta legio, duce L. Egnatuleio quaestore, cive optimo et fortissimo, Caesaris auctoritatem atque exercitum persequuta est. Faciundum est igitur nobis, Patres conscripti, ut ea, quae sua sponte clarissimus adolescens atque omnium praestantissimus gessit et gerit,

*Ea quae sentiremus*) *Ea*, quod in aliis abest, e cod. Vatic. addiderunt Faern. Mur. Lamb. Graev.

*Persequuta*) *Prosequuta* MS. Pal. et Huydecop.

haec auctoritate nostra comprobentur: veteranorumque, fortissimorum virorum, tum legionis Martiae, quartaeque mirabilis consensus ad rempublicam recuperandam, laude et testimonio nostro confirmetur: eorumque commoda, honores, praemia, quum consules designati magistratum inierint, curae nobis fore, hodierno die spondeamus.

IV. Atque ea quidem, quae dixi de Caesare, deque eius exercitu, iam diu nota sunt nobis. Virtute enim admirabili Caesaris, constantiaque militum veteranorum, legionumque earum optimo iudicio, quae auctoritatem nostram, libertatem populi romani, virtutem C. Caesaris sequutae sunt, a cervicibus nostris est depulsus Antonius. Sed, ut dixi, haec superiora: hoc vero recens edictum D. Bruti, quod paulo ante propositum est, certe silentio non potest praeteriri. Pollicetur enim, se provinciam Galliam retenturum in senatus populique romani potestate. O civem natum reipublicae, memorem sui nominis, imitatoremque maiorum! neque enim, Tarquinio expulso, maioribus nostris tam fuit optata libertas, quam est, repulso Antonio, retinenda nobis. Illi regibus parere iam a condita urbe didicerant: nos post reges exactos servitutis oblivio ceperat. Atque ille Tarquinius, quem maiores nostri non tulerunt, non crudelis, non impius, sed superbus habitus est et dictus. Quod nos vitium in privatis saepe tulimus, id maiores nostri ne in rege quidem ferre potuerunt. L. Brutus regem superbum non tulit: Decimus sceleratum atque impium regnare patietur? quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia et fecit et facit Antonius? Senatum etiam reges habebant; nec tamen, ut Antonio sena-

*Repulso*) *Depulso* cod. Vat.

tum habenti, in consilio regis versabantur barbari armati. Servabant auspicia reges; quae hic consul augurque neglexit, neque solum legibus contra auspicia ferendis, sed etiam collega una ferente eo, quem ipse ementitis auspiciis vitiosum fecerat. Quis autem rex unquam fuit tam insignite impudens, ut haberet omnia commoda, beneficia, iura regni venalia? hic quam immunitatem, quam civitatem, quod praemium, non vel singulis hominibus, vel civitatibus, vel universis provinciis vendidit? Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus: at vero huius domi inter quasilla pendebatur aurum, numerabatur pecunia: una in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi romani nundinabantur. Supplicia vero in cives romanos nulla Tarquinii accepimus: at hic et Suessae iugulavit eos, quos in custodiam dederat, et Brundisii trecentos fortissimos viros, civesque optimos trucidavit. Postremo Tarquinius pro populo romano bellum gerebat tum, quum est expulsus: Antonius contra populum romanum exercitum adducebat tum, quum a legionibus relictus, nomen Caesaris exercitumque pertimuit, neglectisque sacrificiis solemnibus, ante lucem, vota ea, quae

*Ferente*) Vulgo olim *referente*.

*Quasilla*) Quum ostendere vellet, Antonium usque eo sordidum esse, ut omnium rerum publicarum domesticum mercatum institueret, eique Fulviam uxorem praeficeret, ut eius sordes non modo re, sed etiam verbo exprimeret, *inter quasilla* dixit: quo quid sordidius? *Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii: Talassionem enim* quasillum *vocabant: qui alio modo appellatur calathus, vas utique lanificiis aptum.* Haec Sex. Pompeius: at Priscianus lib. III, *Pauca inveniuntur diminutiva, quae non servent genera primitivorum: ut haec rana, hic ranunculus; hic quasus, hoc quasillum.* Quod si cui magis arriserit, *inter quasillos appendebatur*, non pugnabo: praesertim quum et apud Catonem semper hoc vocabulum virile sit. Ferr.

*Adducebat*) Recte sic Ferrar. e codd. MSS. Alii olim *educebat*.

*Neglectisque sacrificiis solemnibus*) Consules in provincias profecturi, et sacrificia prius faciebant, et vota nuncupabant; quae, quum rediissent,

nunquam solveret, nuncupavit: et hoc tempore in provinciam populi romani conatur invadere. Maius igitur a Decimo Bruto beneficium populus romanus et habet, et exspectat, quam maiores nostri acceperunt a L. Bruto, principe huius maxime conservandi generis et nominis. Quum autem omnis servitus est misera, tum vero intolerabile est servire impuro, impudico, effeminato, nunquam, ne in metu quidem, sobrio. Hunc igitur qui Gallia prohibet, privato praesertim consilio, iudicat, verissimeque iudicat, non esse consulem.

V. Faciendum est igitur, Patres conscripti, nobis, ut D. Bruti privatum consilium auctoritate publica comprobemus. Nec vero M. Antonium consulem post Lupercalia putare debuistis. Quo enim ille die, populo romano inspectante, nudus, unctus, ebrius concionatus est, et id egit, ut collegae diadema imponeret; eo die non modo consulatu, sed etiam libertate se abdicavit. Esset enim ipsi certe statim serviendum, si Caesar ab eo regni insigne accipere voluisset. Hunc igitur ego consulem, hunc civem romanum, hunc liberum, hunc denique hominem putem, qui foedo illo et flagitioso die, et quid pati, Caesare vivo, posset, et quid, eo mortuo, consequi ipse cuperet, ostendit? Nec vero de virtute, constantia, et gravitate provinciae Galliae taceri potest. Est enim ille flos Italiae, illud firmamentum imperii populi romani, illud ornamentum dignitatis. Tantus autem est consensus municipiorum, coloniarumque provinciae Galliae, ut omnes ad auctoritatem huius ordinis, maiestatemque populi romani defendendam conspirasse

bene gesta republica solvebant. MAN.
*Solveret*) Non enim ei quae cogitat, prospere succedent. ID.
*Insigne*) *Insignia* e Faërni coniectura edidit Lambin.

videantur. Quamobrem, tribuni plebis, quamquam vos nihil aliud, nisi de praesidio, ut senatum tuto consules Kalendis Ian. habere possent, retulistis, tamen mihi videmini magno consilio, atque optima mente potestatem nobis de tota republica fecisse dicendi. Quum enim tuto senatum haberi sine praesidio non posse iudicavistis; illud etiam statuistis, intra muros Antonii scelus, audaciamque versari.

VI. Quamobrem omnia, mea sententia, complectar, vobis, ut intelligo, non invitis, ut et praestantissimis ducibus a nobis detur auctoritas, et fortissimis militibus spes ostendatur praemiorum, et iudicetur non verbo, sed re, non modo non consul, sed etiam hostis Antonius. Nam, si ille consul, fustuarium meruerunt legiones, quae consulem reliquerunt; sceleratus Caesar, Brutus nefarius, qui contra consulem privato consilio exercitus comparaverunt; sin autem militibus exquirendi sunt honores novi, propter eorum divinum atque immortale meritum, ducibus autem ne referri quidem potest gratia: quis est, qui eum non hostem existimet, quem qui armis persequuntur, conservatores reipublicae iudicantur? At quam contumeliosus in edictis? quam barbarus? quam rudis? Primum in Caesarem ut maledicta congessit, deprompta ex recordatione impudicitiae et stuprorum suorum? Quis enim hoc adolescente castior? quis modestior? quod in iuventute habemus illustrius exemplum veteris sanctitatis? quis autem illo maledico impurior? Ignobilitatem obiicit C. Caesaris filio, cuius etiam naturalis pater, si vita suppeditasset, consul

*Illud etiam statuistis*) *Tum statuistis etiam* cod. Faërn.

*Quam rudis*) Lambinus malebat *quam ferus.*

*Naturalis pater*) *Natura pater* Faërn. Graev. Octavianus fuit natura C. Octavii, adoptione C. Iulii Caesaris filius.

factus esset. « Aricina mater. » Trallianam aut Ephesiam putes dicere. Videte, quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis, id est, omnes plane. Quotus enim quisque non est? Quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere despicit, vetustate antiquissimum, iure foederatum, propinquitate paene finitimum, splendore municipum honestissimum? Hinc Voconiae, hinc Scatiniae leges; hinc multae sellae curules, et patrum memoria et nostra; hinc equites romani, lautissimi plurimi et honestissimi. Sed si Aricinam uxorem non probas, cur probas Tusculanam? Quamquam huius sanctissimae feminae atque optimae pater, M. Attius Balbus, in primis honestus, praetorius fuit: tuae coniugis, bonae feminae, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae, stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. At avus nobilis. Tuditanus nempe ille, ille qui cum palla et cothurnis nummos populo de rostris spargere solebat. Vellem hanc contemptionem pecuniae suis reliquisset! Habetis nobilitatem generis gloriosam. Qui autem convenit, ut tibi Aricina natus ignobilis videatur, quum

*Tusculanam*) I. e. Fulviam.

*Propter haesitantiam linguae, stuporemque cordis*) Bambalio dictus ἀπὸ τοῦ βαμβάλειν, quod est τοῖς χείλεσι τρέμειν; et βάμβαλον Phryges pudendam corporis partem vocant. Quae legimus apud Hesychium. MAN. Nimirum Bambalio est Balbus, homo haesitantis linguae, ψελλιστής. GR.

*Tuditanus*) Cuius filia erat Fulviae mater.

*Nempe ille*) *Ille* additum e MSS. a Graevio; olim in edd. omissum.

*Vellem hanc contemptionem — generis gloriosam*) Ernestius edidit: *Vellem hanc contemptionem pecuniae suis reliquisset: haberetis nobilitatem generis gloriosam.* Nempe putabat illud *haberetis — gloriosam* consequens esse antecedentis *vellem — reliquisset*. Sane *haberetis* est in MSS. aliquot et edd. pr.

*Qui autem convenit*) Sic Ferrar. Faërn. P. Manut. Lamb. Olim e MSS edebatur *evenit.*

*Ut tibi Aricina natus*) Sic Graev. Ern. e melioribus libris MSS. Aliae edd. pr. *ut tibi Iulia natus.*

tu eodem materno genere soleas gloriari? quae porro amentia est, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam, habuerit uxorem, ipse ex libertini filia susceperit liberos? Sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinae filiam: quos certo scio dignitatis optimarum feminarum non poenitere.

VII. Idem etiam Q. Ciceronem, fratris mei filium, compellat edicto; nec sentit amens, commendationem esse compellationem suam. Quid enim accidere huic adolescenti potuit optatius, quam cognosci ab omnibus, Caesaris consiliorum esse socium, Antonii furoris inimicum? At etiam gladiator ausus est scribere, hunc de patris et patrui parricidio cogitasse. O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem! in eum adolescentem hoc scribere audere, quem ego et frater meus, propter eius suavissimos atque optimos mores, praestantissimumque ingenium, certatim amamus, omnibusque horis, oculis, auribus, complexu tenemus? Nam me eisdem edictis, nescit, laedat an laudet. Quum idem supplicium minatur optimis civibus, quod ego de sceleratissimis sumpserim, laudare videtur; quasi imitari velit: quum autem illam pulcherrimi facti memoriam refricat, tum a sui similibus invidiam aliquam in me commoveri putat.

VIII. Sed ipse quid fecit? Quum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset senatus frequens a. d.

*Compellat edicto*) Carpit eum, et vituperat. MAN.

*Ab omnibus*) Sic e cod. Val. Faërn. Muret. Manut. Lamb. Graev. ediderunt, frustra repugnante Grutero. Vulgo *hominibus*.

*Hoc scribere audere*) Ita Ern. a MS. Guelf. Heydecop. Vulgo *haec*.

*Edixit ut adesset*) Faërno et Lambino delendum videbatur *edixit*. Recte vero Graevius defendit hoc sensu: Quum tot edicta de variis rebus proposuisset edixit etiam etc.

VIII kalendas decembres; eo die ipse non affuit. At quomodo edixit? Haec sunt, opinor, verba in extremo: *Si qui non affuerit, hunc omnes existimare poterunt et interitus mei et perditissimorum consiliorum auctorem fuisse.* Quae sunt perdita consilia? an ea, quae pertinent ad libertatem populi romani recuperandam? quorum consiliorum Caesari me auctorem et hortatorem et esse et fuisse fateor. Quamquam ille non eguit consilio cuiusquam: sed tamen currentem, ut dicitur, incitavi. Nam interitus quidem tui quis bonus non esset auctor, quum in eo salus et vita optimi cuiusque, et libertas populi romani dignitasque consisteret? Sed quum tam atroci edicto nos concitavisset, cur ipse non affuit? Num putatis aliqua re tristi ac severa? vino atque epulis retentus est: si epulae potius quam popinae nominandae sunt. Diem edicti obire neglexit; in ante diem quartum Kalendas Decembres distulit. Adesse in Capitolio iussit: quod in templum ipse, nescio qua, per Gallorum cuniculum, adscendit. Convenerunt corrogati, et quidem ampli quidam homines, sed immemores dignitatis suae. Is enim erat dies, ea fama, is qui senatum vocarat, ut turpe senatori esset, nihil timere. Ad eos tamen ipsos qui convenerant, ne verbum quidem ausus est facere de Caesare, quum de eo constituisset ad senatum referre. Scriptam attulerat consularis quidam sententiam. Quid est aliud, se ipsum hostem iudicare,

*Haec sunt, opinor*) Ita Ferrar. Gr. Ern. Vulgo *ut opinor*. Abest autem *ut* codd. Franc. Graev. Amst. Col. Gu.

*Caesari*) Octaviano.

*Retentus est*) Recte delevit Ern. cum Ferrario et Graevio verba *et alea*, quae ab hoc loco aliena sunt et absunt codd. Faërn. Ferrar. Leid.

*Per Gallorum cuniculum*) Occulte quasi per Gallorum cuniculum, quum in Capitolium noctu per cuniculum ascendentes proditi sunt ab anseribus. MAN. Gallorum, ut videtur, *cuniculum*, appellat meatum, per quem Galli in Capitolium introierant, quum sunt a Manlio deturbati. Rem narrat Livius lib. V, cap. 47. *Annn.*

nisi de eo referre non audere, qui contra se consulem exercitum duceret? Necesse erat enim alterutrum esse hostem; nec poterat aliter de adversariis ducibus iudicari. Si igitur C. Caesar hostis, cur consul nihil refert ad senatum? Sin ille a senatu notandus non fuit: quid potest dicere, quin, quum de illo tacuerit, se hostem confessus sit? quem in edictis Spartacum appellat, hunc in senatu ne improbum quidem dicere audet.

IX. At in rebus tristissimis quantos excitat risus! Sententiolas edicti cuiusdam memoriae mandavi, quas videtur ille peracutas putare: ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. *Nulla contumelia est, quam facit dignus.* Primum quid est *dignus?* nam etiam malo digni multi, sicut ipse. An quam facit is, qui cum dignitate est? Quae autem potest esse maior? Quid est porro *facere contumeliam?* quis sic loquitur? Deinde: *Nec timor, quem denuntiat inimicus.* Quid? ergo ab amico timor denuntiari solet? Horum similia deinceps. Nonne satius est mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere? En, cur magister eius, ex oratore arator factus, possideat, in agro publico populi romani, campi Leontini duo

*Se hostem*) Olim *se hostem esse.* Verbum *esse* cum Faërno et Graevio eiecit Ern.

*Nulla contumelia est, quam facit dignus*) M. Antonii triumviri sententia, quam reprehendit Cicero, quid significet, curve illam Cicero reprehenderit, alterum iam seculum agitur, ex quo in quaestione fuit. Vid. I. F. Gronov. *Observat.* lib. III, cap. 8. *An.*

*Facere contumeliam*) Quintilian. IX, 3, 17: *Contumeliam fecit*, quod a Cicerone reprehendi notum est, *affici enim contumelia* dicebant. I. F. Gronovius obss. III, 8, enumeratis XVI aliorum sententiis hunc locum sic intelligit: Ea non est contumelia, quam facit dignus qui sic faceret, a quo nihil aliud erat exspectandum, qui debuit facere.

*Quid? ergo ab amico*) Vulgo sic interpungebatur: *Quid ergo? ab amico* etc. sed ergo ad sequentia trahendum. Vid. Goërenz. ad Cic. de Fin II, 3.

*Magister eius*) Sex. Clodius de quo Philipp. II, 17, 39.

millia iugerum immunia; ut hominem stolidum magis etiam infatuet mercede publica. Sed haec leviora fortasse; illud quaero, cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, quum in edictis tam fuisset ferus; quid autem attinuerit, L. Cassio, tribuno plebis fortissimo, et constantissimo civi, mortem denuntiare, si in senatum venisset; D. Carfulenum, bene de republica sentientem, e senatu vi et minis mortis expellere; Ti. Canutium, a quo erat honestissimis contentionibus et saepe et iure vexatus, non templo solum, verum etiam aditu prohibere Capitolii? Cui senatusconsulto ne intercederent, verebatur? de supplicatione, credo, M. Lepidi, clarissimi viri. Atque id erat periculum, de cuius honore extraordinario quotidie aliquid cogitabamus, ne eius usitatus honos impediretur. Ac, ne sine causa videretur edixisse, ut senatus adesset; quum de republica relaturus fuisset, allato nuntio de legione quarta, mente concidit, et fugere festinans, senatusconsultum de supplicatione per discessionem fecit, quum id factum esset antea nunquam.

X. Quae vero profectio postea? quod iter paludati? quae vitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quam misera fuga? quam foeda? quam turpis? praeclara tamen senatusconsulta illo ipso die vespertina, provin-

*Hominem stolidum*) Antonium discipulum. Olim edebatur *hominem stultum*. Recte Ern. cum Graevio e Faërni libro et aliquot aliis MSS. dedit *stolidum*.

*L. Cassio*) Fratri eius Cassii, qui Caesarem occiderat. MAN.

*Atque id erat periculum*) Ironice dictum.

*De cuius honore extraordinario*) Vere dicit: nam postea Lepidum ornatum esse summis honoribus a senatu indicat epistola ad eum, lib. X Fam. MAN.

*Et fugere festinans*) Melius ita Faërn. Mur. Lamb. Graev. e libris bonis ediderunt. Vulgo *effugere festinans*, quod Ern. retinuit.

*De supplicatione per discessionem*) Lepidi serius enim res confecta esset, si, ut mos erat, singuli senatores sententiam dixissent. MAN.

*Senatusconsulta — vespertina*) S. C. ante ortum, aut post occasum solis

ciarum religiosa sortitio; divina vero opportunitas, ut, quae cuique apta esset, ea cuique obveniret. Praeclare igitur facitis, tribuni plebis, qui de praesidio consulum senatusque referatis; meritoque vestro maximas vobis gratias omnes et agere et habere debemus. Qui enim carere metu et periculo possumus in tanta hominum cupiditate et audacia? Ille autem homo afflictus et perditus, quae de se exspectat iudicia graviora, quam amicorum suorum? Familiarissimus eius, mihi homo coniunctus, L. Lentulus, et P. Naso, omni carens cupiditate, nullam se habere provinciam, nullam Antonii sortitionem fuisse iudicaverunt. Quod idem fecit L. Philippus, vir patre, avo, maioribus suis dignissimus. In eadem sententia fuit homo summa integritate atque innocentia, M' Turranius. Idem fecit P. Oppius, ipsi etiam, qui amicitiam M. Antonii veriti, plus ei tribuerunt, quam fortasse vellent, M. Piso, meus necessarius, et vir et civis egregius, parique innocentia M. Vehilius, senatus auctoritati se obtemperaturos esse dixerunt. Quid ego de L. Cinna loquar? cuius spectata multis magnisque rebus singularis integritas, minus admirabilem facit huius honestissimi facti gloriam; qui omnino provinciam neglexit: quam item magno animo et constanti C. Caesetius repudiavit. Qui sunt igitur reliqui, quos sors divina delectet? C. Antonius, et M. Antonius. O felicem utrumque! nihil enim maluerunt. C. Antonius

facta, rata non fuisse docet M. Varro apud Gellium. FERR.

*Opportunitas*) Iocatur: id est: minime divina, sed vitio et arte facta, ut, quae cuique apta esset, ea cuique obveniret. MAN.

*Consulum*) Designatorum.

*L. Philippus*) Eius qui vitricus Octavii fuit filius.

*Quos sors divina delectat*) Et hic iocatur in sortem vitio factam. MAN.

*M. Antonius*) Non consul, qui post triumvir. Nam is Galliam petebat non sortiebatur, et eam ille provinciam deposuerat. ERN.

Macedoniam. Hunc quoque felicem! hanc enim semper habebat in ore provinciam. C. Calvisius Africam. Nihil felicius. Modo enim ex Africa decesserat, et quasi divinans se rediturum, duos legatos Vticae reliquerat. Deinde M. Iccius Siciliam, Q. Cassius Hispaniam. Non habeo, quid suspicer. Duarum credo provinciarum sortes minus divinas fuisse.

XI. O C. Caesar! (adolescentem appello), quam tu salutem reipublicae attulisti! quam improvisam! quam repentinam! Qui enim haec fugiens fecerit, quid faceret insequens? Etenim in concione dixerat, se custodem futurum urbis; usque ad Kalendas Maias ad urbem exercitum habiturum. O praeclarum custodem ovium (ut aiunt) lupum! Custosne urbis, an direptor et vexator esset Antonius? Et quidem se introiturum in urbem dixit, exiturumque, quum vellet. Quid illud? nonne audiente populo, sedens pro aede Castoris, dixit, nisi qui vicisset, victurum neminem?

Hodierno die primum, Patres conscripti, longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus: cuius quidem ego, quoad potui, non modo defensor, sed etiam conservator fui. Quum autem id facere non possem, quievi; nec abiecte, nec sine aliqua dignitate casum illum temporum et dolorem tuli. Hanc vero teterrimam belluam quis ferre posset, aut quomodo? Quid est in Antonio praeter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? Ex his totus vitiis conglutinatus est. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Quapropter, quoniam res in id discrimen adducta est, utrum ille poenas reipublicae luat, an nos serviamus: aliquando, per deos immortales! Patres conscripti, patrium

*Ex his totus vitiis*) Ita cod. Vatic. In cod. Col. *ex his tot vitiis*. Cod. Lang. alii *ex his totus*, quod receperunt Ferrar. Graev. Ern.

animum virtutemque capiamus, ut aut libertatem propriam romani generis et nominis recuperemus, aut mortem servituti anteponamus.

XII. Multa, quae in libera civitate ferenda non essent, tulimus et perpessi sumus: alii spe recuperandae libertatis, alii vivendi nimia cupiditate. Sed, si illa tulimus, quae nos necessitas ferre coëgit, quae vis quaedam paene fatalis; quae tamen ipsa non tulimus: etiamne huius impuri latronis feremus teterrimum crudelissimumque dominatum? Quid hic faciet, si potuerit, iratus, qui quum succensere nemini posset, omnibus bonis fuerit inimicus? Quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam, tanta scelera post Caesaris interitum fecerit? refertam eius domum exhauserit? hortos compilarit? ad se ex his omnia ornamenta transtulerit? caedis et incendiorum causam quaesierit ex funere? duobus aut tribus senatusconsultis e republica factis, reliquas res ad lucrum praedamque revocaverit? vendiderit immunitates? civitates liberaverit? provincias universas ex imperii populi romani iure sustulerit? exsules reduxerit? falsas leges C. Caesaris nomine, et falsa decreta in aes incidenda, et in Capitolio figenda curaverit, earumque rerum omnium domesticum mercatum in-

*Paene fatalis*) Sic Ferrar. e MSS. Alii *quae necessitas ferri coëgit visque quaedam paene fatalis*. Et hoc etiam est in MS. Huydecop.

*Quae tamen ipsa non tulimus*) Iugum servitutis, occiso tyranno, deiecimus. MAN.

*Quid hic faciet*) Sic cod. Amst. ed. Muret. probantibus Graev. Ern. Alii *sed quid faciat*.

*Posset*) Iure.

*Ex funere*) Quum Caesarem funebri laudans oratione, populum cum facibus impulit ad domos Cassii et Bruti. ID. Vide Philipp. 2.

*Senatusconsultis e republica factis*) Edd. pr. *senatusconsultis e republica bene factis*. Cod. Col. *senatusconsultis bene et e republica factis*. Cod. Graev. *senatusconsultis bene e republ. factis*. Sed illud *bene* e glossa inculcatum esse videtur. Vide Goërenzium ad Cic. de legg. II, 26.

stituerit? populo romano leges imposuerit? armis et praesidiis, et populum et magistratus foro excluserit? senatum stiparit armis? armatos in cella Concordiae, quum senatum haberet, incluserit? ad legiones Brundisium cucurrerit? ex his optime sentientes centuriones iugulaverit? cum exercitu Romam sit ad interitum nostrum, et ad disperditionem urbis venire conatus? Atque is ab hoc impetu abstractus consilio et copiis Caesaris, consensu veteranorum, virtute legionum; ne fortuna quidem fractus minuit audaciam; nec ruere demens, nec furere desinit. In Galliam mutilatum ducit exercitum; cum una legione, et ea vacillante, L. fratrem exspectat; quo neminem reperire potest sui similiorem. Ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicumque posuit vestigia? Effundit apothecas; caedit greges armentorum, reliquique pecoris, quodcumque nactus est; epulantur milites; ipse autem se, ut fratrem imitetur, obruit vino; vastantur agri; diripiuntur villae; matresfamilias, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur. Haec eadem, quacumque exercitum duxit, fecit M. Antonius.

XIII. His vos teterrimis fratribus portas aperietis?

*Populum*) Vulgo olim additum *Romanum* recte sustulit Graev. auctoritate codd. Vatic. sui, Francii et aliorum.

*Excluserit*) Muretus in optimo cod. invenit *excusserit*. Vulgatum tamen probavit.

*Senatum stiparit armis*) Olim *stipaverit armatis*. In cod. Col. et aliis nonnullis teste Ferrario *stiparit armis*, qua in lectione vitatur clausula hexametri.

*Caedit greges*) Servius ad Virg. Ecl. VI, 55, hinc memorat *fudit apothecas, cecidit greges*. Quod est considerandum. *Fudit apothecas* bene respondet sequentibus ut tempori praecedenti *fecit*. Nisi Servius scripsit *fundit—caedit autem*. Ern. Vulgo omissis his tantum legitur: *Caedit greges*. Ego vero recepi *effundit apothecas*. Ad sententiam simile est illud Phil. II, cap. 27, *apothecae totae hominibus nequissimis condonabantur*.

*Obruit vino*) Gruterus in codd. MSS. duobus invenit *obruit, ingurgitat vino*.

hos unquam in urbem recipietis? non, tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo romano conspirante, Italia tota ad libertatem recuperandam excitata, deorum immortalium beneficio utemini? Nullum erit tempus, hoc amisso. A tergo, a fronte, a lateribus tenebitur, si in Galliam venerit. Nec ille armis solum, sed etiam nostris decretis urgendus est. Magna vis est, magnum numen, unum et idem sentientis senatus. Videtis refertum forum, populumque romanum ad spem recuperandae libertatis erectum: qui longo intervallo quum frequentes hic videt nos, tum sperat etiam liberos convenisse. Hunc ego diem exspectans, M. Antonii scelerata arma vitavi, tum, quum ille in me absentem invehens, non intelligebat, ad quod tempus me et meas vires reservarem. Si enim illi tum, caedis initium a me quaerenti, respondere voluissem, nunc reipublicae consulere non possem. Hanc vero nactus facultatem, nullum tempus, Patres conscripti, dimittam, neque diurnum, neque nocturnum, quin de libertate populi romani, de dignitate vestra quod cogitandum sit, cogitem; quod agendum atque faciendum, idem non modo non recusem, sed appetam etiam atque deposcam. Hoc feci, dum licuit; intermisi, quoad non licuit. Iam non solum licet, sed etiam necesse est; nisi servire malumus, quam, ne serviamus, animis armisque decernere. Dii immortales nobis haec praesidia dederunt: urbi Caesarem, Brutum Galliae. Si enim ille urbem opprimere potuisset statim; si Galliam tenere

*Excitata*) Cod. Col. *excitu.* Recte tamen Ferrarius praetulit vulg. *excitata.*

*Magnum numen*) Sic MSS. Graev. et edd. Faërn. Muret. Lamb. Vulgo *nomen.*

*Non modo non recusem*) *Non* ante *recusem* quod in MSS. aliquot abest deleverunt Faërn. Graev.

*Hoc feci*) *Semper* post *feci* in edd. pr. additum, quod abest cod. Leid. et Huydec.

paulo post: optimo cuique pereundum, reliquis esset serviendum.

XIV. Hanc igitur occasionem oblatam tenete, per deos immortales! Patres conscripti, et amplissimi orbis terrae consilii principes vos esse, aliquando recordamini. Signum date populo romano, consilium vestrum non deesse reipublicae, quoniam ille virtutem suam non defuturam esse profitetur. Nihil est, quod moneam vos. Nemo est tam stultus, qui non intelligat, si indormierimus huic tempori, non modo crudelem superbamque dominationem nobis, sed ignominiosam etiam et flagitiosam ferendam. Nostis insolentiam Antonii, nostis amicos, nostis totam domum. Libidinosis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis servire, ea est summa miseria, summo dedecore coniuncta. Quod si iam (quod dii omen avertant!) fatum extremum reipublicae venit: quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeste decumbant, faciamus nos, principes orbis terrarum gentiumque omnium, ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia serviamus. Nihil est detestabilius dedecore, nihil foedius servitute. Ad decus et libertatem nati sumus: aut haec teneamus, aut cum dignitate moriamur. Nimium diu teximus, quid sentiremus; nunc iam apertum est: omnes iam patefecerunt, in utramque partem quid sentiant, quid velint. Sunt impii cives, pro caritate reipublicae, nimium multi; pro multitudine bene sentientium, admodum pauci; quorum opprimendorum dii immortales incredibilem rei-

*Quod moneam vos*) *Vos* cum Faërno et Graev. addidit Ern.

*Huic tempori*) *Hoc tempore* MSS. Leid. Huyd.

*Flagitiosam ferendam*) Vulgo olim *flagitiosam esse ferendam*, quod vitiosam efficit clausulam hexametri. Itaque Graev. delevit *esse*, quod abest cod. Leid.

publicae potestatem et fortunam dederunt. Ad ea enim praesidia, quae habemus, iam accedent consules summa prudentia, virtute, concordia, multos menses de populi romani libertate commentati atque meditati. His auctoribus et ducibus, diis iuvantibus, nobis vigilantibus, et multum in posterum providentibus, populo romano consentiente, erimus profecto liberi brevi tempore. Iucundiorem autem faciet libertatem servitutis recordatio.

XV. Quas ob res, quod tribuni plebis verba fecerunt, ut senatus Kalendis Ianuar. tuto haberi, sententiaeque de summa republica libere dici possent: de ea re ita censeo, uti C. Pansa, A. Hirtius, consules designati, dent operam, uti senatus Kalendis Ianuar. tuto haberi possit; quodque edictum D. Bruti, imperatoris, consulis designati, optime de republica meriti, propositum sit, senatum existimare, D. Brutum, imperatorem, consulem designatum, optime de republica mereri, quum senatus auctoritatem, populique romani libertatem, imperiumque defendat. Quodque provinciam Galliam citeriorem, optimorum et fortissimorum virorum, amicissimorum populo romano civium, exercitumque in senatus potestate retineat, id eum, exercitumque eius, municipia, colonias provinciae Galliae, recte atque ordine, exque republica fecisse et facere: senatum ad summam rempublicam pertinere arbitrari, a D. Bruto, et ab L. Planco, imperatoribus, consulibus designatis, itemque a ceteris, qui provincias obtinent, obtineri ex lege Iulia, quoad ex senatusconsulto cuique eorum suc-

*Iam accedent*) Sic correxit Faërn. probante Ern. Idem habet cod. Leid. Vulgo *accedunt*.

*De republica mereri*) Sic Ern. e codd. Gu. Leid. Vulgo *promereri*.

*Ex lege Iulia*) Non ex illa prima, quae praetorias provincias annuas, consulares biennes fecerat, sed ex

cessum sit: eosque dare operam, ut eae provinciae exercitusque in senati [1] populique romani potestate, praesidioque reipublicae sint: quumque opera, virtute, consilio C. Caesaris, summoque consensu militum veteranorum, qui eius auctoritatem sequuti, reipublicae praesidio sunt et fuerunt, et a gravissimis periculis populus romanus defensus sit, et hoc tempore defendatur; quumque legio Martia Albae constiterit, in municipio fidelissimo et fortissimo, seseque ad senatus auctoritatem, populique romani libertatem contulerit: quod pari consilio, eademque virtute legio quarta usa, L. Egnatuleio duce, civi egregio, senatus auctoritatem, populique romani libertatem defendat, defenderit: senatui magnae curae esse, ac fore, ut pro tantis eorum in rempublicam meritis honores eis habeantur, gratiaeque referantur; senatui placere, uti C. Pansa, A. Hirtius, consules designati, quum magistratum inierint, si eis videbitur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referant, ita uti e republica fideque sua censuerint.

altera qua nominatim quibusdam provincias dederat in annos certos ut D. Bruto, Planco etc. Ern.

*In senati*) Ita Faërn. Muret. Lamb. Manut. e cod. Vatic. Vulgo *senatus*.

*Civi egregio*) E vestigiis MS. Vat. Muretus et Graevius addiderunt *quaestore optimo* in quo Ern. *quaestore* probat, *optimo* non item.

*Quum magistratum inierint — censuerint*) Faërn. et Graev. sic ediderunt: *quum magistratum inissent, si eis videretur primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referrent, ita uti e republica fideque sua videretur.*

IN

# M. ANTONIVM

AD QVIRITES

## PHILIPPICA QVARTA

### I.

Frequentia vestra incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminisse non videor, et alacritatem mihi summam affert reipublicae defendendae, et spem recuperandae libertatis. Quamquam animus quidem mihi nunquam defuit, tempora defuerunt: quae simulac primum aliquid lucis ostendere visa sunt, princeps vestrae libertatis defendendae fui. Quod si ante facere conatus essem, nunc facere non possem. Hodierno enim die, Quirites, ne mediocrem rem actam arbitremini, fundamenta iacta sunt reliquarum actionum. Nam est hostis a senatu nondum verbo appellatus, sed re iam iudicatus Antonius. Nunc vero multo sum erectior, quod vos quoque, hostem illum esse, tanto consensu, tantoque clamore approbavistis. Neque enim fieri potest, ut non aut ii sint impii, qui contra consulem exercitus comparaverunt, aut ille hostis, contra quem iure arma sumpta sunt. Hanc

*Spem recuperandae libertatis*) *Libertatis* omiserunt Graev. alii MSS. Vatic. sequuti. Equidem cum Ernestio id servandum duxi.

*Quod si ante facere*) *Facere* abest cod. Leid. Nec Ernestii repetitio huius verbi placebat, quae tamen hic ad oppositionis vim augendam non est inutilis.

*Ne mediocrem*) Vulgo *ne adhuc mediocrem*. MSS. Guelf. Huydec. alii habent *quamquam adhuc mediocrem*. In Val. cod. et edd. pr. abest *adhuc*.

igitur dubitationem, quamquam nulla erat, tamen ne qua posset esse, senatus hodierno die sustulit. C. Caesar, qui rempublicam libertatemque vestram suo studio, consilio, patrimonio denique tutatus est, et tutatur, maximis senatus laudibus ornatus est. Laudo, laudo vos, Quirites, quum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius. Sunt enim facta eius, immortalitatis, nomen aetatis. Multa memini, multa audivi, multa legi; nihil ex omni omnium seculorum memoria tale cognovi; qui quum servitute premeremur, in dies malum cresceret, praesidii nihil haberemus, capitalem et pestiferum a Brundisio M. Antonii reditum timeremus, hoc insperatum omnibus consilium, incognitum certe ceperit, ut exercitum invictum ex paternis militibus conficeret, Antoniique furorem, crudelissimis consiliis incitatum, a pernicie reipublicae averteret.

II. Quis est enim, qui hoc non intelligat, nisi Caesar exercitum paravisset, non sine exitio nostro futurum Antonii reditum fuisse? Ita enim se recipiebat ardens odio vestri, cruentus sanguine civium, quos

*Sunt enim — nomen aetatis*) Ita Ferrarius ex MSS. Vulgo in edd. pr. et MSS. compluribus *non aetatis*, quod Ern. restituit; quia populus acclamabat ad nomen Caesaris, quod non esset aetatis nomen. Sed tota haec sententia refertur ad verbum *laudo*. Cicero ait: *laudo quod nomen adolescentis vel pueri potius gratissimis animis prosequimini. Nam etsi hoc in puerum non cadere poterat videri, tamen facta eius sunt immortalitatis, nomen aetatis*; h. e. etsi puer est, tamen aetatem factis immortalibus superat. Et ante Ferrarios comparavit locum Philipp. XIII, 11, ubi de Antonio: *puerum appellat* (*Octavianum*) *quem — fortissimum virum sensit et sentiet. Est istuc quidem nomen aetatis* etc.

*Ex omni omnium seculorum memoria*) Vulgo *ex omni seculorum memoria*; quod edidit e MSS. Ferrar. Faërnus autem et Graev. ex aliis codd. praeoptaverunt *ex omnium seculorum memoria*. Equidem utrumque *omni omnium* coniungendum putavi quod nec Ernestio displicebat.

*Ex paternis militibus conficeret*) Sic Ern. cum cod. Vatic. Vulg. olim *ex Hispanis militibus conduceret*.

Suessae, quos Brundisii occiderat, ut nihil, nisi de reipublicae pernicie cogitaret. Quod autem erat praesidium salutis libertatisque vestrae, si C. Caesaris fortissimorumque sui patris militum exercitus non fuisset? cuius de laudibus, et honoribus, qui ei pro divinis et immortalibus meritis, divini immortalesque debentur, mihi senatus assensus paulo ante decrevit, ut primo quoque tempore referretur. Quo decreto, quis non perspicit, Antonium hostem esse iudicatum? quem enim appelhare possumus eum, contra quem qui exercitus ducunt, iis senatus arbitratur singulares exquirendos honores? Quid? legio Martia, quae mihi videtur divinitus ab eo deo traxisse nomen, a quo populum romanum generatum accepimus, non ipsa suis decretis prius, quam senatus, hostem iudicavit Antonium? Nam, si ille non hostis, eos, qui consulem reliquerunt, hostes necesse est iudicemus. Praeclare et loco, Quirites, reclamatione vestra factum pulcherrimum Martialium comprobastis: qui se ad senatus auctoritatem, ad libertatem vestram, ad universam rempublicam contulerunt; hostem illum, et latronem, et parricidam patriae reliquerunt. Nec solum id animose et fortiter, sed considerate etiam, sapienterque fecerunt. Albae constiterunt, in urbe opportuna, munita, propinqua, fortissimorum virorum, fidelissimorum civium, atque optimorum. Huius Martiae legionis legio quarta imitata virtutem, duce L. Egnatuleio, quem senatus merito

*Eos qui consulem reliquerunt*) Ita ex Vaticano cod. Faërn. Murel. Manut. Lamb. Graev. Alteram lectionem *nam ille si non hostis, qui consulem reliquerunt* retinoerunt Gruter. Ero.

*Praeclare et loco*) Sic cod. Vatic. Pal. 2, Colon. alii probantibus Graevio, Grutero etc. Olim legebatur *praeclara et luculenta*.

*Huius Martiae legionis*) *Martiae* Manutio visum est supervacaneum.

paulo ante laudavit, C. Caesaris exercitum persequuta est.

III. Quae exspectas, M. Antoni, iudicia graviora? Caesar fertur in caelum, qui contra te exercitum comparavit. Laudantur exquisitissimis verbis legiones, quae te reliquerunt, quae a te arcessitae sunt, quae essent, si te consulem quam hostem maluisses, [1] tuae. Quarum legionum fortissimum verissimumque iudicium confirmat senatus, comprobat universus populus romanus, nisi forte vos, Quirites, consulem, non hostem, iudicatis Antonium. Sic arbitrabar, Quirites, vos iudicare, ut ostenditis. Quid? municipia, colonias, praefecturas, num aliter iudicare censetis? Omnes mortales una mente consentiunt: omnia arma eorum, qui haec salva velint, contra illam pestem esse capienda. Quid? D. Bruti iudicium, Quirites, quod ex hodierno eius edicto perspicere potuistis, num cui tandem contemnendum videtur? Recte et vere negatis, Quirites. Est enim quasi deorum immortalium beneficio et munere datum reipublicae Brutorum genus et nomen, ad libertatem populi romani vel constituendam vel recuperandam. Quid igitur D. Brutus de M. Antonio iudicat? Excludit provincia; exercitu obsistit; Galliam totam hortatur ad bellum, ipsam sua sponte, suoque iudicio excitatam. Si consul Antonius: Brutus hostis. Si conser-

*Persequuta*) MS. Huydec. Pal. 1, *prosequuta.*

(1) *Quam hostem maluissent*) H. e. *si te consulem quam hostem haberi maluissent.* Codd. aliquot Ferrarii, in his Col. *quae a te accitae sunt, quae essent, si te consulem, quam hostem maluisses, tuae.* Et *maluisses* tacite edidit Graev. — Vulgatam cum aliis praeferendum censeo; sensum enim optimum praebet, si *esse* subintelligas. Typ.

*Recte et vere negatis*) Vulgo *negastis.* Correxit Ern. e MS. Vatic.

*Vel recuperandam*) *Recipiendam* MS. Vat. Guelf. alii. Ed. Graev.

*Excludit — obsistit*) Ita cod. Vatic. Vulgo *exclusit — obstitit.* Bene autem monuit Ern. sic etiam vulgatum *iudicavit* in *iudicat* mutandum esse.

vator reipublicae Brutus: hostis Antonius. Num igitur, utrum horum sit, dubitare possumus?

IV. Atque, ut vos una mente, unaque voce dubitare vos negatis: sic modo decrevit senatus, D. Brutum optime de republica mereri, quum senatus auctoritatem, populique romani libertatem imperiumque defenderit. A quo defenderit? nempe ab hoste. Quae est enim alia laudanda defensio? Deinceps laudatur provincia Gallia, meritoque ornatur verbis amplissimis a senatu, quod resistat Antonio. Quem si consulem illa provincia putaret, neque eum reciperet, magno scelere se adstringeret. Omnes enim in consulis iure et imperio debent esse provinciae. Negat hoc D. Brutus imperator, consul designatus, natus reipublicae civis; negat Gallia, negat cuncta Italia, negat senatus, negatis vos. Quis igitur illum consulem, nisi latrones, putant? Quamquam ne ii quidem ipsi, quod loquuntur, id sentiunt; nec a iudicio omnium mortalium, quamvis impii nefariique sint, sicut sunt, dissentire possunt. Sed spes rapiendi atque praedandi occaecat animos eorum: quos non bonorum donatio, non agrorum assignatio, non illa infinita hasta satiavit; qui sibi urbem, qui bona et fortunas civium ad praedam proposuerunt. Qui, dum sit, quod rapiant, quod auferant, nihil sibi defuturum arbitrantur; quibus M. Antonius (o dii immortales, avertite et detestamini, quaeso, hoc omen!) urbem se divisurum esse promisit. Ita vero, Quirites, ut precamini, eveniat, huiusque amentiae poena in ipsum familiamque eius recidat, quod ita futurum esse confido. Iam enim non solum homines, sed etiam deos immor-

*In consulis iure*) Sic Faërn. Graev. Vulgo *sub consulis iure.*

*Non bonorum donatio*) Gruterus ex aliquot MSS. *damnatio.*

*Non illa infinita hasta*) Sic Ern. Vulgo *Pompeii hasta.*

tales ad rempublicam conservandam arbitror consensisse. Sive enim prodigiis atque portentis dii immortales nobis futura praedicunt; ita sunt aperte denuntiata, ut et illi poena, et nobis libertas appropinquet: sive tantus consensus omnium sine impulsu deorum esse non potuit: quid est, quod de voluntate caelestium dubitare possimus?

V. Reliquum est, Quirites, ut vos in ista sententia, quam prae vobis fertis, perseveretis. Faciam igitur, ut imperatores instructa acie solent, quamquam paratissimos milites ad proeliandum videant, ut eos tamen adhortentur: sic ego vos ardentes et erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. Non est, non est vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, quocum aliqua pacis conditio esse possit. Neque enim ille servitutem vestram, ut antea, sed iam iratus sanguinem concupiscit. Nullus ei ludus videtur esse iucundior, quam cruor, quam caedes, quam ante oculos trucidatio civium. Non est vobis, Quirites, res cum scelerato homine atque nefario, sed cum immani tetraque bellua: quae quoniam in foveam incidit, obruatur. Si enim illinc emerserit, nullius supplicii crudelitas erit recusanda. Sed tenetur, premitur, urgetur nunc iis copiis, quas iam habemus; mox iis, quas paucis diebus novi consules comparabunt. Incumbite in causam, Quirites, ut facitis. Nunquam maior vester consensus in ulla causa fuit; nunquam tam vehementer cum senatu consociati fuistis. Nec mirum. Agitur enim non qua conditione victuri, sed victuri ne simus, an cum supplicio ignominiaque perituri. Quamquam mortem quidem omnibus natura proposuit: crudelitatem mortis et dedecus virtus pro-

*Videant — adhort.*) Ern. e MS. Huyd. et MSS. Ferr. dedit *vident—adhortantur.*

pulsare solet; quae propria est romani generis et nominis. Hanc retinete, quaeso, Quirites, quam vobis tanquam hereditatem maiores vestri reliquerunt. Nam alia omnia incerta sunt, caduca, mobilia: virtus est una altissimis defixa radicibus; quae nunquam ulla vi labefactari potest, nunquam demoveri loco. Hac virtute maiores vestri primum universam Italiam devicerunt, deinde Carthaginem exsciderunt, Numantiam everterunt, potentissimos reges, bellicosissimas gentes, in ditionem huius imperii redegerunt.

VI. Ac maioribus quidem vestris, Quirites, cum eo hoste res erat, qui haberet rempublicam, curiam, aerarium, consensum et concordiam civium, rationem aliquam, si res ita tulisset, pacis et foederis: hic vester hostis vestram rempublicam oppugnat, ipse habet nullam, senatum, id est, orbis terrae consilium, delere gestit, ipse consilium publicum nullum habet; aerarium vestrum exhausit, suum non habet. Nam concordiam civium qui habere potest, nullam qui habeat civitatem? Pacis vero quae potest esse cum eo ratio, in quo est incredibilis crudelitas, fides nulla? Est igitur, Quirites, populo romano victori omnium gentium, omne certamen cum percussore, cum latrone, cum Spartaco. Nam, quod se similem esse Catilinae gloriari solet: scelere par est ille, industria inferior. Ille, quum exercitum nullum haberet, repente conflavit: hic eum ipsum exercitum, quem

*Generis et nominis*) Ita scribendum esse vidit Ernestius. Nam vulg. *seminis* poëticum est. Et in MS. Graevii erat *nominis ac generis.*

*Nam alia omnia*) Vulgo *quamquam omnia alia.* Sed illud *quamquam* alienum h. l. esse vidit Ern. Idem cum Graevio dedit *alia omnia*, ita melius respondet sequenti *virtus est una.*

*Percussore*) Ita Graev. e vestigiis cod. Vatic. Vulg. *excursore.*

*Scelere par est ille, industria inferior*) Sic Faërn. Ern. alii e cod. Vatic. Vulgo *scelere par est, belli industria inferior.*

*Quem habebat*) *Habebat* pro vulg. *accepit*, recte recepit Ern. e cod. Huydecop.

habebat, amisit. Vt igitur Catilinam diligentia mea, senatus auctoritate, vestro studio et virtute fregistis: sic Antonii nefarium latrocinium vestra cum senatu concordia tanta, quanta nunquam fuit, felicitate et virtute exercituum ducumque vestrorum, brevi tempore oppressum audietis. Equidem, quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, consilio eniti atque efficere potero, nihil praetermittam, quod ad libertatem vestram pertinere arbitrabor. Neque enim id pro vestris amplissimis in me beneficiis sine scelere facere possum. Hodierno autem die primum, referente viro fortissimo vobisque amicissimo, M. hoc Servilio, collegisque eius, ornatissimis viris, optimis civibus, longo intervallo, me auctore et principe, ad spem libertatis exarsimus.

IN

# M. ANTONIVM

## PHILIPPICA QVINTA

### I.

Nihil unquam longius his Kalendis Ian. mihi visum est, Patres conscripti: quod idem intelligebam per hos dies unicuique vestrum videri. Qui enim bellum cum republica gerunt, hunc diem non exspectabant. Nos autem tum, quum maxime consilio nostro subvenire communi saluti oporteret, in senatum non vocabamur. Sed querelam praeteritorum dierum sustulit oratio consulum: qui ita loquuti sunt, ut magis exoptatae Kalendae quam serae esse videantur. Atque ut oratio consulum animum meum erexit, spemque attulit non modo salutis conservandae, verum etiam dignitatis pristinae recuperandae: sic me perturbasset eius sententia, qui primus rogatus est, nisi vestrae virtuti constantiaeque confiderem. Hic enim vobis, Patres conscripti, dies illuxit, haec potestas data est, ut, quantum virtutis, quantum constantiae, quantum gravitatis in huius ordinis consilio esset, populo romano declarare possetis. Recordamini, qui dies nu-

*Exspectabant*) Ita cod. Vatic. Receperunt Graev. Ern. alii. — Vulgo *exspectant.*

*Quum maxime consilio nostro*) Simul ac nuncii venere de obsidione Mutinae. Ferr.

*Non vocabamur*) Sic cod. Vatic. idque complexi sunt Ferrar. Graev. Ern. alii. Vulgo *convocabamur.*

*Kalendae*) *Ianuariae* vulgo hic additum rectius abest cod. Vatic.

*Qui primus rogatus est*) Significari Q. Fufium Calenum, Pansae consulis generum, docuit Manutius, coll. Philip. X, c. 1.

diustertiusdecimus fuerit, quantus consensus vestrum, quanta virtus, quanta constantia; quantam sitis a populo romano laudem, quantam gloriam, quantam gratiam consequuti.

II. Atque illo die, Patres conscripti, ea constituistis, ut vobis nihil iam sit integrum, nisi aut honesta pax, aut bellum necessarium. Pacem vult M. Antonius? arma ponat, roget, deprecetur. Neminem aequiorem me reperiet: cui, dum se civibus impiis commendat, inimicus esse, quam amicus maluit. Nihil est profecto, quod dari possit bellum gerenti; erit fortasse aliquid, quod concedi possit roganti. Legatos vero ad eum mittere, de quo gravissimum et severissimum iudicium nudiustertiusdecimus feceritis, non iam levitatis est, sed, ut quod sentio dicam, dementiae. Primum duces eos laudavistis, qui contra illum bellum privato consilio suscepissent; deinde milites veteranos, qui quum ab Antonio in colonias essent deducti, illius beneficio libertatem populi romani anteposuerunt. Quid? legio Martia: quid? quarta, cur laudantur? Si enim consulem suum reliquerunt, vituperandae sunt; si inimicum reipublicae, iure laudantur. Atqui quum consules nondum haberetis, decrevistis, ut et de praemiis militum, et de honoribus imperatorum primo quoque tempore referretur. Placet, eodem tempore praemia constituere iis, qui contra Antonium arma ceperint, et legatos ad Antonium mittere? ut iam pudendum sit, honestiora decreta esse legionum, quam senatus: siquidem

*Nudiustertius.decimus*) XIII kal. ian. Manut. Graev. Eadem habet cod. Leid. Omiserunt Gruter. Ern.

*Aequiorem me*) Cod. Vatic. *quam me*.

*Et severissimum*) Haec verba e cod. Vatic. addiderunt Faërn. Mur. Lamb.

*Ceperint*) Recte sic cod. Val. Guelf. Receperunt Faërn. Graev. Ern. alii. Olim *ceperunt*.

legiones decreverunt senatum defendere contra Antonium; senatus decernit legatos ad Antonium. Vtrum hoc est confirmare militum animos, an debilitare virtutem? Hoc dies duodecim profecerunt, ut, quem nemo, praeter Cotylam, tum inventus sit, qui defenderet, is habeat iam patronos etiam consulares. Qui utinam omnes ante me sententiam rogarentur! (quamquam suspicor, quid dicturi sint quidam eorum, qui post me rogabuntur) facilius contra dicerem, si quid videretur. Est enim opinio, decreturum aliquem M. Antonio illam ultimam Galliam, quam Plancus obtinet. Quid est aliud, omnia ad bellum civile hosti arma largiri? Primum nervos belli, pecuniam infinitam, qua nunc eget; deinde equitatum, quantum velit. Equitatum dico? dubitabit, credo, gentes barbaras secum adducere. Hoc qui non videt, excors est; qui, quum videt, decernit, impius. Tu civem sceleratum et perditum, Gallorum et Germanorum exercitu, pecunia, peditatu, equitatu, copiis instrues? Nullae istae excusationes sunt: « Meus amicus est; » Sit patriae prius. « Meus cognatus. » An potest cognatio ulla propior esse, quam patriae, in qua etiam parentes continentur? « Mihi pecuniam attribuit. » Cupio videre, qui id audeat dicere. Quid autem agatur, quum aperuero, facile erit statuere, quam sententiam dicatis, aut quam sequamini.

III. Agitur, utrum M. Antonio facultas detur opprimendae reipublicae, caedis faciendae bonorum, diripiendae urbis, agrorum suis latronibus condonandi, populum romanum servitute opprimendi: an

*Cotylam*) L. Varium Cotylam, aedilitium, qui tum affuit in senatu, postea profectus est Mutinam ad Antonium, cumque legatum ad senatum Antonius remisit. Infra Phil. 8. MAN.

*Pecuniam — deinde equitatum*) Quibus abundabat Gallia ulterior. FERR.

horum nihil facere ei liceat. Dubitate, quid agatis. At non cadunt haec in Antonium. Hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. Quid enim in eum non cadit? qui, cuius acta se defendere dicit, eius eas leges pervertit, quas maxime laudare poteramus. Ille paludes siccare voluit; hic omnem Italiam moderato homini, L. Antonio, dividendam dedit. Quid? hanc legem populus romanus accepit? quid? per auspicia ferri potuit? Sed augur verecundus sine collegis de auspiciis. Quamquam illa auspicia non egent interpretatione. Iove enim tonante cum populo agi non esse fas, quis ignorat? Tribuni plebis tulerunt de provinciis, contra acta Caesaris, ille biennii, iste sexennii. Num etiam hanc legem populus romanus accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante lata, quam scripta? nonne ante factam vidimus, quam futuram quisquam est suspicatus? Vbi lex Caecilia et Didia? ubi promulgatio, trinundinum? ubi poenae, recenti lege Iunia et Licinia? possuntne hae leges ratae esse sine interitu legum reliquarum? Eccui potestas in forum insinuandi fuit? Quae porro illa tonitrua? quae tempestas? ut, si auspicia M. Antonium non moverent, sustinere tamen eum, ac ferre posse tantam vim tempestatis, imbris ac turbinum, mirum videretur. Quam legem igitur se augur dicit tulisse, non modo tonante Iove, sed prope caelesti clamore

*Ille paludes siccare*) Caesar Pomptinas, ut agros faceret, quibus res populi Rom. augeretur. Sueton. Caes. 44. Ern.

*Sine collegis*) Agit, et interpretatur. Man.

*Non egent interpretatione*) *Augurum* a glossatore adiectum, quod abest MS. Vat. deleverunt Faërn. Graev. Ern.

*Eccui potestas in forum insinuandi*) Omnes enim aditus Antonius clauserat, ne cui obnuntiare, aut intercedere liceret. Reprehenditur, ut per vim lata lex de dividendis agris a septemviris: quam postea sustulit senatus. Phil. vi et xi. Man. Al. *introëundi.*

*Insinuandi*) Sic e Vatic. editum pro vulg. *introëundi.*

prohibente, hanc dubitabit contra auspicia latam confiteri? Quid? quod eum eo collega tulit, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum, nihilne ad auspicia bonus augur arbitratus est pertinere?

IV. Sed auspiciorum nos fortasse erimus interpretes, qui sumus eius collegae. Num ergo etiam armorum interpretes quaerimus? Primum omnes fori aditus ita septi, ut, etiamsi nemo obstaret armatus, tamen, nisi septis evulsis, introiri in forum nullo modo posset. Sic vero erant disposita praesidia, ut, quomodo aditus hostium urbe prohibetur, castellis et operibus, ita ab ingressione fori populum tribunosque plebis propulsari videres. Quibus de caussis eas leges, quas M. Antonius tulisse dicitur, omnes, censeo, per vim et contra auspicia latas, iisque legibus populum non teneri. Si quam legem, de actis Caesaris confirmandis, deve dictatura in perpetuum tollenda, deve coloniis in agros deducendis, tulisse M. Antonius dicitur, easdem leges de integro, ut populum teneant, salvis auspiciis ferri placet. Quamvis ergo bonas leges vitiose, per vimque tulerit, tamen hae leges non sunt habendae; omnisque audacia gladiatoris amentis auctoritate nostra repudianda est. Illa vero dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est, per quam HS septies millies falsis perscriptionibus, donationi-

*Septis evulsis*) Nam et in foro, dum habebantur comitia, septa quaedam erant, quo introvocabantur tribus suffragium laturae: ita vero ea septa disposuerat Antonius, ut omnes aditus occuparent. FERR.

*Vt quomodo — ita ab ingressione fori*) Graev. post alios edidit e cod. Vatic.: *ut quomodo hostium aditus urbe prohibentur, ita castellis et operibus ab ingressione fori* etc.

*Ferri placet*) Sic e cod. Vatic. recte ediderunt Faërn. Man. Lamb. Graev. Ern. Vulgo olim *ferre*.

*Quamvis — non sunt habendae*) Cod. Vatic. *res bonas*. Ernestius malebat: *quamvis ergo leges bonas tulerit, tamen, quia vitiose perque vim tulit, hae leges non sunt habendae*.

*Falsis perscriptionibus*) In tabulis, quae erant ad aedem Opis, quantum cuique pecuniae Caesar dari voluis-

busque avertit: ut portenti simile videatur, tantam pecuniam populi romani tam brevi tempore perire potuisse. Quid? illi immanes quaestus ferendine, quos M. Antonii una exhausit domus? Decreta falsa vendebat; regna, civitates, immunitates, in aes, accepta pecunia, iubebat incidi: haec se ex commentariis Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat. Calebant in interiore aedium parte totius reipublicae nundinae; mulier, sibi felicior, quam viris, auctionem provinciarum regnorumque faciebat; restituebantur exsules, quasi lege, sine lege: quae nisi auctoritate senatus rescindantur, quoniam ingressi in spem reipublicae recuperandae sumus, imago nulla liberae civitatis relinquetur. Neque solum commentariis commenticiis, chirographisque venalibus innumerabilis pecunia congesta in illam domum est, quum, quae vendebat Antonius, ea se ex actis Caesaris agere diceret; sed senatus etiam consulta, pecunia accepta, falsa referebat; syngraphae obsignabantur; senatusconsulta, nunquam facta, ad aerarium deferebantur. Huius turpitudinis testes erant etiam exterae nationes. Foedera interea facta; regna data; populi, provinciaeque liberatae: earumque rerum falsae tabulae, gemente populo romano, toto Capitolio figebantur. Quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata

set, perscripsit, quum id non esset in commentariis Caesaris: eaque pecunia collegam suum Dolabellam corrupit: ut ad Attic. lib. XIV saepius. Epist. vero 1, lib. XII Fam. MAN.

*Antonii una*) De Ernestii sententia rescripsi *una*, pro vulg. *tota*, quod hic non est aptum.

*Sibi felicior quam viris*) Diximus iam, occisos esse duos Fulviae viros, Clodium et Curionem. MAN.

*Rescindantur*) Sic Ern. e MSS. et Edd. pr. Vulg. *rescinduntur.*

*Nunquam facta*) Hoc cum Mureto praetuli vulgato *tanquam facta.*

*Deferebantur*) Sic Ern. auctore scripsi. Vulg. *referebantur.* Et totus locus visus est vitiosus, quia idem bis dicatur.

est, ut, si hoc genus in unum redigatur, non sit pecunia populo romano defutura.

V. Is etiam legem iudiciariam tulit, homo castus atque integer, iudiciorum et iuris auctor. In quo nos fefellit. Antesignanos, et manipulares, et Alaudas, iudices se constituisse dicebat. At ille legit aleatores, legit exsules, legit Graecos. O consessum iudicum praeclarum! o dignitatem consilii admirandam! Avet animus apud consilium illud pro reo dicere. Cydam Cretensem, portentum insulae, hominem audacissimum et perditissimum. Sed fac ita non esse; num latine scit? num est ex iudicum genere et forma? num leges nostras, moresve novit? num denique homines? Est enim Creta vobis notior, quam Roma Cydae. Delectus autem, et notatio iudicum etiam in nostris civibus haberi solet. Gortynium vero iudicem quis novit, aut quis nosse potuit? Nam Lysiadem Atheniensem plerique novimus. Est enim Phaedri, philosophi nobilis, filius: homo praeterea festivus, ut ei cum M'Curio, consessore eodem et collusore, facillime possit convenire. Quaero igitur, si Lysiades citatus iudex non responderit, excuseturque Areopagites esse, nec debere eodem tempore Romae et Athenis res iudicare: accipietne excusationem is, qui quaestioni praeerit, graeculi iudicis, modo palliati, modo togati? an Atheniensium antiquissimas

*Vt si hoc genus in unum redigatur*) In cod. Vatic. *ut si hoc genus paene in unum redigatur*. In voc. *pene* Vrsinus latere putabat *pecuniae* vel *penu*. Sed malim, quod Ernestio in mentem venit *ut si hoc genus* (scil. *pecuniae*) *unum redigatur*.

*Ex iudicum genere et forma*) Cod. Vatic. et Amst. *fortuna*.

*Delectus autem*) Graev. e cod. Vatic. et suo, *dilectus*.

*Notatio iudicum*) Quid sit *notatio*, docet auctor ad Herennium: *Notatio est quum alicuius natura certis describitur signis*. Inde facile quoque colligi potest, quid sit in praecedentibus *iudicum forma*. Graev.

*Palliati*) Athenis. *Togati*, Romae Man.

*Antiquissimas leges*) Quae vetant,

leges negliget? Qui porro ille consessus, dii boni? Cretensis iudex, isque nequissimus. Quem ad hunc reus alleget? quomodo accedat? dura natio est. At Athenienses misericordes. Puto, ne Curium quidem esse crudelem, qui quotidie periculum fortunae faciat. Sunt item lecti iudices, qui fortasse excusabuntur. Habent enim legitimam excusationem, exsilii causa solum vertisse, nec esse postea restitutos. Hos ille demens iudices legisset; horum nomina ad aerarium detulisset; his magnam partem reipublicae credidisset, si ullam speciem reipublicae cogitavisset?

VI. Atque ego de notis iudicibus dixi. Quos minus nostis, nolui nominare: saltatores, citharistas, totum denique comissationis Antonianae chorum, in tertiam decuriam iudicum scitote esse coniectum. En causam, cur lex tam egregia, tamque praeclara, maximo imbri, tempestate, ventis, procellis, turbinibus inter fulmina et tonitrua ferretur: ut eos iudices haberemus, quos hospites habere nemo velit. Scelerum magnitudo, conscientia maleficiorum, direptio eius pecuniae, cuius ratio in aede Opis confecta est, hanc tertiam decuriam excogitavit: nec ante turpes iudices quaesiti, quam honestis iudicibus nocentium salus desperata est. Sed illud os, illam impuritatem coeni fuisse, ut hos iudices legere auderet! quorum

qui Areopagita sit, in alia civitate iudicem esse. In.

*Quem ad hunc reus adleget*) Ita cod. Pal. 2, Vat. Vulgo olim *quemadmodum ad hunc reus alleget.* Pal. I, *quomodo ad hunc reus alleget.*

*Periculum fortunae faciat*) Alludit ad aleatorem, qui in alea singulis momentis periculum fortunae subit. Beroald.

*En causam*) Sic editum e cod. Vat. Olim vulgatum *haec causa.*

*Quos hospites habere*) Olim edebatur *quos socios ad epulas hospites habere nemo velit.* Recte vero Muretus, Faërn. etc. deleverunt verba *socii ad epulas* auctoritate cod. Vatic. P. Victorius coniiciebat *quos socios ad epulas habere hospes nemo velit.*

*Coeni fuisse*) Ita cod. Vatic. Olim ed. *fecisse.*

lectione duplex imprimeretur reipublicae dedecus: unum, quod tam turpes iudices essent; alterum, quod patefactum esset, quam multos in civitate turpes haberemus. Hanc ergo et reliquas eiusmodi leges, etiamsi sine vi, salvis auspiciis, essent rogatae, censerem tamen abrogandas. Nunc vero cur abrogandas censeam, quas iudico non rogatas?

VII. An illa non gravissimis ignominiis, monumentisque huius ordinis, ad posteritatis memoriam sunt notanda, quod unus M. Antonius in hac urbe post urbem conditam palam secum habuit armatos? quod neque reges fecerunt, neque ii, qui, regibus exactis, regnum occupare voluerunt. Cinnam memini; vidi Sullam; modo Caesarem; Hi enim tres post civitatem a L. Bruto liberatam, plus potuerunt, quam universa respublica. Non possum affirmare, nullis telis eos stipatos fuisse: hoc dico, nec multis, et occultis. At hanc pestem agmen armatorum sequebatur: Classitius, Mustela, Tiro, gladios ostentantes, sui similes greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant barbari sagittarii. Quum autem erat ventum ad aedem Concordiae, gradus complebantur, lecticae collocabantur: non quo ille scuta occulta esse vellet, sed ne familiares, si scuta ipsi ferrent, laborarent.

Illud vero teterrimum auditu, non modo adspectu, in cella Concordiae collocari armatos, latrones, sica-

*Patefactum esset*) Graev. e Vatic. post edd. vett. complures addidit cognitumque.

*Cur abrogandas censeam*) In multis edd. olim *cur non abrogandas censeam*. Particulam negativam, quae MS. Vat. aliisque bonis codd. abest deleverunt Manut. Lamb. etc.

*Lecticae*) Scutis refertae. FERR.

*Teterrimum auditu*) In cod. Vatic. *illud vero teterrimum non modo auditu sed etiam adspectu*; in quo perit vis gradationis. Certe scribendum esset: *illud vero teterrimum non modo adspectu sed etiam auditu*. Quod ipsum vulgatae praetulerim; ut Phil. II, 25 dicitur: o *rem non modo visu foedam, sed etiam auditu.*

rios; de templo carcerem fieri: opertis valvis Concordiae, quum inter subsellia senatus versarentur latrones, Patres conscriptos sententias dicere. Huc etiam nisi venirem Kalend. Septemb. fabros se missurum, et domum meam disturbaturum esse dixit. Magna res, credo, agebatur. De supplicatione referebatur. Veni postridie: ipse non venit. Loquutus sum de republica, minus equidem libere, quam mea consuetudo, liberius tamen, quam pericula minaeque postulabant. At ille homo vehemens et violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet (fecerat enim hoc idem, maxima cum laude, L. Piso XXX diebus ante), inimicitias mihi denuntiavit: adesse in senatu iussit a. d. XIII Kalend. Octob. Ipse interea XVII dies de me in Tiburtino Scipionis declamitavit, sitim quaerens. Haec enim ei causa esse solet declamandi. Quum is dies, quo me adesse iusserat, venisset, tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit, atque in me absentem orationem ore impurissimo evomuit. Quo die, si per amicos mihi cupienti in senatum venire licuisset, caedis initium fecisset a me. Sic enim statuerat. Quum autem semel gladium scelere imbuisset, nulla res ei finem caedendi, nisi defatigatio et satietas attulisset. Etenim aderat L. frater, gladiator Asiaticus, qui mirmillo Mylasis depugnarat: sanguinem nostrum sitiebat, suum in illa gladiatoria pugna multum profuderat. Hic pecunias nostras aestimabat; possessiones notabat et urbanas et rusticas; huius mendicitas aviditate coniuncta, in

*De templo*) Sic Graev. alii e cod. Vatic. Vulg. *e templo*.

*De supplicatione*) Ad mortui Caesaris honorem. Phil. I. MAN.

*XVII dies*) Edd. nonnullae *decem et septem*. Male. Debebat pronuntiari septendecim.

*Mylasis depugnarat*) Pro, fortiter pugnavit. Laudare videtur Lucium, sed vituperat: occidit enim sine causa comitem, et familiarem suum. MAN.

fortunas nostras imminebat; dividebat agros, quibus et quos volebat; nullus aditus erat privato, nulla aequitatis deprecatio. Tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat divisor Antonius. Quae quamquam, si leges irritas feceritis, rata esse non possunt: tamen separatim suo nomine notanda censeo; iudicandumque, nullos septemviros fuisse; nihil placere ratum esse, quod ab iis actum diceretur.

VIII. M. vero Antonium quis est, qui civem possit iudicare potius, quam teterrimum et crudelissimum hostem, qui pro aede Castoris sedens, audiente populo romano, dixerit, nisi victorem, victurum neminem? Num putatis, Patres conscripti, dixisse eum minacius, quam facturum fuisse? Quid vero, quod in concione dicere ausus est, se, quum magistratu abisset, ad urbem futurum cum exercitu? introiturum, quotiescumque vellet? quid erat aliud, nisi denuntiare populo romano servitutem? Quod autem eius iter Brundisium? quae festinatio? quae spes, nisi ut ad urbem, vel in urbem potius, exercitum maximum adduceret? Qui autem delectus centurionum? quae effrenatio impotentis animi? Quum eius promissis legiones fortissimae reclamassent, domum ad se venire iussit centuriones, quos bene de republica sentire cognoverat; eosque ante pedes suos uxorisque suae, quam secum gravis imperator ad exercitum duxerat, iugulari coëgit. Quo animo hunc futurum fuisse censetis in nos, quos oderat, quum in eos, quos nunquam viderat, tam crudelis fuisset? et quam avidum in pecuniis locupletum, qui pauperum sanguinem concupisset? quorum ipsorum bona, quantacumque erant, statim comitibus suis

*Futurum*) Sic e cod. Vatic. editum a Graev. Ern. Vulg. *venturum*.

compotoribusque descripsit. Atque ille furens infesta iam patriae signa Brundisio inferebat: quum Caesar deorum immortalium beneficio, divini animi, ingenii, consilii magnitudine, quamquam sua sponte, eximiaque virtute, tamen approbatione auctoritatis meae, colonias patris adiit; veteranos milites convocavit; paucis diebus exercitum fecit; incitatos latronis impetus retardavit. Postea vero, quam legio Martia ducem praestantissimum vidit, nihil egit aliud, nisi, ut aliquando liberi essemus; quam est imitata quarta legio.

IX. Quo ille nuntio audito, quum senatum vocasset, adhibuissetque consularem, qui sua sententia C. Caesarem hostem iudicaret, repente concidit. Post autem neque sacrificiis solemnibus factis, neque votis nuncupatis, non profectus est, sed profugit paludatus. At quo? in provinciam firmissimorum et fortissimorum civium; qui illum, ne si ita quidem venisset, ut nullum bellum inferret, ferre potuissent; impotentem, iracundum, contumeliosum, superbum, semper poscentem, semper rapientem, semper ebrium. At ille, cuius ne pacatam quidem nequitiam quisquam ferre posset, bellum intulit provinciae Galliae: circumsedit Mutinam, firmissimam et splendidissimam populi romani coloniam; oppugnat D. Brutum, imperatorem, consulem designatum, civem non sibi, sed nobis et reipublicae natum. Ergo Hannibal hostis, civis Antonius? quid ille fecit hostiliter, quod hic non aut fecerit, aut faciat, aut moliatur et cogitet? Totum iter Antoniorum quid habuit, nisi depopulationes, vastationes,

*Brundisio inferebat*) Ern. *a Brundisio.*

*Nuntio audito*) De quarta legione. Vide Philipp. III.

*Totum iter Antoniorum*) Sic e cod. Vatic. legendum vidit Ern. Vulg. *Antonii.*

caedes, rapinas? quas non faciebat Hannibal, quia multa ad usum reservabat: at hi, qui in horam viverent, non modo de fortunis et de bonis civium, sed ne de utilitate quidem sua cogitaverunt.

X. Ad hunc (dii boni!) legatos mitti placet? Norunt isti homines formam reipublicae, iura belli, exempla maiorum? cogitant, quid populi romani maiestas, quid senatus severitas postulet? Legatos decernitis? si, ut deprecentur, contemnet; si, ut imperetis, non audiet; denique quamvis severa legatis mandata dederimus, nomen ipsum legatorum, hunc, quem videmus, populi romani restinguet ardorem, municipiorum atque Italiae franget animos. Vt omittam haec, quae magna sunt: certe ista legatio moram et tarditatem afferet bello. Quamvis dicant, quod quosdam audio dicturos: Legati proficiscantur; bellum nihilominus paretur; tamen legatorum nomen ipsum et animos hominum molliet, et belli celeritatem morabitur. Minimis momentis, Patres conscripti, maximae inclinationes temporum fiunt, quum in omni casu reipublicae, tum in bello, et maxime civili; quod opinione plerumque et fama gubernatur. Nemo quaeret, quibuscum mandatis legatos miserimus: nomen ipsum legationis ultro missae, timoris esse signum videbitur. Recedat a Mutina, desinat oppugnare Brutum, decedat ex Gallia; non est verbis rogandus, cogendus est armis. Non enim ad Hannibalem mittimus, ut a Sagunto recedat, ad quem miserat olim senatus P. Valerium Flaccum et Q. Baebium Tampilum: qui si Hannibal non pareret, Carthaginem ire iussi sunt. Nostros legatos quo iubebimus ire, si non paruerit

*Et animos hominum*) *Hominum* quod vulgo aberat e cod Vat. addiderunt Graev. Ern.

*Si non paruerit*) Ita Graev. Ern. e MSS. pro vulg. *nisi paruerit*.

Antonius? Ad nostrum civem mittimus, ne imperatorem, ne coloniam populi romani oppugnet? Itane vero? hoc per legatos rogandum est? Quid interest, per deos immortales! utrum hanc urbem oppugnet, an huius urbis propugnaculum, coloniam populi romani, praesidii causa collocatam? Belli Punici secundi, quod contra maiores nostros Hannibal gessit, causa fuit Sagunti oppugnatio. Recte ad eum legati missi. Mittebantur ad Poenum, mittebantur pro Hannibalis hostibus, nostris sociis. Quid simile tandem? Nos ad civem mittemus, ne imperatorem populi romani, ne exercitum, ne coloniam circumsedeat, ne oppugnet, ne agros depopuletur, ne sit hostis?

XI. Age, si paruerit, hoc cive uti aut volumus, aut possumus? Ante diem XIII Kalendas Ian. decretis vestris eum concidistis: constituistis, ut haec ad vos Kalend. Ian. referrentur, quae referri videtis, de honoribus et praemiis bene de republica meritorum et merentium: quorum principem iudicastis eum, qui fuit, C. Caesarem, qui M. Antonii impetus nefarios ab urbe in Galliam avertit; deinde milites veteranos, qui primi Caesarem sequuti sunt; tum illas caelestes divinasque legiones, Martiam et quartam, quibus, quum consulem suum non modo reliquissent, sed bello etiam persequerentur, honores et praemia spopondistis; eodemque die D. Bruti, praestantissimi civis, edicto allato atque proposito, factum eius collaudastis; quodque ille bellum privato consilio susceperat, id vos auctoritate publica comprobastis. Quid igitur illo die aliud egistis, nisi ut re hostem iudica-

*Ad nostrum civem mittimus*) Recte haec e cod. Vatic. Faërn. Mur. Man. Lamb. Graev. assumpserunt; etsi ea repudiarunt Gruter. Ern.

*Rogandum*) Sic editum e cod. Vat. Olim *rogandus*.

*Avertit*) Ita cod. Vatic. Receperunt Faërn. Mur. Lamb. Man. Graev. Ern. Olim *vertit*.

retis Antonium? his vestris decretis ant ille vos aequo animo adspicere poterit, aut vos illum sine summo dolore videbitis? Exclusit illum a republica, distraxit, segregavit non solum scelus ipsius, sed etiam, ut mihi videtur, fortuna quaedam reipublicae. Qui si legatis paruerit, Romamque redierit: num quando perditis civibus vexillum, quo concurrant, defuturum putatis? Sed hoc minus vereor: sunt alia, quae magis timeam. Nunquam parebit ille legatis. Novi hominis insaniam, arrogantiam; novi perdita consilia amicorum, quibus ille est deditus. Lucius quidem frater eius, utpote qui peregre depugnavit, familiam ducit. Si per se ipse sanus, quod nunquam erit; per hos esse ei tamen non licebit. Teretur interea tempus; belli apparatus refrigescent. Vnde est adhuc bellum tractum, nisi ex retardatione et mora? Vt primum post discessum latronis, vel potius desperatam fugam, libere senatus haberi potuit; semper flagitavi, ut convocaremur. Quo die primum convocati sumus, quum designati consules non adessent, ieci, sententia mea, maximo vestro consensu, fundamenta reipublicae, serius omnino, quam decuit; nec enim ante potui: sed tamen si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellum profecto nullum haberemus. Omne malum nascens facile opprimitur: inveteratum fit plerumque robustius. Sed tum exspectabantur Calendae Ian. fortasse non recte. Verum praeterita omit-

*Nunquam parebit ille legatis*) Faërn. Mur. Manut. Lamb. Graev. e cod. Vat. ediderunt *sunt alia quae magis timeam et cogitem*; quibus in verbis ultima *et cogitem* inculcata videntur. Vulgo legebatur *ob quae magis nunquam parebit ille legatis*. Quod Ernestius hactenus retinendum putavit, ut *magis* deleretur.

*Vnde est adhuc bellum tractum*) *tractum* e cod. Vat. addiderunt Mur. et Graev. Ernestius hoc improbat *quia tracti belli* vis sit in *adhuc*, et *adhuc* non conveniat verbo *tractum*. At bene convenit, positum pro *hucusque*, ut saepe.

tamus. Etiamne hanc moram afferemus, dum proficiscantur legati? dum revertantur? quorum exspectatio dubitationem belli afferet. Bello autem dubio, quod potest studium esse delectus?

XII. Quamobrem, Patres conscripti, legatorum mentionem nullam censeo faciendam; rem administrandam arbitror sine ulla mora, et confestim gerendam; tumultum decerni, iustitium indici, saga sumi dico oportere; delectum haberi, sublatis vacationibus in urbe, et in Italia, praeter Galliam, tota. Quae si erunt facta, opinio ipsa, et fama vestrae severitatis obruet scelerati gladiatoris amentiam. Sentiet sibi bellum cum republica esse susceptum; experietur consentientis senatus nervos atque vires. Nam nunc quidem partium contentionem esse dictitat. Quarum partium? alteri victi sunt, alteri sunt e mediis C. Caesaris partibus. Nisi forte Caesaris partes a Pansa et Hirtio consulibus, et a filio C. Caesaris oppugnari putamus. Hoc vero bellum non est ex dissensione partium, sed ex nefaria spe perditissimorum civium excitatum: quibus bona fortunaeque nostrae notatae sunt, et iam ad cuiusque optionem distributae. Legi epistolam Antonii, quam ad quendam septemvirum, capitalem hominem, collegam suum, miserat. QVID CONCVPISCAS, TV VIDERIS: QVOD CONCVPIVERIS, CERTE HABEBIS. En, ad quem legatos mittamus; cui bellum moremur inferre; qui ne sorti quidem fortunas nostras destituit, sed libidini cuiusque nos ita addixit, ut ne

*Iustitium indici*) *Edici* cod. Vatic.

*Praeter Galliam, tota*) Sic. Muret. Graev. Ern. Nempe in Gallia delectus haberi non poterat, quia ibi erat Antonius cum suis copiis. Vulgo *praeterea Gallia tota*. Faërn. et Manut. *praeter Galliam totam*. Lamb. *praeter Galliam togatam*.

*Optionem distributae*) *Optionem* est ex verissima Manutii emendatione, vulgo *opinionem*.

*Destituit*) Graevius malebat *destinavit*.

sibi quidem quidquam integrum, quod non alicui promissum iam sit, reliquerit. Cum hoc, Patres conscripti, bello, bello inquam, decertandum est, idque confestim. Legatorum tarditas repudianda est. Quapropter, ne multa nobis quotidie decernenda sint: consulibus totam rempublicam commendandam censeo, hisque permittendum, ut rempublicam defendant, provideantque, ne quid respublica detrimenti accipiat: censeoque, ut iis, qui in exercitu Antonii sunt, ne sit ea res fraudi, si ante Kalendas Febr. ab eo discesserint. Haec si censueritis, Patres conscripti, brevi tempore libertatem populi romani, auctoritatemque vestram recuperabitis. Sin autem lenius agetis, tamen eadem, sed fortasse serius, decernetis. De republica quod retulistis, satis decrevisse videor.

XIII. Altera res est de honoribus: de quibus deinceps intelligo esse dicendum. Sed qui ordo in sententiis rogandis more maiorum servari solet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. A Bruto igitur, consule designato, capiamus exordium: cuius ut superiora omittam, quae sunt maxima illa quidem, sed adhuc hominum magis iudiciis, quam publice laudata; quibusnam verbis eius laudes huius ipsius temporis consequi possumus? Neque enim ullam mercedem tanta virtus, praeter hanc laudis gloriaeque, desiderat: qua etiamsi careat, tamen sit se ipsa contenta, atque in memoria gratorum civium, tanquam in luce posita laetetur. Laus igitur iudicii, testimoniique

*Commendandam — Permittendum*) Sic. Faërn. et Graev. e cod. Vatic. Vulgo *committendam censeo hisque permittendum*. Ernest. edidit *permittendam censeo, hisque committendum*.

*Quod retulistis*) Faërnus scripsit *quoad*.

*Consule designato*) Vulgo inserebatur *more maiorum* quod recte eiecit Ernestius. Est enim temere huc translatum ex antecedentibus.

*Testimoniique vestri*) *Nostri* edidit Graevius e MSS.

vestri, tribuenda Bruto est. Quamobrem his verbis, Patres conscripti, senatusconsultum faciendum censeo: Quum D. Brutus, imperator, consul designatus, provinciam Galliam in senatus populique romani potestate teneat; quumque exercitum tantum, tam brevi tempore, summo studio municipiorum, coloniarumque provinciae Galliae, optime de republica meritae, merentisque, conscripserit, compararit: id eum recte et ordine, exque republica fecisse; idque D. Bruti praestantissimum meritum in rempublicam senatui populoque romano gratum esse et fore. Itaque senatum populumque romanum existimare, D. Bruti, imperatoris, consulis designati, opera, consilio, virtute, incredibilique studio et consensu provinciae Galliae, reipublicae difficillimo tempore esse subventum. Huic tanto merito Bruti, Patres conscripti, tantoque in rempublicam beneficio, quis est tantus honos, qui non debeatur? Nam si M. Antonio patuisset Gallia, si oppressis municipiis, et coloniis imperatis, in illam ultimam Galliam penetrare potuisset: quantus reipublicae terror impenderet? Dubitaret, credo, homo amentissimus, atque in omnibus consiliis praeceps et devius, non solum cum exercitu suo, sed etiam cum omni immanitate barbariae bellum inferre nobis: ut eius furorem ne Alpium quidem muro cohibere possemus. Haec igitur habenda gratia est D. Bruto, qui illum, nondum interposita auctoritate vestra, suo consilio atque iudicio, non ut consulem recepit, sed ut hostem arcuit Gallia; seque obsideri, quam hanc urbem, maluit. Habeat ergo huius tanti facti, tamque praeclari decreto vestro testimonium sempiternum; Galliaque, quae semper praesidet atque praesedit

*Vltimam Galliam*) Transalpinam.

huic imperio, libertatique communi, merito vereque laudetur, quod se suasque vires non tradidit, sed opposuit Antonio.

XIV. Atque etiam M. Lepido pro eius egregiis in rempublicam meritis decernendos honores quam amplissimos censeo. Semper ille populum romanum liberum voluit, maximumque signum illo die dedit voluntatis et iudicii sui, quum, Antonio diadema Caesari imponente, se avertit, gemituque et moestitia declaravit, quantum haberet odium servitutis; quam populum romanum liberum cuperet; quam illa, quae tulerat, temporum magis necessitate, quam iudicio tulisset. Quanta vero is moderatione usus sit in illo tempore civitatis, quod post mortem Caesaris consequutum est, quis nostrum oblivisci potest? Magna haec: sed ad maiora properat oratio. Quid enim (o dii immortales!) admirabilius omnibus gentibus, quid optatius populo romano accidere potuit, quam, quum bellum civile maximum esset, cuius belli exitum omnes timeremus, sapientia eius id potius exstingui, quam armis et ferro rem in discrimen adducere? Quod si eadem ratio Caesaris fuisset, in illo tetro miseroque bello: ut omittam patrem, duos Cn. Pompeii, summi et singularis viri, filios incolumes haberemus; quibus certe pietas fraudi esse non debuit. Vtinam omnes M. Lepidus servare potuisset! Factu-

*Lepido*) Ciceronis Hispaniae proconsuli, in quam tamen nondum pervenerat, sed in Gallia Narbonensi, cognita reipublicae perturbatione, morabatur. MAN.

*Quum bellum civile maximum esset*) Post interitum Caesaris, pugnante Sex. Pompeio in Hispania cum Caesaris praetoribus. ID.

*Id potius exstingui*) Sic Victor. Gruter. Ernest. At ed. Mediol. *sapientia et iam id potius exstingui.* Lamb. *sapientia id potius exstingui.* Antonius Augustinus coniecerat legendum *sapienti clementia potius exstingui.*

*Fraudi esse non debuit*) Sic MS. Vatic. ed. Muret. Faërn. Lamb. Ern. Vulgo *debet.*

rum fuisse declaravit in eo, quod potuit; quum Sextum Pompeium restituit civitati, maximum ornamentum reipublicae, clarissimum monumentum clementiae suae. Gravis illa fortuna populi romani, grave fatum. Pompeio enim patre, quod imperii populi romani lumen fuit, exstincto, interfectus est patris simillimus filius. Sed omnia mihi videntur deorum immortalium iudicio expiata, Sex. Pompeio reipublicae conservato.

XV. Quam ob causam iustam atque magnam, et quod periculosissimum civile bellum, maximumque, humanitate et sapientia sua M. Lepidus ad pacem concordiamque convertit, senatusconsultum his verbis censeo perscribendum: Quum a M. Lepido, imperatore, pontifice maximo, saepenumero respublica et bene et feliciter gesta sit, populusque romanus intellexerit, ei dominatum regium maxime displicere; quumque eius opera, virtute, consilio, singularique clementia et mansuetudine bellum acerbissimum civile sit restinctum; Sextusque Pompeius, Cnaei filius, Magnus, huius ordinis auctoritate ab armis discesserit, et a M. Lepido, imperatore, pontifice maximo, summa senatus populique romani voluntate civitati restitutus sit: senatum populumque romanum pro maximis plurimisque in rempublicam M. Lepidi meritis, magnam spem in eius virtute, auctoritate, felicitate, reponere otii, pacis, concordiae, libertatis; eiusque in rempublicam meritorum senatum populumque romanum memorem fore, eique statuam equestrem inauratam in rostris, aut quo alio loco in foro velit, ex huius ordinis sententia

*Iudicio expiata*) Sic e cod. Vatic. ediderunt Faërn. Murel. Lambin. Man. Victorius post alios dedit: *sed omnia mihi facta videntur deorum immortalium iudicio et pietate.*

statui placere. Qui honos, Patres conscripti, mihi maximus videtur primum, quia iustus est; non enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro amplissimis meritis redditur: nec vero cuiquam possumus commemorare hunc honorem a senatu tributum iudicio senatus soluto et libero.

XVI. Venio ad C. Caesarem, Patres conscripti, qui nisi fuisset, quis nostrum esse potuisset? Advolabat ad urbem a Brundisio homo impotentissimus, ardens odio, animo hostili in omnes bonos, cum exercitu, Antonius. Quid huius audaciae et sceleri poterat opponi? Nondum ullos duces habebamus, non copias; nullum erat consilium publicum, nulla libertas; dandae cervices erant crudelitati nefariae; fugam quaerebamus omnes, quae ipsa exitum non habebat. Quis tum nobis, quis populo romano obtulit hunc divinum adolescentem deus, qui, quum omnia ad perniciem nostram pestifero illi civi paterent, subito, praeter spem omnium, exortus, prius confecit exercitum, quem furori M. Antonii opponeret, quam quisquam hoc eum cogitare suspicaretur. Magni honores habiti Cn. Pompeio, quum esset adolescens; et quidem iure; subvenit enim reipublicae: sed aetate multo robustior, et militum ducem quaerentium studio paratior, et in alio genere belli. Non enim omnibus Sullae causa grata. Declarat multitudo proscriptorum, tot municipiorum maximae calamitates. Caesar autem annis multis minor, veteranos cupientes iam requiescere, armavit; eam complexus est causam, quae esset senatui, quae populo, quae cun-

*Mihi maximus videtur primum*) Alterum membrum quod huic respondit est in verbis *nec vero* etc. Poterat enim sic dicere: *deinde quia insolitus est: neque enim cuiquam* etc.

*Pestifero illi civi paterent*) Nihil opus, quod Ernestio in mentem venit, de veritate huius lectionis dubitare.

ctae Italiae, quae diis hominibusque gratissima. Et Pompeius ad L. Sullae maximum imperium, victoremque exercitum accessit: Caesar se ad neminem adiunxit; ipse princeps exercitus faciendi et praesidii comparandi fuit. Ille in adversariorum partibus agrum Picenum habuit amicum: hic ex Antonii amicis, sed amicioribus libertatis, contra Antonium confecit exercitum. Illius opibus Sulla regnavit: huius praesidio Antonii dominatus oppressus est. Demus igitur imperium Caesari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest. Sit pro praetore eo iure, quo qui optimo. Qui honos, quamquam est magnus illi aetati, tamen ad necessitatem rerum gerendarum, non solum ad dignitatem valet.

XVII. Itaque illa quaeramus, quae vix hodierno die consequemur. Sed saepe spero fore huius adolescentis ornandi honorandique et nobis et populo romano potestatem. Hoc autem tempore ita censeo decernendum: Quod C. Caesar, Caii filius, pontifex, pro praetore, summo reipublicae tempore milites veteranos ad libertatem populi romani cohortatus sit, eosque conscripserit; quodque legio Martia quartaque, summo studio, optimoque in rempublicam consensu, C. Caesare duce et auctore, rempublicam, libertatem populi romani defendant, defenderint; et quod C. Caesar, pro praetore, Galliae provinciae cum exercitu subsidio profectus sit; equites, sagittarios, elephantos in suam populique romani potestatem redegerit, difficillimoque reipublicae tempore, saluti

*Ille in adversariorum*) Sensus est: in Italia, quae fere tota sequebatur Marii partes contra Sullam, habuit Picenum agrum Pompeius inimicus Marianis; ex quo agro exercitum ille confecit. FERR.

*Habuit amicum*) Verissime sic Ant. Augustinus correxit. Vulg. *inimicum*.

*Illi aetati*) *Illa aetate* cod. Vatic.

dignitatique populi romani subvenerit: ob eas causas senatui placere, C. Caesarem, C. F. pontificem, propraetorem, senatorem esse, sententiamque loco praetorio dicere; eiusque rationem, quemcumque magistratum peteret, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore praetor fuisset. Quid est enim, Patres conscripti, cur eum non quam primum amplissimos honores capere cupiamus? Legibus enim annalibus quum grandiorem aetatem ad consulatum constituebant, adolescentiae temeritatem verebantur. C. Caesar ineunte aetate docuit, ab excellenti eximiaque virtute progressum aetatis exspectari non oportere. Itaque maiores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant: quas multis post annis attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter aequales. Ita saepe magna indoles virtutis, priusquam reipublicae prodesse potuisset, exstincta fuit. At vero apud antiquos, Rulli, Decii, Corvini, multique alii; recentiore autem memoria, superior Africanus, T. Flamininus, admodum adolescentes consules facti, tantas res gesserunt, ut populi romani imperium auxerint, nomen ornarint. Quid? Macedo Alexander, quum ab ineunte aetate res maximas gerere coepisset, nonne tertio et tricesimo anno mortem obiit? quae est aetas nostris legibus decem annis minor, quam consularis. Ex quo iudicari potest, virtutis esse, quam aetatis cursum celeriorem.

XVIII. Nam quod ii, qui Caesari invident, simulant se timere, ne verendum quidem est, ut tenere

*Magistratum peteret*) In MS. Vatic. *petet*. Alii *appetet*. Ern. dedit *appeteret*.

*Praetor fuisset*) Bene sic Ern. ex Vrsini emendatione. Vulgo male *quaestor*.

*Admodum antiqui*) Haec Faërnus spuria iudicavit, Lambinus delevit. Defendit autem Graevius hoc sensu *homines simplices et integerrimis moribus*.

se possit, ut moderari, ne honoribus nostris elatus intemperantius suis opibus utatur. Ea natura rerum est, Patres conscripti, ut, qui sensum verae gloriae ceperit, quique se ab senatu, ab equitibus, populoque romano universo senserit civem carum haberi, salutaremque reipublicae, nihil cum hac gloria comparandum putet. Vtinam C. Caesari, patri dico, contigisset adolescenti, ut esset senatui atque optimo cuique carissimus! Quod quum consequi neglexisset, omnem vim ingenii, quae summa fuit in illo, in populari levitate consumpsit. Itaque quum respectum ad senatum, et ad bonos non haberet, eam sibi viam ipse patefecit ad opes suas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non posset. Eius autem filii longissime diversa ratio: qui quum omnibus est, tum optimo cuique carissimus. In hoc spes libertatis posita est; ab hoc accepta iam salus; huic summi honores et exquiruntur et parati sunt. Cuius igitur singularem prudentiam admiramur, eius stultitiam timemus? Quid enim stultius, quam inutilem potentiam, invidiosas opes, cupiditatem dominandi praecipitem et lubricam anteferre verae, gravi, solidae gloriae? An hoc vidit puer, si aetate processerit, non videbit? At est quibusdam inimicus clarissimis atque optimis civibus. Nullus iste timor esse debet. Omnes Caesar inimicitias reipublicae condonavit: hanc sibi iudicem constituit, hanc moderatricem omnium factorum. Ita enim ad rempublicam accessit, ut eam confirmaret, non ut everteret. Omnes habeo cognitos sensus adolescentis. Nihil est illi republica carius, nihil vestra auctoritate gravius, nihil bonorum virorum iudicio optatius, nihil vera gloria dulcius. Quamobrem ab

*Diversa*) Ed. Muret. *longe sane diversa.*

*An hoc vidit puer*) *An qui hoc vidit puer* ed. Muret. al.

eo non modo nihil timere, sed maiora et meliora exspectare debetis; neque in eo, qui ad D. Brutum obsidione liberandum profectus sit, timere, ne memoria maneat domestici doloris, quae plus apud eum possit, quam salus civitatis. Audebo etiam obligare fidem meam, Patres conscripti, vobis, populoque romano; quod profecto, quum me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimescceremque in re maxima periculosam opinionem temeritatis: promitto, recipio, spondeo, Patres conscripti, C. Caesarem, talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualemque eum maxime esse, velle et optare debemus.

XIX. Quae quum ita sint, de Caesare satis hoc tempore dictum habebo. Nec vero de L. Egnatuleio, fortissimo et constantissimo cive, amicissimoque reipublicae, silendum arbitror; sed tribuendum testimonium virtutis egregiae, quod is legionem quartam ad Caesarem adduxerit, quae praesidio consulibus, senatui, populoque romano, reique publicae esset: ob eam causam placere, uti L. Egnatuleio triennium ante legitimum tempus magistratus petere, capere, gerere liceat. In quo, Patres conscripti, non tam commodum tribuitur L. Egnatuleio, quam honos. In tali enim re satis est nominari.

*Facere non auderem*) Excidisse quaedam verba suspicatur Ernestius ad illam fere sententiam: *nisi eum plane perspectum haberem.*

*Promitto, recipio, spondeo*) Expressit haec ab eo vel odium in Antonium, vel studium erga remp. Promittere autem de altero, praesertim de adolescente, perpetuam in recta laudabilique ratione voluntatem, cuius prudentiae fuerit, haud ita multo post Cicero ipse sensit. Scripsit enim ad M. Brutum: *Maximo, quum haec scribebam, afficiebar dolore, quod, cum me pro adolescente, ac paene puero, resp. accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse.* Man.

*Triennium ante*) Vt possit aedilitatem petere anno trigesimo tertio; quae res illi tum commodo erat, tum multo magis honori, in eo decreto nominari, in quo viri celeberrimi ornarentur. Ferr.

De exercitu autem C. Caesaris ita censeo decernendum: Senatui placere, militibus veteranis, qui Caesaris, pontificis, auctoritatemque huius ordinis defenderint, defendant, his liberisque eorum, militiae vacationem esse: utique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter, ambove, S. E. V. cognoscerent, qui ager his coloniis esset, quo milites veterani deducti essent, qui contra legem Iuliam possideretur, ut iis militibus veteranis divideretur: de agro Campano separatim cognoscerent, inirentque rationem de commodis militum veteranorum augendis: legionique Martiae, et legioni quartae, et iis militibus, qui de legione secunda, quinta tricesima, ad C. Pansam, A. Hirtium, consules, venissent, suaque nomina dedissent, quod iis auctoritas senatus populique romani libertas carissima sit et fuerit, vacationem militiae ipsis liberisque eorum esse placere, extra tumultum Gallicum Italicumque: easque legiones, bello confecto, missas fieri placere, quantamque pecuniam militibus earum legionum in singulos C. Caesar, pontifex, propraetor pollicitus sit, tantam dari placere: utique C. Pansa, A. Hirtius, consules, alter, ambove, S. E. V. rationem agri haberent, qui sine iniuria privatorum dividi posset, isque militibus legionis Martiae et legionis quartae ita daretur, assignaretur, ut quibus militibus

*Caesaris, pontificis*) Videtur deesse, *voluntatem sequuti sint.* MAN.

*Defenderint*) *Atque* hic vulgo inculcatum recte delendum censuit Ernestius, quod in hac forma, praesertim in formulis legum SCtorum addi non solet.

*S. E. V.*) H. e. *Si eis videretur.*

*Secunda, quinta tricesima*) Sive, secunda, trigesima quinta. Quin etiam addidit coniunctionem Muretus, *secunda, et trigesima quinta.* Hae scilicet legiones, ut observat Manutius, cum Antonio de quatuor Macedonicis remanserant: ex iis tamen ipsis milites multi ad Pansam Hirtiumque consules venerant. Propterea dixit Cicero Philipp. III, cap. 12: *In Galliam mutilatum ducit exercitum.* OLIV.

*Quod iis auctoritas*) *Auctoritas* vulgo omissum recte addiderunt e cod. Vatic. Faërnus, Lamb. alii.

amplissime dati, assignati essent. Dixi ad ea omnia, consules, de quibus retulistis; quae si erunt sine mora matureque decreta, facilius apparabitis ea, quae tempus et necessitas flagitat. Celeritate autem opus est; qua si essemus usi, bellum, ut saepe dixi, nullum haberemus.

*Quae si erunt sine mora*) Sic Faërn. Graev. e cod. Vatic. Ferrarius, quum in codd. invenisset *quae sine mora*, frustra corrigendum opinabatur *quo sine mora matureque decreto.*

IN

# M. ANTONIVM

AD QVIRITES

## PHILIPPICA SEXTA

I.

Audita vobis esse arbitror, Quirites, quae sint acta in senatu, quae fuerit cuiusque sententia. Res enim ex Kal. Ian. agitata, paulo ante confecta est: minus quidem illa severe, quam decuit, non tamen omnino dissolute. Mora est allata bello, non causa sublata. Quamobrem, quod quaesivit a me P. Apuleius, homo et multis officiis mihi et summa familiaritate coniunctus, et vobis amicissimus, ita respondebo, ut ea, quibus non interfuistis, nosse possitis. Causa fortissimis optimisque consulibus Kalendis Ianuar. de republica primum referendi fuit ex eo, quod XIII Kalendas Ian. senatus me auctore decrevit. Eo die primum, Quirites, fundamenta iacta sunt reipublicae. Fuit enim longo intervallo ita liber senatus, ut vos aliquando liberi essetis. Quo quidem tempore, etiamsi ille dies vitae finem mihi allaturus esset, satis magnum ceperam fructum, quum vos universi, una mente atque voce, iterum a me conservatam esse rempublicam conclamassetis. Hoc vestro iudicio tanto, tamque

*Conclamassetis*) Sic emendavit Ern. vulg. *conclamastis*, ut tempus consentiret cum antecedente *ceperam*.

praeclaro, excitatus, ita Kalendis Ian. veni in senatum, ut meminissem, quam personam impositam a vobis sustinerem. Itaque bellum nefarium illatum reipublicae quum viderem, nullam moram interponendam insequendi M. Antonium putavi; hominemque audacissimum, qui multis nefariis rebus ante commissis, hoc tempore imperatorem populi romani oppugnaret, coloniam vestram fidissimam fortissimamque obsideret, bello censui persequendum; tumultum decerni, iustitium edici, saga sumi, dixi placere; quo omnes acrius graviusque incumberent ad ulciscendas reipublicae iniurias, si omnia gravissimi belli insignia suscepta a senatu viderent. Itaque haec sententia, Quirites, sic per triduum valuit, ut, quamquam discessio facta non esset, tamen, praeter paucos, omnes mihi assensuri viderentur. Hodierno autem die, nescio qua obiecta re, remissior senatus fuit. Nam plures eam sententiam sequuti sunt, ut, quantum senatus, auctoritas, vesterque consensus apud Antonium valiturus esset, per legatos experiremur.

II. Intelligo, Quirites, a vobis hanc sententiam repudiari; neque iniuria. Ad quem enim legatos? ad eumne, qui, pecunia publica dissipata atque effusa, per vim et contra auspicia impositis populo romano legibus, fugata concione, obsesso senatu, ad opprimendam rempublicam Brundisio legiones arcessierit? ab his relictus cum latronum manu in Galliam irruperit? Brutum oppugnet? Mutinam circumsedeat? Quae vobis potest cum hoc gladiatore conditionis, ae-

*Tumultum*) Vulgo additur *esse*, quod recte delevit Ern.

*Iustitium edici*) MSS. nonnulli *indici*.

*Nescio qua*) Vatic. cod. *paene scio*.

*Nescio qua eis obiecta re*) Res ea quae fuerit, quia senatus dignitatis rationem habet, significandum non putat. Fuit enim, ut ex Appiano cognoscitur, matris Antonii, uxoris, filii, amicorum nocturna deprecatio. Max.

quitatis, legationis esse communitas? Quamquam, Quirites, non est illa legatio, sed denuntiatio belli, nisi paruerit. Ita enim est decretum, ut si legati ad Hannibalem mitterentur. Mittuntur enim qui nuntient, ne oppugnet consulem designatum, ne Mutinam obsideat, ne provinciam depopuletur, ne delectus habeat, sit in senatus populique romani potestate. Facile vero huic denuntiationi parebit, ut in patrum conscriptorum, atque in vestra potestate sit, qui in sua nunquam fuerit! Quid enim ille unquam arbitrio suo fecit, semper eo tractus, quo libido rapuit, quo levitas, quo furor, quo vinolentia? Semper eum duo dissimilia genera tenuerunt, lenonum et latronum: ita domesticis stupris, forensibus parricidiis delectatur, ut mulieri citius avarissimae paruerit, quam senatui populoque romano.

III. Itaque, quod paulo ante feci in senatu, faciam apud vos. Testificor, denuntio, ante praedico, nihil M. Antonium eorum, quae sunt legatis mandata, facturum: vastaturum agros, Mutinam obsessurum, delectus, qua possit, habiturum. Is est enim ille, qui semper senatus iudicium et auctoritatem, semper voluntatem vestram potestatemque contempserit. An ille id faciat, quod paulo ante decretum est, ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Galliae, educeret, dum ne propius urbem Romam CC mill. admoveret? huic denuntiationi ille pareat? ille se fluvio Rubicone CC mill. circumscriptum esse patiatur? Non is est Antonius. Nam si esset, non commisisset, ut ei senatus, tanquam Hannibali initio belli Punici, denuntiaret, ne oppugnaret Saguntum. Quod vero ita avocatur a Mutina, ut ab urbe, tanquam pe-

*Quo vinolentia?*) Cod. Ferrarii *violentia.*

stifera flamma, arceatur, quam habet ignominiam? quod iudicium senatus? Quid? quod a senatu dantur mandata legatis, ut D. Brutum, militesque eius adeant, iisque demonstrent, summa in rempublicam merita, beneficiaque eorum grata esse senatui populoque romano, iisque eam rem magnae laudi, magnoque honori fore: passurumne censetis Antonium, introire Mutinam legatos? exire inde tuto? Nunquam patietur, mihi credite. Novi violentiam, novi impudentiam, novi audaciam. Nec vero de illo, sicut de homine aliquo debemus, sed ut de importunissima bellua, cogitare. Quae quum ita sint, non omnino dissolutum est, quod decrevit senatus. Habet atrocitatis aliquid legatio: utinam nihil haberet morae! Nam quum plerisque in rebus gerendis tarditas et procrastinatio odiosa est, tum hoc bellum indiget celeritatis. Succurrendum est D. Bruto; omnes undique copiae colligendae; horam eximere ullam, in tali cive liberando, sine scelere non possumus. An ille non potuit, si Antonium consulem, si Galliam Antonii provinciam iudicasset, legiones Antonio et provinciam tradere? domum redire? triumphare? primus in hoc ordine, quoad magistratum iniret, sententiam dicere? quid negotii fuit? Sed, quum se Brutum esse meminisset, vestraeque libertati natum, non otio suo: quid egit aliud, nisi ut paene corpore suo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc utrum legatos, an legiones ire oportebat? Sed praeterita omittamus. Properent legati, quod video esse facturos: vos saga parate. Est

*Summa — merita*) Vulg. *sua merita*.

*Horam eximere*) Ita cum Faërno, Mureto, Lamb. Manutio, Graevius e cod. Vatic. edidi. Vulgo *exhibere*, quod tamen Ernestius retinendum putavit, cui non assentior. Idem tamen bene monuit, quum deinde ederetur *nullam — non possumus* vel *ullam* scribendum, vel *non* ante *possumus* delendum esse.

*Non otio suo*) Haec e cod. Vatic. addidit Faërnus.

enim ita decretum, ut, si ille auctoritati senatus non paruisset, ad saga iretur. Ibitur. Non parebit; nos amissos tot dies rei gerendae queremur.

IV. Non metuo, Quirites, ne, quum audierit Antonius, me hoc in senatu et in concione confirmasse, nunquam illum futurum in senatus potestate, refellendi mei causa, ut ego nihil vidisse videar, vertat se, senatui pareat. Nunquam faciet; non invidebit huic meae gloriae; malet me sapientem a vobis, quam se modestum existimari. Quid? ipse si velit, num etiam L. fratrem passurum arbitramur? Nuper quidem dicitur ad Tibur, ut opinor, quum ei labare M. Antonius videretur, mortem fratri esse minitatus. Etiamne ab hoc mirmillone Asiatico senatus mandata, legatorum verba audientur? Nec enim secerni a fratre poterit, tanta praesertim auctoritate. Nam hic inter illos Africanus est; pluris habetur, quam L. Trebellius, pluris, quam T. Plancus, adolescens nobilis. Plancum, qui omnibus sententiis, maximo vestro plausu, condemnatus, nescio quomodo se coniecit in turbam, atque ita moestus rediit, ut retractus, non reversus videretur, sic contemnit, tanquam si illi aqua et igni interdictum sit: aliquando negat ei locum esse oportere in curia, qui incenderit curiam. Nam Trebellium valde iam diligit; oderat tum, quum ille tabulis novis adversabatur: iam fert in oculis, postquam ipsum Trebellium vidit sine tabulis novis salvum esse non posse. Audisse enim vos arbitror, Quirites, quod etiam videre potuistis, quotidie spon-

*Ei labare — videretur*) Quum vertere se, et mutare sententiam videretur M. Antonius. FERR.

*T. Plancus*) T. Munatius Plancus Bursa, frater L. Planci consulis designati. Eum de vi, ob incensam in funere P. Clodii curiam, lege Pompeia damnatum Caesar dictator restituerat. MAN.

*Plancum*) eum Graevio, Ernestius addidit e cod. Vatic. Recte. Nam alias sententia non constat.

sores et creditores L. Trebellii convenire: O fides! hinc enim puto Trebellium sumpsisse cognomen; quae potest esse maior fides, quam fraudare creditores? domo profugere? propter aes alienum ire ad arma? Vbi plausus ille in triumpho est? saepe ludis? Vbi aedilitas delata summo studio bonorum? quis est, qui hunc non casu existimet recte fecisse? nequitia est, scelus est.

V. Sed redeo ad amores deliciasque nostras L. Antonium, qui vos omnes in fidem suam recepit. Negatis? num quispiam est vestrum, qui tribum non habeat? Certe nemo. Atqui illum quinque et triginta tribus patronum adoptarunt. Rursus reclamatis? Adspicite a sinistra illam equestrem statuam inauratam; in qua quid inscriptum est? QVINQVE ET TRIGINTA TRIBVS PATRONO. Populi romani igitur est patronus L. Antonius? malam quidem illi pestem! Clamori enim vestro assentior. Non modo hic latro; quem

*O fides!* ) An fidem Trebellius servat, quum tamen a fide cognomen deduxerit? Fidei patronus, et creditorum fuerat Trebellius, quum adversaretur Dolabellae, de tabulis novis legem ferenti. Phil. XIII: *Fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius.* Cognomen hoc nusquam nominatur. MAN.

*Trebellium sumpsisse cognomen* ) Trebellium illo tempore, quum tabulis novis adversabatur, vulgo videntur *fidei patronum* dixisse. Itaque Philip. XIII, c. 12, acerba irrisione Cicero haec duo componit et *fidei patronus, fraudator creditorum Trebellius.* Non igitur erat quod Ernestius haec verba *hinc—cognomen* uncis includeret.

*Vbi plausus* ) Trebellio Caesaris triumphum prosequenti, et saepe deinde in Theatro plausus dati fuerant, quod tabulis novis restitisset. FERR.

*Saepe ludis?* ) Ingredientes in theatrum bonos cives plausu, improbos excipere sibilo solitus est populus. MAN.

*Summo studio bonorum?* ) Nempe olim quum Trebellius causam creditorum contra Dolabellam legem de novis tabulis ferentem defenderat, populus ei, quum triumphantem aliquem prosequeretur, item in ludis gladiatoriis plausum dederat.

*Nequitia est, scelus est* ) In cod. Vatic. legitur *nequitia est scelere.* Vnde Faërnus legendum suspicabatur, *nequitia excellere.* Lambinus vero malebat *qui nequitia et scelere ità excellat.*

*Tutorem* ) Sic edd. vett. At MS. Vatic. *patronum.*

clientem habere nemo velit: sed quis unquam tantis opibus, tantis rebus gestis fuit, qui se populi romani, victoris dominique omnium gentium, tutorem dicere auderet? In foro L. Antonii statuam videmus: sicut illam Q. Tremuli, qui Hernicos devicit, ante Castoris. O impudentiam incredibilem! tantumne sibi sumpsit, quia Mylasis mirmillo Thracem iugulavit, familiarem suum? quonam modo istum ferre possemus, si in hoc foro, spectantibus vobis, depugnasset? Sed haec una statua. Altera ab equitibus romanis, equo publico: qui item adscribunt, PATRONO. Quem unquam iste ordo patronum adoptavit? Si quemquam, debuit me. Sed me omitto. Quem censorem? quem imperatorem? Agrum his divisit. O sordidos, qui acceperint! improbum, qui dederit! Statuerunt etiam tribuni militares, qui in exercitibus Caesaris duobus fuerunt. Quis est iste ordo? multi fuerunt multis in legionibus per tot annos. His quoque divisit Semurium. Campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset. Sed haec agrorum assignatio paulo ante, Quirites, L. Caesaris, clarissimi viri et praestantissimi senatoris, sententia dissoluta est. Huic enim assensi, septem-

*Ab equitibus romanis*) Liber antiquus, teste Ferrario, *equitum romanorum*.

*Equo publico*) Haec suspecta fuerunt Ernestio.

*Equo publico*) Equestris ordo constabat ex iis, qui equo publico, id est, publice dato, mererent. Dabat autem censor, ut ex Livio l. XXXIX perspicuum fit. Hi equites Romani soli vocabantur. Et his census praefinitus erat CCCC millia: quae nisi possiderent, ordinem et ornamenta equitum Romanorum propria amittebant. Qui vero mererent equo suo, non publico, ii non erant equestris ordinis, nec in centuriis equitum ad comitia centuriata cribant, nec equites Romani, sed equites tantum dicebantur. MAN.

*Statuerunt*) Statum posuerunt: de qua Phil. VII. ID.

*Semurium*) Nihil opus, quod Ferrario in mentem venit, corrigere *Remurium*.

*Acta sustulimus*) Legem illam Antonii de divisione agrorum per vim latam iudicantes. MAN.

virum acta sustulimus. Iacent beneficia Nuculae: friget patronus Antonius. Nam possessores animo aequiore discedent; nullam impensam fecerunt; nondum instruxerunt; partim quia non confidebant, partim quia non habebant. Sed illa statua palmaris, de qua, si meliora tempora essent, non possem sine risu dicere: L. ANTONIO IANI MEDII PATRONO. Itane? Ianus medius in L. Antonii clientela sit? quis unquam in illo Iano inventus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum? Sed nimis multa de nugis: ad causam bellumque redeamus: quamquam non alienum fuit, personas quasdam a vobis recognosci, ut, quibuscum bellum gereretur, possetis taciti iudicare.

VI. Ego autem vos hortor, Quirites, ut, etiamsi melius aliud fuit, tamen legatorum reditum exspectetis animo aequo. Celeritas detracta de causa est: boni tamen aliquid accessit ad causam. Quum enim legati renuntiarint, quod certe renuntiabunt, non in vestra potestate, non in senatus esse Antonium: quis erit tam improbus civis, qui illum civem habendum putet? Nunc enim sunt pauci illi quidem, sed tamen plures, quam republica dignum est, qui ita loquantur: Ne legatos quidem exspectabimus? Istam certe vocem, simulationemque clementiae extorquebit iis res ipsa publica. Quo etiam, ut confitear vobis, Quirites, minus hodierno die contendi, minus laboravi, ut mihi senatus assentiens tumultum decerneret,

*Iacent beneficia Nuculae*) Irrita sunt divisoris agrorum Nuculae beneficia. Philipp. II: *Duos collegas Antoniorum, et Dolabellae, Nuculam, et Lentonem.* Italiae divisores lege ea, quam senatus per vim latam iudicavit. ID.

*Non habebant*) Hoc indicat, egenis et perditis divisos fuisse agros. FERR.

*IANI MEDII PATRONO*) Cod. Vatic. *a Iano medio patrono;* id probabat Vrsinus, ut significaretur hanc statuam a Iano medio, i. e. a negotiatoribus positam esse.

*Taciti iudicare*) *Iudicare* e cod. Vatic. recepit Ern. pro vulg. *cogitare*, quia *cogitare* semper est *taciti*, ut nihil opus fuerit hoc addere.

saga sumi iuberet. Malui viginti diebus post sententiam meam laudari ab omnibus, quam a paucis hodie vituperari. Quapropter, Quirites, exspectate legatorum reditum et paucorum dierum molestiam devorate. Qui quum redierint, si pacem afferent, cupidum me; si bellum, providum iudicatote. An ego non provideam meis civibus? non dies noctesque de vestra libertate, de reipublicae salute cogitem? Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos a se ortum, hominibus nobilissimis, omnibus honoribus, praetulistis? An ingratus sum? Quis minus, qui, partis honoribus, eosdem gesserim in foro labores, quos in petendis? Rudis in republica? Quis exercitatior, qui viginti iam annos bellum geram cum impiis civibus?

VII. Quamobrem, Quirites, consilio, quantum potero, labore, plus paene, quam potero, excubabo vigilaboque pro vobis. Etenim quis est civis, praesertim hoc gradu, quo me vos esse voluistis, tam oblitus beneficii vestri, tam immemor patriae, tam inimicus dignitatis suae, quem non excitet, non inflammet tantus iste vester consensus? Multas magnasque habui consul conciones, multis interfui: nullam unquam vidi tantam, quanta nunc vestra est. Vnum sentitis omnes, unum studetis, M. Antonii conatum avertere a republica, furorem exstinguere, opprimere audaciam. Idem volunt omnes ordines: eodem incumbunt municipia, coloniae, cuncta Italia. Itaque senatum sua sponte bene firmum, firmiorem vestra auctoritate fecistis. Venit tempus, Quirites, serius omnino, quam dignum populo romano fuit; sed tamen

*Eosdem gesserim*) Sic Ern. pro vulg. *gessi*, quia sequitur *geram*.

*Cum impiis*) *Impiis* e cod. Valic. receperunt Graev. Ern. alii *improbis*.

*Tam inimicus dignitatis*) Sic Faern. Manut. Lamb. Graev. Ern. At Muretus cum aliis *dignitati*.

*Iam hora*) *Horam* malebat Graev.

ita maturum, ut differri iam hora non possit. Fuit aliquis fatalis casus, ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit. Nunc, si quis erit, erit voluntarius. Populum romanum servire fas non est: quem dii immortales omnibus gentibus imperare voluerunt. Res in extremum est adducta discrimen. De libertate decernitur. Aut vincatis oportet, Quirites, quod profecto et pietate vestra, et tanta concordia consequemini; aut quidvis potius, quam serviatis. Aliae nationes servitutem pati possunt, populi romani res est propria libertas.

*Fatalis casus*) Caesaris tyrannidem significat. FERR.

*Populi Romani res*) Sic cod. Pal. 2, et quatuor alii apud Graevium; recepit Graev. et Ern. Vulgo omittebatur *res*.

IN

# M. ANTONIVM

## PHILIPPICA SEPTIMA

### I.

Parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur, Patres conscripti. De Appia via, et de Moneta, consul; de Lupercis tribunus plebis refert. Quarum rerum etsi facilis explicatio videtur, tamen animus aberrat ab sententia, suspensis curis maioribus. Adducta est enim, Patres conscripti, res in maximum periculum, et extremum paene discrimen. Non sine causa legatorum istam missionem semper timui, nunquam probavi: quorum reditus quid sit allaturus, ignoro; exspectatio quidem quantum afferat languoris animis, quis non videt? Non enim se tenent ii, qui senatum dolent ad auctoritatis pristinae spem revirescere, coniunctum huic ordini populum romanum, conspirantem Italiam, paratos exercitus, expeditos duces. Iam nunc fingunt responsa Antonii, eaque defendunt. Alii, postulare illum, ut omnes exercitus dimittantur. Scilicet legatos ad eum misimus, non ut pareret, et dicto audiens esset huic ordini, sed ut conditiones ferret, leges imponeret, reserare nos exteris gentibus

*Appia via*) Instauranda. MAN. — *Moneta*) Vel de templo Iunonis Monetae reficiendo, vel etiam de puriore cudenda moneta, eiusque pretio constituendo. ID.

*Spem revirescere*) Sic cod. Vatic. probantibus Faern. Mureto, Graevio. Vulg. *reviviscere.*

Italiam iuberet: se praesertim incolumi, a quo maius periculum, quam ab ullis nationibus extimescendum est. Alii, remittere eum nobis Galliam citeriorem; illam ultimam postulare. Praeclare: ex qua non legiones solum, sed etiam nationes ad urbem conetur adducere. Alii, nihil eum iam nisi modestum postulare. Macedoniam suam vocat omnino: quoniam Caius frater est inde revocatus. Sed quae provincia est, ex qua illa fax excitare non possit incendium? Itaque iidem, quasi providi cives, et senatores diligentes, bellicum me cecinisse dicunt. Suscipiunt pacis patrocinium, qui sic disputant: irritari Antonium non oportuit; nequam est homo ille, atque confidens; multi praeterea improbi (quos quidem a se primum numerare possunt, qui haec loquuntur); eos cavendos esse denuntiant. Vtrum igitur in nefariis civibus ulciscendis, quum possis, an pertimescendis, diligentior cautio est?

II. Atque haec illi loquuntur, qui quondam propter levitatem populares habebantur. Ex quo intelligi potest, animo illos abhorruisse semper ab optimo civitatis statu, non voluntate fuisse populares. Qui enim convenit, ut, qui in rebus improbis populares fuerunt, iidem in re una maxime populari, quod eadem salutaris populo romano sit, improbos se, quam populares esse malint? Me quidem semper, ut scitis, adversatum multitudinis temeritati, haec fecit praeclarissima causa popularem. Et quidem dicuntur, vel potius iidem se ipsi dicunt consulares: quo nomine dignus est nemo, nisi qui tanti honoris nomen potest sustinere. Faveas tu hosti? literas tibi

*Modestum*) *Modeste* e cod. Vat. edidit Muretus. Vulgo *modesti*. Ernestius vero e cod. Leid. recepit *modestum*.

*Senatores*) *Feneratores* ex uno cod. MS. recepit Graev.

ille mittat de sua spe rerum secundarum? eas tu laetus proferas? recites? describendas etiam des improbis civibus? eorum augeas animos? bonorum spem virtutemque debilites? et te consularem, aut senatorem, aut denique civem putes? Accipiet in optimam partem C. Pansa, fortissimus consul atque optimus. Etenim dicam animo amicissimo: hunc ipsum, mihi hominem familiarissimum, nisi talis consul esset, ut omnes vigilias, curas, cogitationes in reipublicae salute defigeret, consulem non putarem. Quamquam nos ab ineunte illius aetate usus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorum societas, similitudoque devinxit; eiusdemque cura incredibilis in asperrimis belli civilis periculis perspecta, docuit non modo salutis, sed etiam dignitatis meae fuisse fautorem; tamen eundem, ut dixi, nisi talis consul esset, negare esse consulem auderem. Idem non modo consulem esse dico, sed etiam memoria mea praestantissimum atque optimum consulem, non, quin pari virtute et voluntate alii fuerint, sed tantam causam non habuerunt, in qua et virtutem et voluntatem suam declararent. Huius magnitudini animi, gravitati, sapientiae, tempestas est oblata formidolosissimi temporis. Tum autem illustratur consulatus, quum gubernat rempublicam, si non optabili, at necessario tempore. Magis autem necessarium, Patres conscripti, nullum tempus unquam fuit.

III. Itaque ego ille, qui semper pacis auctor fui, cuique pax, praesertim civilis, quamquam omnibus bonis, [1] tamen in primis fuit optabilis. Omne enim curriculum industriae nostrae, in foro, in curia, in amicorum periculis propulsandis elaboratum est: hinc

*Defigeret*) Sic editum e cod. Vat. Vulgo *configeret*. (1) *Mihi tamen.*

honores amplissimos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habemus, consequuti sumus. Ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus, qui, quantuscumque sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace civili certe non fuissem (periculose dico: quemadmodum accepturi, Patres conscripti, sitis, horreo; sed pro mea perpetua cupiditate vestrae dignitatis retinendae et augendae, quaeso, oroque vos, ut primo, si erit vel acerbum auditu, vel incredibile, a M. Cicerone esse dictum, accipiatis sine offensione, quod dixero; neve id prius, quam, quale sit, explicavero, repudietis); ego ille, dicam saepius, pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum M. Antonio esse nolo. Magna spe ingredior in reliquam orationem, Patres conscripti, quoniam periculosissimum locum silentio sum praetervectus. Cur igitur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quae tria dum explico, peto a vobis, Patres conscripti, ut eadem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis.

Quid est inconstantia, mobilitate, levitate, quum singulis hominibus, tum vero universo senatui, turpius? Quid porro inconstantius, quam, quem modo hostem non verbo, sed re, multis decretis, iudicaritis, cum hoc subito pace velle coniungi? Nisi vero, quum C. Caesari meritos illi quidem honores et debitos, sed tamen singulares et immortales decrevistis, unam ob causam, quod contra M. Antonium exercitum comparavisset, non hostem Antonium iudicastis: nec tum hostis est a vobis iudicatus Antonius, quum laudati auctoritate vestra veterani milites, qui Caesarem

*Quaeso, oroque vos*) Vulgo hic iterum additur *Patres conscripti*, quod auctore Ernestio delevi.

*A M. Cicerone esse dictum*) In his sine causa offensus est Ernestius, ut ea glossatori deberi putaret.

sequuti essent: [1] quum fortissimis legionibus, quod illum, qui consul appellabatur, quum esset hostis, reliquissent, vacationes, pecunias, agros spopondistis.

IV. Quid? quum Brutum, omine quodam illius generis et nominis, natum ad rempublicam liberandam, exercitumque eius pro libertate populi romani bellum gerentem cum Antonio, provinciamque fidelissimam atque optimam, Galliam, laudibus amplissimis affecistis, tum non hostem iudicastis Antonium? Quid? quum decrevistis, ut consules, alter, ambove ab bellum proficiscerentur: quod erat bellum, si hostis Antonius non erat? Quid igitur profectus est vir fortissimus, meus collega et familiaris, A. Hirtius consul? At qua imbecillitate? qua macie? sed animi vires corporis infirmitas non retardavit. Aequum, credo, putavit, vitam, quam populi romani votis retinuisset, pro libertate populi romani in discrimen adducere. Quid? quum delectus haberi tota Italia iussistis, quum vacationes omnes sustulistis, tum ille hostis non est iudicatus? Armorum officinas in urbe videtis; milites cum gladiis sequuntur consulem; praesidio sunt, specie, consuli; re et veritate, nobis; omnes sine ulla recusatione, summo etiam cum studio nomina dant; parent auctoritati vestrae: non est iudicatus hostis Antonius? At legatos misimus. Heu, me miserum! cur senatum cogor, quem laudavi semper, reprehendere? Quid? vos censetis, Patres conscripti, legatorum missionem populo romano probavisse? Non intelligitis, non auditis, meam sententiam

(1) Verba hic vulgo inculcata *nec tum hostem Antonium iudicavistis* de Ernestii sententia eieci.

*Quid igitur*) Sic Faërn. Graev. cod. Vatic. Vulgo *quo igitur*.

*Collega*) Scil in auguratu.

*Meam sententiam flagitari*) Qua suadebam ut hostis iudicaretur Antonius. Man.

flagitari? Cui quum pridie frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis inanem pacis devoluti. Quam turpe porro est, legiones ad senatum legatos mittere, senatum ad Antonium? quamquam illa legatio non est: denuntiatio est, paratum illi exitium, nisi paruerit huic ordini. Quid refert? tamen opinio est gravior. Missos enim legatos omnes vident; decreti vestri non omnes verba noverunt.

V. Retinenda est igitur vobis constantia, gravitas, perseverantia. Repetenda est vetus illa severitas; siquidem auctoritas senatus, decus, honestatem, laudem, dignitatem desiderat, quibus hic ordo caruit nimium diu. Sed erat tunc excusatio oppressis, misera illa quidem, sed tamen iusta: nunc nulla est. Liberati tum regio dominatu videbamur: multo postea gravius urgebamur armis domesticis. Ea ipsa depulimus nos quidem; sed extorquenda sunt. Quod si non possumus facere (dicam, quod dignum est et senatore, et romano homine), moriamur. Quanta enim erit illa reipublicae turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, dicere in hoc ordine sententiam M. Antonium consulari loco? cuius ut omittam innumerabilia scelera urbani consulatus, in quo pecuniam publicam maximam dissipavit, exsules sine lege restituit, vectigalia vendidit, provincias de populi romani imperio sustulit, regna addixit pecunia, leges civitati per vim imposuit, armis aut obsedit

*Devoluti*) Ernestius coni. *revoluti* quod scil. iam antea pacem sperassent. Attamen verum est *devoluti*. Opponitur enim sententiis senatorum qui pridie Ciceroni assensi erant, postridie autem repente ad novam spem, sed inanem pacis cum Antonio per legationem obtinere devoluti essent.

*Legiones*) Recte Ferrarius intellexit legiones, quae ab Antonio defecerant, de quibus Philipp. III, 3.

*Quid refert*) Nihil refert denuntiationem esse, non legationem, quum homines contrarium opinentur. Ferr.

*Decreti vestri*) Graevius ex aliquot MSS. dedit *nostri*, et paulo post *retinenda est igitur nobis*. Vtrumque male.

*Quibus hic ordo caruit nimium diu*) Faërnus praeferebat lectionem cod. Vatic. *laudem dignitatemque desiderat quibus rebus hic ordo* etc.

aut exclusit senatum: ut haec, inquam, omittam; ne hoc quidem cogitatis, eum, qui Mutinam, coloniam populi romani firmissimam, oppugnarit, imperatorem populi romani, consulem designatum, obsederit, depopulatus agros sit; hunc in eum ordinem recipi, a quo toties ob has ipsas causas hostis iudicatus sit, quam foedum flagitiosumque sit?

VI. Satis multa de turpitudine. Dicam deinceps, ut proposui, de periculo: quod etsi minus est fugiendum, quam turpitudo, tamen offendit animos maioris partis hominum magis. Poteritis igitur exploratam habere pacem, quum in civitate Antonium videbitis, vel potius Antonios? Nisi forte contemnitis Lucium; ego ne Caium quidem. Sed, ut video, dominabitur Lucius. Est enim patronus XXXV tribuum, quarum, sua lege, qua cum C. Caesare magistratus partitus est, suffragium sustulit; patronus centuriarum equitum, quas item sine suffragio esse voluit; patronus eorum, qui tribuni militares fuerunt; patronus Iani medii. O dii! quis huius potentiam poterit sustinere? praesertim quum eosdem in agros etiam deduxerit. Quis unquam omnes tribus? quis equites romanos? quis tribunos militares? Gracchorum potentiam maiorem fuisse arbitramini, quam huius gladiatoris futura sit? Quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed ut appellant ii, qui plane et latine loquuntur. Mirmillo in Asia depugnavit. Quum ornasset Threcidicis comitem et

*Sua lege*) Ex hoc loco colligitur, Lucium Antonium in tribunatu legem tulisse, ut liceret C. Caesari profecturo ad bellum Parthicum in biennium creare omnes magistratus: quare suffragium populo ademerat per illud biennium. FERR.

*Partitus est*) Videtur proinde a Caesare obtinuisse, ut quidam crearentur ex suis amicis. ID.

*Patronus eorum*) MSS. plerique *patronus fori*. Meliorem lectionem primus dedit P. Manutius.

*Tribus*) aeque habuit in sua potestate? Hoc enim subaudiri necesse est. Ne fratres quidem Gracchi habuerunt. MAN.

*Threcidicis*) Threcidica erant arma

familiarem suum, illum miserum fugientem iugulavit: luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix. Qui familiarem iugularit, quid hic, occasione data, faciet inimico? Et qui illud animi causa fecerit, hunc praedae causa quid facturum putatis? Non rursus improbos decuriabit? non sollicitabit rursus agrarios? non quaeret expulsos? M. vero Antonius non is erit, ad quem omni motu concursus fiat civium perditorum? Vt nemo sit alius, nisi illi, qui una sunt, et hi, qui hic ei nunc aperte favent; parumne erunt multi? praesertim quum boni iam praesidiis cesserint, illi parati sint ad nutum futuri? Ego vero metuo, si hoc tempore consilio lapsi erimus, ne illi brevi tempore nimis multi nobis esse videantur.

VII. Nec ego pacem nolo; sed pacis nomine bellum involutum reformido. Quare si pace frui volumus, bellum gerendum est. Si bellum omittemus, pace nunquam fruemur. Est autem vestri consilii, Patres conscripti, in posterum quam longissime providere. Idcirco in hac custodia, et tanquam in specula, collocati sumus, ut vacuum metu populum romanum nostra vigilia et prospicientia redderemus. Turpe est, summo consilio orbis terrae, praesertim in re tam perspicua, consilium intelligi defuisse. Eos consules habemus, eam populi romani alacritatem, eum consensum Italiae, eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatem respublica accipere possit sine culpa senatus. Equidem non deero; monebo, praedicam,

gladiatoria, quibus Thrax pugnabat cum Mirmillone. FERR.

*Non quaeret*) *Vrbe* addiderunt Muret. Graev.

*Nisi illi — et hi*) Ita Graev. et Ernest. Idem habet cod. Guelf. Vulgo *nisi ii — et ii*.

*Quum boni iam praesidiis cesserint*) Sic Ferrar. legendum censuit, quum in MSS. aliquot sit *praesidiis*. Vulgo *quum bonorum praesidia cesserint*; h. e. *locum reliquerint*.

*Bellum involutum*) Sic plerique MSS. Lambin. et alii *obvolutum*.

*Omittemus*) Graev. e cod. Vatic. *omittimus*.

*Intelligi*) Recte hoc receptum e cod. Vatic. pro vulgato *intelligendi*.

denuntiabo, testabor semper deos hominesque, quid sentiam; nec solum fidem meam; quod fortasse videatur satis esse, sed in principe civi non est satis: curam, consilium, vigilantiamque praestabo.

VIII. Dixi de periculo: docebo, ne coagmentari quidem posse pacem. De tribus enim, quae proposui, hoc extremum est. Quae potest esse pax M. Antonio primum cum senatu? quo ore ille vos poterit, quibus vicissim vos illum oculis intueri? quis vestrum illum, quem ille vestrum non oderit? Age, vos ille solum, et vos illum? Quid? ii, qui Mutinam circumsedent, qui in Gallia delectus habent, qui in nostras fortunas imminent, amici unquam nobis erunt, aut nos illis? An equites romanos amplectetur? Occulta enim fuit eorum voluntas iudiciumque de M. Antonio; qui frequentissimi in gradibus Concordiae steterunt; qui vos ad libertatem recuperandam excitaverunt; arma, saga, bellum flagitaverunt; me una cum populo romano in concionem vocaverunt. Hi Antonium diligent? cum his pacem servabit Antonius? Nam quid ego de universo populo romano dicam? qui pleno ac referto foro bis me una mente atque voce in concionem vocavit, declaravitque maximam libertatis recuperandae cupiditatem. Ita, quod erat optabile antea, ut populum romanum comitem haberemus, nunc habemus ducem. Quae est igitur spes, qui Mutinam circumsedent, imperatorem populi romani exercitumque oppugnant, iis pacem cum populo romano esse posse? An cum municipiis pax

Ernestio tamen utrumque delendum videbatur.

*Praedicam*) Ita Muret. Graev. Ern. Alii olim *praedicabo*.

*Sed in principe*) Particulam *sed* arbitror transponendam esse, ut legatur (*quod fortasse videatur satis esse, in principe civi non est satis*), *sed curam consilium etc.*

*Qui in nostras fortunas — aut nos illis*) Cod. Lang. il. Faërn. *qui in vestras — vobis erunt, aut vos illis.*

*Ita quod erat*) Sic e Vatic. cod.

erit, quorum tanta studia cognoscuntur in decretis faciendis, militibus dandis, pecuniis pollicendis, ut in singulis oppidis curiam populus romanus non desideret? Laudandi sunt ex huius ordinis sententia Firmani, qui principes pecuniae pollicendae fuerunt: respondendum honorifice est Marrucinis, qui ignominia notandos censuerunt eos, qui militiam subterfugissent. Haec iam tota Italia fiunt. Magna pax Antonio cum iis, his item cum illo. Quae potest maior esse discordia? in discordia autem pax civilis ullo pacto esse potest? Vt omittam multitudinem: L. Nasidio, equiti romano, homini in primis ornato atque honesto, civique semper egregio, cuius ego excubias et custodias mei capitis cognovi in consulatu meo; qui vicinos suos non cohortatus est solum, ut milites fierent, sed etiam facultatibus suis sublevavit; huic, inquam, tali viro, quem nos senatusconsulto collaudarimus, poteritne esse pacatus Antonius? Quid C. Caesari? qui illum urbe; quid D. Bruto, qui Gallia prohibuit? Iam vero ipse se placabit, et leniet provinciae Galliae, a qua exclusus et repudiatus est? Omnia videbitis, Patres conscripti, nisi prospicitis, plena odiorum, plena discordiarum: ex quibus oriuntur bella civilia. Nolite igitur id velle, quod fieri non potest; et cavete, per deos immortales! Patres conscripti, ne spe praesentis pacis perpetuam pacem amittatis.

IX. Quorsum haec omnis spectat oratio? quid enim legati egerint, nondum scimus. At vero excitati, erecti,

Faërn. Manut. Lamb. Graev. Alii *Itaque*.

*His item cum illo*) Ita recte editum e cod. Vatic. Olim *cum eisdem his cum illo*.

*L. Nasidio*) Sic edd. pr. idemque nomen occurrit Epp. ad Att. XI, 17. In Ferrarii MSS. aliisque *L. Visidio*.

*Collaudarimus*) Sic Ern. ex edd. pr. Vulgo *collaudavimus*. Nonnulli cum cod. Vatic. *collaudare debemus*.

*Excitati, erecti*) Ita Cod. Vat. et receperunt Graev. Ern. Vulgo *erecti, citati*.

parati, armati animis iam esse debemus, ne blanda, aut supplici oratione, aut aequitatis simulatione fallamur. Omnia fecerit oportet, quae interdicta et denuntiata sunt, priusquam aliquid postulet: Brutum, exercitumque eius oppugnare, urbes et agros provinciae Galliae populari destiterit; ad Brutum adeundi legatis potestatem fecerit, exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit, nec propius urbem millia passuum ducenta admoverit; fuerit in senatus populique romani potestate. Haec si fecerit, erit integra potestas nobis deliberandi. Si senatui non paruerit, non illi senatus, sed ille populo romano bellum indixerit. Sed vos moneo, Patres conscripti, libertas agitur populi romani, quae est commendata vobis; vita et fortunae optimi cuiusque, quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitate iampridem intendit Antonius; auctoritas vestra, quam nullam habebitis, nisi nunc retinueritis: tetram et pestiferam belluam, ne inclusam et constrictam dimittatis, cavete. Te ipsum moneo, Pansa (quamquam non eges consilio, quo vales plurimum; tamen etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent); hunc tantum tuum apparatum, tamque praeclarum, ne ad nihilum recidere patiare. Tempus habes tale, quale nemo habuit unquam. Hac gravitate senatus, hoc studio equestris ordinis, hoc ardore populi romani potes in perpetuum rempublicam metu et periculo liberare. Quibus de rebus refers, P. Servilio assentior.

*Erit integra potestas*) Tunc statuemus an illi danda sit venia tantorum scelerum, quae in remp. admisit. Fern.

*Retinueritis*) Graev. e cod. Vat. *tenueritis*.

# ANIMADVERSIONES

## IN SCHOLIVM ANTIQVVM

### AD ORATIONEM IN VATINIVM.

Pag. 21. *Rite omnia fieri gestiebat*) M. Bibulus C. Caesaris collega in consulatu, quum huic magistratum tyrannico paene more gerenti resistere non posset, domi se continuit: et quoad potestate abiit, nihil aliud, quam per edicta illi obnuntiavit, diem esse festum, quo per leges quicquam agere fas non erat. Quapropter Vatinius unus e tribunis pl. Bibulum domo sua in carcerem trahere aggressus est. Vide praeter Ciceronem, etiam Dionem XXXVIII, 6, Suetonium et Plutarchum in Caesare. Mai.

Ibid. *Saepe harum feci mentionem*) Revera Asconius, qui nobis videtur auctor huius, quem edidimus, commentarii, meminit harum legum ad lib. I in Verr. XLII, et in Pis. IV. Id.

Pag. 22. *De hoc tempore locuti sumus in oratione quae hanc praecedit*) Nempe ait Interpres se locutum de hoc tempore in commentario, quem scripserat ad oration. pro Sextio, quae oratio ordine ipso et materia hanc *in Vatinium* praecedit. Siquidem in iudicio Sextii Vatinius testis productus, quum acerbum in eum testimonium dixisset, hac Vatiniana oratione a Cicerone Sextii patrono exagitatus est. Id.

Pag. 23. *Cum M. Marcello gessit*) Ita codex, *M. Marcello*; sed scribendum est *C. Marcello* Nam hic consulatum gessit cum L. Aemilio Paulo anno qui proxime bellum civile praecessit Pompeii et Caesaris. Vid. Sigonii commentarium in Fastos. M. autem Marcellus fuerat consul cum Serv. Sulpicio Rufo anno superiore. Id.

Pag. 25. *Beneficio et aequitate legis tuae*) Hanc legem Vatiniam appellat hoc loco Cicero *de alternis consiliis reiiciendis*. Quae autem sint *alterna consilia* vix se posse explicare ait Antonius Augustinus ad hanc legem. Verum ex nostro Interprete patet hoc loco nihil aliud indicari nisi *alternorum iudicum reiectionem*. Maivs. Enim vero Manutius, Turnebus, Hotomannus, Gesnerus et Ernestius distinxerunt *alternorum iudi-*

*cum reiectionem* ab *alternorum consiliorum reiectione:* statuuntque Vatiniae legis hanc vim fuisse, ut et reo et accusatori liceret semel alternis vicibus totum consilium, seu omnes iudices, quorum facta esset a praetore sortitio, reiicere. SCHÜTZ.

Ibid. *Filiam M. Antonii*) Nempe Cretici, qui frater fuit C. Antonii consulis cum Cicerone. MAIVS.

Pag. 26. *Locupletatum interversa pecunia P.*) Explica *populi*, vel *publica* vel potius transfer literam P. ante Vatinium cuius praenomen fuisse *Publium* constat. ID.

Ibid. *Propter matrimonium videlicet Antoniae, quam Vatinius habuit uxorem*) Hinc corrigatur Glandorpii error (*Onom.* p. 883), qui ex eo quod Vatinius Caesari se affinem dicere solebat, existimavit Vatinio uxorem fuisse Pompeiam, aut eam scilicet, quam repudiarat Caesar, aut certe sororem eius. ID.

# INDEX ORATIONVM

QVAE

IN HOC SEPTIMO CICERONIS VOLVMINE

CONTINENTVR



SEPTIMI VOLVMINIS FINIS







